IACOBI HACKERI EHINGANI SS.AE THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS...

Jakob Hacker, Giovanni Battista Coccini



IACOBI HACKERI
EHINGANI
SS.ae Theologiae Doctoris
et Professoris in Archiducali
Friburgensi Academiâ, Canonici
Cathedralis Ecclesiae Passauiensis

COMMENTATIONUM
THEOLOGICARUM
AD
Methodum, quam Doctor Angelicus
inuenit et tenuit directarum


TOMUS SECUNDUS
DE
BEATITUDINE, ACTIBUS
HUMANIS, LEGIBUS,
ET GRATIA.

CUM PRIUILEGIO S. CAESAREAE MAIEST.



S. Thomas de Aquino.

Friburgi Brisgoiae
Typis Strasserianis
Sumptib. Henrici Dulcken
Anno M.DCXXI.



SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO

CAROLO

ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI BVRGVNDIAE, &c. ADMINISTRATORI MAGNI MAGISTERII PRVSSIAE. Magiſtro Ordinis Marianorum per Germaniam & Italiam. Epiſcopo Brixinenſi & Vratislauienſi. Comiti Habſburgi, Tirolis &c. Principi ac Domino ſuo clementiſſimo.

MIRARI *identidèm ſoleo* (SERENISSIME PRINCEPS) *cùm omnes, quantum eſt mortalium, eſſe ſe felices expetant; raros eſſe, qui viam, quæ vna ad felicitatem ducit, teneant & perſequantur. Hinc tot & tanta fœdè aberrantium diuortia. Alij voluptates auio venatu*

consectantur, & tum beatos se fore censent, si extrà fines omnis molestiæ procùl positi vitam exigant, rosas inter & fauos, delicatâ amœnitate iugiter blandientem. Alij ad conuehendas opes cæcâ auiditate rapiuntur, fortunati demùm & vno Ioue minores, si cumulatis vndiq; facultatibus circumfluant, & liquido fortunæ riuo inaurentur. Alios ambitio aufert & transuersos agit, hunc felicitati suæ velut terminum metantes; æstimari, suspici, eminere suprà omnes, subijci nulli. Solenne his, seipsos magnificè circumspicere, & omnia sua reputare Rege aut Principe digna. Infelix omnium error. Vana, profana, abitura sunt, quæ quærunt; nec apta tranquillare desiderium appetentis. Semper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat. *S. Hieronym. epist. ad Damas. Papam.* Diuitiæ ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles, & implacabiles. *S. Chrysostom. de Sart. & Aurel. in exil. actis. tom. 5.* Transit honor huius sæculi, transit ambitio. Quæ hìc honorant, in futuro Christi iudìcio onerant. S. *Augustinus epistolâ 200. ad Maxim. Episc. Veruntamen nulli ex omnibus stolidiùs aut infeliciùs exorbitant, quàm quos extrà viam agit pruritus vltionis, & studium nocendi. Nam cùm nihil sit verâ felicitate tranquillius, pacatius, serenius; nihil est hoc hominum genere concitatius, seditiosius, turbulentius. Fretum, procellas, Euripos intrà se*

agitant

agitant, qui in aliorum perniciem exæstuent. Offende, sis ex istâ hominum fæce quenquam, aut speciem saltem offensionis obiice! Empedoclem nobis aliquem, aut Bacchæ bacchanti simillimum, dederis. Rabiem trahet, & alto sub pectore condet, nullâ ætate aut senio mitigandam. Non quiescet nisi vindicatus. Imò nè sic quidem etiam quiescet. Mouet, non sedat pruriginem vindicta; quia nouam suscitat offensam, noui irritamentum & materiam furoris. Ità dum Tricones hi, vlcisci & nocere prompti, odium in omnes suum produnt; omnium in se odia prouocant & lacessunt; vt quantum à pace, tranquillitate & concordiâ naturæ eos malignitas proiicit, tantum à regiâ ad felicitatem viâ exulent. His deuiantium erroribus vt occurreret Doctor Angelicus, & palantes ac dispersos in viam reuocaret, eam Summæ Theologicæ suæ partem, quam Primam Secundæ appellamus, in quâ de vltimo fine hominis, & ad eum assequendum mediis, disseritur; diuino ingenio elaboratam, indicem & normam nesciæ falli progressionis, posteritati consecrauit, reliquit, tradidit. Hanc variis subindè lucubrationibus illustrârunt Theologi; quorum vestigia magno interuallo sequens, alterum hunc Commentationum mearum Tomum profero in lucem; & Serenissimo nomini Tuo, MAGNE PRINCEPS CAROLE, *nuncupatum eo. Ità argumentum*

operis exigit, ità debitum auctoris. ARGVMENTVM *Beatitudo est. Illa scilicet, ad quam actiones omnes, consilia, conatus Tui, & quicquid DEVS largâ in Te manu congessit, felici destinatione collineant. Siuè enim splendor se obiiciat gentilitij sanguinis! Altus ille, & altâ ab origine per Reges & Imperatores ductus, ad sublimem hunc scopum erigit & attollit. Siuè infulas & diademata intuear! Illa, quæ non ambientem* CAROLVM *ambiuêre, à quo ità sustinentur, vt dum lucis aliquid affundunt possessori, maius ab eo lumen mutuent; quid nisi proludia sunt, & anticipata* BEATÆ *illius, & repromissæ à Deo diligentibus se,* CORONÆ *argumenta? Siuè Zelus occurrat & ardor veræ ac saluificæ Religionis! Illius, quam & nutantem in Europâ, glorioso Augustißimorum Fratrum exemplo, fulcis; & à rabie Caluino-Mahumetanâ, vtrisq; pacis & belli, togæ & sagi præsidiis animosè vindicas, tueris, asseris; via est & progreßio ad luculentam eius comprehensionem boni, quod & summum esse, & beatos efficere obtinentes, Fides nos velatâ veritate docuit. Siuè Pietas deniq; oculos feriat! Aurea in Te illa, & illustri omnium circumfusa choro virtutum; fax & sidus est ad æuiternam, & quam nulla temporum circumscriptio metitur, Beatitatem.* DEBITVM *porrò meum est, testari posteris publico hoc monumento, & prædicare effusam Serenißimæ Domus*

AVSTRIACÆ *ergà me* BENIGNITATEM; *quem nouo nuper beneficio, eóque amplissimo, censuit ornandum an onerandum? Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ Passauiensis. Ornamentum est, tanti accessione honoris auctum esse; Onus, non posse tantæ magnitudini Beneficentiæ parem esse; vt semper futurum sit, quòd Augustissimæ Familiæ, & in eâ Tibi,* CAROLE SERENISSIME, *debeam; vno hoc nomine felix, nunquàm posse tam pretioso nexu solui. DEVS te,* SERENISSIME PRINCEPS, *bono Christiani orbis, ætatem seruet & sospitet. Friburgi V. Idus Martij. Anno* CIↃ.IↃC.XXI.

S. T.

Deuotissimus Cliens

Iacobus Hackerus.

ADPROBATIO.

PRodit alter Tomus Commentationum in D. Thomæ Aqvinatis Summam Theologicam, Admodum Reuerendi & Eximij Viri Iacobi Hackeri Theologiæ D. Archiducali Friburgensi in Academiâ Professoris Ordinarij elucubratus longioribus his noctibus, industriâ antelucanâ, ad eandem cum superiori lucernam. Splendescet is ad solem; seuerioris etiam Censuræ. Meâ, æquè cultus, æquè politus, ausurus cum primo de principatu contendere, si non esset in hanc Partem, quam Doctor Angelicus, dispositu Primam Secundæ numerauit. Hunc potes, Candide & Amice Lector, quod de D. Hilarij libris D. Hieronymus censuit, inoffenso pede decurrere. Idque facturus: sat scio. Sic te incitabit Beatitas, & eius Conciliatrix Virtus, & huius Lex rectrix, & adiutrix Gratia. Sunt enim hæc omnia Tomi secundi propria. Quibus persequendis & legendis senties animum tibi pietatis & religionis stimulis pertentari. Scripsi & subscripsi. Friburgi. Anno M.DC. XX. Festo die eius, quem Christvs, O. M. dilexit.

Ioannes Andreas Zimmermann, Theologiæ D. Professor Ordinarius Archiducalis Academiæ Friburgensis.

PRO-

PROOEMIVM.

DECVRSA *primâ parte, in quâ de DEO, & creaturarum ab eo emanatione, actum est; reliquas partes summæ Theologicæ ponit & consumit Doctor Angelicus in considerandâ & explicandâ reductione creaturarum in DEVM; earum scilicet, quæ sunt rationis & intelligentiæ participes. Primâ secunda, quam ingredimur, disserit de DEO, vt est vltimus finis hominis; & de iis quæ vel ducunt ad hunc finem, vel ab eo auocant; nempè de Actibus humanis. Ex his ij ad finis assecutionem valent, qui honesti & à virtute sunt; ad quos exercendos & Legum directione instruimur, & Gratiæ donis iuuamur: Ii verò ab eiusdem comprehensione finis arcent, qui praui sunt, & à cœno vitiorum; quibus & Legum vincula perfringimus, & Gratiæ dona repudiamus.*

Progressus D. Thomæ *in hac parte hic est. A quæst. 1. vsque ad 6. agit de vltimo fine hominis. à quæst.*

6. vſque ad 90. de actibus humanis, & quæ iis annexa, vniuerſim. à quæſt. 90. vſque ad 109. de Legibus. à quæſt. 109. vſque in finem primæ ſecundæ de Gratiâ DEI. Nos vt eâdem viâ progrediamur, ſit

* * *

TRACTATVS PRIMVS
DE VLTIMO FINE, SEV BEATITVDINE HOMINIS.

D. Thomas 1. quæst. cuius octo sunt articuli.

ARTICVLO I. quærit: *Vtrum homini conueniat agere propter finem?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO II. *Vtrum agere propter finem sit proprium rationalis naturæ?* CONCLVSIO est. Proprium creaturæ intellectualis est, ita agere propter finem, vt se ipsa moueat ad finem; quia sola intellectualis creatura est, quæ cognoscit rationē finis, cæteræ vero res naturales agũt quidē propter finē sed motæ ab auctore naturæ.

ARTICVLO III. *Vtrum actus hominis recipiant speciem ex fine?* CONCLVSIO est affirmans. Cuius sensus est; species actionum humanarum ex ordine ad finem dignoscendas esse. *Hic obiter*:

NOTA, D. Thomam, cum in solutione tertij asserit, eandem actionem non posse esse in duabus speciebus, loqui de actione in genere, seu esse naturæ; quod verum est: at vero in genere, seu esse moris, non negat, immo cõcedit, eã dem actionē humanam esse posse in duplici specie.

ARTICVLO IV. *Vtrum sit aliquis vltimus finis humanæ vitæ?* CONCLVSIO est. Cum duplex ordo in finibus reperiatur; vnus intentionis, qui incipit à fine, & procedit ad media; alter executionis, qui à medijs incipit, & ad finem progreditur; in neutro dari potest processus in infinitum, sed

necesse est assignare vltimum aliquem finem in singulis nostris actionibus. Nam cum quod primum est in intentione, sit vltimum in executione, & econtrà; nisi aliquis esset finis vltimus, à quo inciperet intentio, nulla vnquam esset consultatio; rursus si non esset vnum primum medium, à quo inciperet executio, nulla vnquam esset operatio.

ARTICVLO V. *Vtrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines?* CONCLVSIO est. Non potest voluntas vnius hominis simul ferri ad diuersa, tanquam ad diuersos vltimos fines.

ARTICVLO VI. *Vtrum omnia quæ vult homo, velit propter vltimũ finẽ?* CONCLVSIO est affirmãs.

ARTICVLO VII. *Vtrum sit vnus vltimus finis omnium hominum?* Respondet D. Thomas tribus conclusionibus. PRIMA est. Si sermo sit de vltimo fine secundum rationem communem & generalem, omnes homines eundem vltimum finem habent. Omnes enim cupiunt felices esse, & suam perfectionem assequi, quæ est ratio communis & generalis vltimi finis. ALTERA CONCLVSIO. Si sermo sit de vltimo fine iuxtà rationem propriam & particularem, non est idem finis vltimus omnium hominum. Quia alij vt vltimum finem appetunt voluptates, alij diuitias, alii alia, &c. TERTIA CONCLVSIO. Ille est vltimus finis particularis & verus, quem præstituunt sibi homines studiosi & virtutibus præditi; cæteri verò fines, quos præstituunt sibi homines vitiosi, non sunt veri fines vltimi, sed tantum apparentes & adulteri.

ARTICVLO VIII. *Vtrum in illo vltimo fine aliæ creaturæ conueniant?* Sermo est de fine vero & particulari: videlicet vtrum omnes creaturæ habeãt pro fine vltimo DEVM optimum maximũ, qui est rerum omnium principium & finis? Ad cuius rei intellectum notat D. Thomas ex Aristotele 5. Metaph. tex. 22. finem hunc bifariã sumi posse: *Vno modo* pro re ipsâ, cui conuenit ratio vltimi finis: *Altero modo* pro adeptione illius. Hinc duplicem statuit conclusionem. PRIMA est. Si sermo sit de vltimo fine pro re ipsâ, idem est vltimus finis omnium creaturarum, tam rationalium, quam irrationalium; nempè DEVS optimus Maximus. ALTERA CONCLVSIO. Si sermo sit de vltimo fine pro adeptione seu consecutione, non est idem vltimus finis omnium creaturarum. Nam homo cognoscendo & amando DEVM consequitur; quod nõ contingit creaturis irrationalibus. De

doctri-

doctrinâ huius articuli vide quæ D. Thomas disputat. 3. contrà Gent. à cap. 17. vsque ad. 23. & de veritate q. 22. art. 2.

DISPVTATIO I.

Vtrum omnes actiones hominis sint propter finem?

RATIO DVBITANDI est: Quia operari propter finem, supponit intentionem finis: Ergò saltem intentio finis, quæ inter operationes hominis vna est, non est propter finem, quippè quæ prior est operatione propter finem. *Pro resolutione:*

NOTANDVM est I. ex D. Thomâ art. 2. aliquid posse propter finē agere duobus modis. *Vno imperfectè*, quia in finem dirigatur ab alio; quomodo agentia naturalia dicuntur agere propter finem, quia à DEO naturalem inclinationem acceperunt, quâ tendunt in finem. *Altero modo perfectè*, quia seipsum moueat in finem, quod est proprium naturæ intellectualis, cum ad id requiratur, vt agens ex cognitione finis seipsum determinet ad operandum, quod non potest conuenire nisi naturæ intellectuali.

NOTANDVM est II. Actionem esse propter finem hoc secundo modo intelligi posse bifariam. *Primò* ratione obiecti, quia scilicet obiectum actionis ordinetur ad finem; quomodo electio mediorum propter finem esse dicitur, quia media, circà quæ versatur, ad finem ordinantur. *Secundò* ratione sui, quia ipsa actio propter finem fit, ex eo quod versetur circà finem; quomodo intentio finis dicitur esse propter finem, ex D. Thomâ in solutione secundi vbi, ipsum velle finem, dicit esse propter finem. Et ità actio propter finem est, non quià ab aliâ actione ordinetur ad finem, sed quià voluntas tali actione voluntariè se determinat ad finem, non aliâ ratione, nisi quià vult finem. *His positis:*

DICO PRIMO: Homo cum exercet actiones humanas & liberas, agit perfectè propter finem. *Ratio est*: Quia eæ actiones procedunt ex perfectâ cognitione finis, & mediorum: itemque ex liberâ motione voluntatis; quæ est propriissima ratio agendi propter finem.

DICO SECVNDO: Homo, cum exercet operationes antecedentes perfectum rationis vsum & necessarias, non operatur perfe-

cto modo propter finem. *Ratio est*: Quià eiusmodi operationibus deest propria & perfecta ratio agendi propter finem.

HINC COLLIGITVR PRIMO: Visionem beatificam, amorem DEI in patriâ, & alias huiusmodi actiones necessarias, nec propriè humanas esse, quia non sunt liberæ; nec perfecto modo propter finem esse, quia voluntas non se ipsam mouet ad eas exercendas, sed ab obiecto necessitatur.

COLLIGITVR SECVNDO: Eos, qui carent vsu rationis, tametsi habeant operationes intellectus & voluntatis, non agere perfecto modo propter finem, quia nec cognoscunt perfecte habitudinem mediorum ad finem, nec liberè se determinant ad eligenda media propter finem. *Ad rationem dubitandi initio propositam constat ex notatione secundi.*

DISPVTATIO II.

Vtrum aliquis sibi posit constituere duos vltimos fines?

RATIO DVBITANDI est. Nam si fieri non posset, vt aliquis plures sibi fines vltimos cōstitueret, ratio hæc esset, quia iuxtà doctrinam D. Thomæ finis vltimus debet esse bonum quoddā perfectum, quod expleat appetitum hominis, & cui fieri additio nequeat. Atqui id necessarium non est. Aristoteles enim 1. Ethic. cap. 7. fatetur quidem æquitatem per se esse expetēdam & sufficientem, vel si sola habeatur, ad perfectæ vitæ constitutionem, vult tamen posse addi multa alia bona, propter quæ magis appetēda sit. Hinc ipse Aristoteles, qui felicitatem hominis in contemplatione posuit. 1. Ethic. cap. 10. vult prætereà ad eādem pertinere bona corporis & fortunæ. Item visio beatifica, quę est nostra beatitudo, gradus habet & latitudinem, & in quibusdam est perfectior, in aliis imperfectior. Potest ergò fieri beatitudini aliqua additio. *Confirmatur.* Qui peccat mortaliter, ex communi Theologorum sententiâ, constituit vltimum finē suum in creaturâ. At fieri potest, vt quis simul habeat plura peccata mortalia. Ergo poterit simul sibi plures vltimos fines constituere. *Pro resolutione*:

NOTANDVM est: Finem vltimū spectari posse vel materialiter

vel formaliter. Voco vltimum finem materialem, rem illam, quæ constituitur finis vltimus, quæcunque illa sit: Formalem verò, rationem summi boni, propter quam vltimus finis explet voluntatem, & ità hominem perficit, vt nihil amplius ei sit expetendum. Et quanquam sint, qui velint D. Thomam loqui de vltimo fine formali tantum, patet tamen ex textu sermonem illi esse de vtroque. Quod loquatur de formali, fatentur omnes, & probant idipsum eius rationes. Quod verò etiam de materiali, constat ex primâ ratione, in quâ, inquit, illud appeti vt vltimum finem, quod appetitur, vt bonum perfectum. Vbi distinguit id, quod appetitur vt vltimus finis, & rationem, ob quam appetitur; quod etiam clarius indicat ad tertium. *Hoc posito*:

Dico primo: Non potest aliquis habere simul plures vltimos fines formales. *Probatur*. De ratione vltimi finis est, vt in illum omnia referantur, ipse verò non referatur in alium. 1. Ethic. cap. 7. Vltimus enim finis formalis est ratio illa boni, quæ explet totum desiderium appetentis: Id autem non potest conuenire nisi vni: Nam si duo essent; aut vnus referretur ad alium, & sic non esset ipse finis vltimus; aut non referretur; & sic is, ad quē non referretur, nō esset finis vltimus, quia ad illum non omnia referrentur.

Dico secundo: Non potest aliquis habere simul actu & explicitè plures fines vltimos materiales. *Ratio est*. Quia quod actu & explicitè appetitur, vt finis vltimus, debet appeti sub ratione sūmi boni; id enim significat esse finē vltimum: Hoc autem modo non possunt plures appeti. Quare etiamsi aliquis existimaret felicitatē suam cōsistere vel in diuitiis, vel in honoribus &c. ità vt si alterutrū ex illis haberet, putaret se felicem; non tamen posset actu vtrumque appetere, vt finē vltimū; Quia si vnum ex iis ordinaretur ad alterum, non esset nisi vnus finis vltimus; si verò non ordinaretur, dum operaretur propter vnū, illum sibi constitueret finem vltimum, & alium relinqueret, quod voluit D. Thomas. art. 5. ad 3.

Dico tertio: Fieri potest, vt aliquis virtute & interpretatiuè simul appetat duos fines vltimos. Neque vnquam id negauit D. Thomas. *Ad rationem dubitandi initio propositam respondetur:*

Ex iis omnibus conflari & componi vnum finem vltimum, quia omnia putātur necessaria ad constituendū vnū perfectū bonū, quod expleat desideriū appetētis. Aristoteles cōstituit quidē felici-

tatē in cōtēplatione, plura tamen ei bona adiungit, vt perfectā habeat rationem felicitatis. Visio verò beatifica tametsi possit suscipere magis & minus, quælibet tamen, quantumuis remissa, ita perficit eum, cuius visio est, vt totam eius capacitatem expleat. Neque enim is capax est perfectioris visionis, quam sit lumen gloriæ, quod habet; nec aliud quidquam appetit, quod ex visione beatificâ non habeat.

Ad confirmationem: Is qui peccat mortaliter, ponit quidem finem vltimum in creaturâ, non tamen totalem in vnâ, sed partialem; quià omnia illa bona, quæ sūt in actionibus & obiectis peccatorum, appetuntur, tanquam vnum aliquod bonum, quod explere putatur desiderium hominis, quod est esse finem vltimum; atque ita plures quidem sunt fines vltimi materiales, sed partiales tantum; quià plures res sunt appetitæ; est tamen vnus vltimus finis formalis, quià omnia illa appetuntur, vt putātur posse humanam explere voluntatem, & vnita cōstituere ratione boni vltimi.

QVAESTIO II.

De his, in quibus hominis beatitudo consistit.

Qvaestio haec perspicva est ex textu, nec enim occurrit circà eam, quod commentationem desideret.

QVAESTIO III.

Quid sit Beatitudo?

OCTO SVNT QVAEstionis huius articuli.

Articvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum Beatitudo sit aliquid increatum?* Conclvsio est. Beatitudo si accipiatur pro re ipsâ, quæ nos efficit beatos, est aliquid increatum, nempè Devs; si verò accipiatur pro adeptione rei beatum efficientis, est aliquid creatum; scilicet visio beatifica.

Articvlo II. *Vtrum beatitudo sit operatio?* Conclvsio est. Beatitudo quâ creatura rationalis redditur beata, tanquam formâ, est operatio.

Articvlo III. *Vtrum beatitudo in operatione sensus consistat?* Conclvsio est. Beatitudo formalis non est operatio sensus. *Ratio est.* Obiectum beatitudinis, non est aliquid corporeum & sensibile: Ergò beatitudo nostra formalis non est operatio aliqua sensus.

Articvlo IV. *Vtrum beatitudo sit actus intellectus, an voluntatis?* Conclvsio est. Essentia beatitudinis est actio intellectus; delectatio autem est quid consequens beatitudinem.

Articvlo V. *Vtrum beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici?* Conclvsio est. Visio beatifica est propriè contemplatiua. *Ratio est.* Quia est de re, quæ non potest aliter se habere, cum sit contemplatio Dei, vt Devs est, quod esse cognitionis speculatiuæ, docet Aristoteles, 6. Ethic. c. 3. 5. 6.

Articvlo VI. *Vtrum beatitudo consistat in consideratione scientiarum speculatiuarum?* Conclvsio est. Vltima & perfecta hominis beatitudo non potest esse in consideratione scientiarum speculatiuarum; licet hæc participatio quædam sit, & similitudo veræ & perfectæ beatitudinis.

Articvlo VII. *Vtrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum?* Conclvsio est negans. *Cuius ratio est.* Quià nulla res creata potest esse obiectum veræ & perfectæ beatitudinis, sed solus Devs.

Articvlo VIII. *Vtrum beatitudo hominis sit in visione diuinæ essentiæ?* Conclvsio est. Vera & perfecta beatitudo hominis non potest aliud esse, quàm visio clara essentiæ Dei, sicuti re ipsâ in se est. Nam apud omnes scholasticos extrà controuersiam est, hominem non posse esse verè beatũ, quamdiu Devm viderit per ænigmata solùm, & non clarè sicuti in se est.

DISPVTATIO I.

Vtrum beatitudo nostra sit aliquid creatum in nobis?

Cvm beatitvdo quæ est finis noster vltimus, duplex sit: *Vna obiectiua*, nempè res illa, quâ beamur: *Altera formalis*, nempè actio illa, quâ beatitudinem obiectiuam consequimur & obtinemus; controuersia hîc non est de beatitudine obiectiuâ, quam certum est esse aliquid increatum, nempè Devm optimum maximum; sed de beatitudine formali. *De quâ:*

Opinio fuit quorundam Doctorum Parisiensium, vt refert Gregor. in 2. dist. 7. quæst. 2. formalem beatitudinẽ nostarm

non esse aliquid creatum in nobis, sed esse ipsam increatam DEI visionem, quâ DEVS seipsum videt & comprehendit, ità communicatam & vnitam intellectui beatorum, vt per eam DEVM clarè, & pro vt in se est, intueantur. *Fundamentum esse potest.* Subsistētia DEI increata ità potest communicari naturæ humanæ, vt eā formaliter denominet subsistentem: Ergò etiam visio increata DEI ita poterit communicari intellectui beatorum, vt eum formaliter denominet videntem. Hæc tamen opinio temeraria est & periculosa. *Confutatur* 1. ex 6. synodo art. 17. in confessione fidei ab illis verbis Leonis Papæ: *Agit vtraq. forma cum alterius communione &c.* Vbi concilium definit impossibile esse increatam operationem conuenire posse naturæ creatæ. *Deinde ratione.* Nam actus intelligendi in naturâ creatâ essentialiter importat duos respectus ad intellectum, quem constituit intelligentem, ratione quorum repugnat intellectioni increatæ, vt per seipsam constituat intellectum creatum actu intelligentem. *Primus respectus est actionis.* Nam cum intelligere sit actus vitalis, necesse est, vt sit actio intelligentis; hoc est, procedat ab intelligente; *Alter respectus est formæ*; est enim intellectio actus formalis intelligentis, cum sit actio immanens, & ideò per formalem vnionem sui cum intellectu, constituit illum intelligentem. Quæ vnio bifariam fieri potest, vel per summam identitatem; vt cōtingit in DEO, in quo idem est intellectio & intelligēs; vel per informationem propriam, vt accidit in omni intellectione, quę ab intelligēte distinguitur. Quià ergò intellectio DEI increata, nec effectiuè procedere potest ab intellectu creato; nec per identitatem, aut informationem vniri intellectui creato; ideò fieri nullâ ratione potest, vt per seipsam illum constituat actu intelligentem. *Ad fundamentum contrariæ opinionis.*

RESPONDEO, Disparem esse rationem. Nam visio cum sit actio vitalis & immanens (nisi idem sit cum essentia videntis) vt denominet videntem, emanare debet à vidente, & informare potentiam, à quâ elicitur. De ratione autem subsistentiæ non est, vt effectiuè procedat à naturâ, quam sustentat; nec vt illā vitaliter informet; sed est terminus solùm naturæ, constituens illam in esse vltimo & incommunicabili; quod potest præstari ab aliquo extrinseco.

DISPVTATIO II.

Vtrum Beatitudo formalis ſit operatio?

MISSA opinione Henrici quodlib. 13. quæſt. 12. quam alii aliter interpretantur, docent vno conſenſu Theologi, beatitudinem noſtram, quam vocant formalem, eſſe operationem aliquam noſtram. ita S. Thomas, Conradus & recentiores Thomiſtæ hoc loco. Richardus. in 4. diſt. 49. art. 1. quæſt. 4. Scotus eadem diſt. quæſt. 2. Sotus. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 1. & alii. Cum quâ ſententiâ:

DICO I. Beatitudo formalis conſiſtit in aliquâ operatione. *Probatur. 1.* authoritate Ariſtotelis. lib. 10. Ethic. cap. 3. lib. 1. magnor. Moral. cap. 4. lib. 2. Magnor. Moral. cap. 10. lib. 7. Politic. cap. 3. quibus locis apertè docet beatitudinem noſtram non eſſe habitum, ſed operationem. *Deinde ratione.* Beatitudo formalis eſt vltima perfectio hominis; ſed vltima perfectio hominis eſt operatio: Ergo formalis beatitudo hominis eſt operatio. *Confirmatur.* Nã ſi formalis beatitudo hominis nõ eſſet aliqua operatio, ſequeretur hominem in ſomno, & nihil omnino operantẽ poſſe eſſe beatũ, quod meritò reputat abſurdum Ariſtoteles, 12. Metaphyſ. cap. 9. text. 51.

DICO II. Hæc operatio in quâ formalis beatitudo hominis conſiſtit, eſt immanens. *Patet*; Quia intrinſecè beato inhæret; alioquin enim eum non perficeret.

DICO III. Huiuſmodi operatio effectiuè emanat à beato. Eſt communis ſententia Theologorum in 3. diſt. 14. & in 4. diſt. 49. *Ratio eſt.* Quia eſt operatio vitalis; de cuius ratione eſt, vt procedat à principio interno & vitali.

OBIICIES I. Operatio, in quâ conſiſtit formalis beatitudo hominis, eſt ſupernaturalis; Ergo nõ poteſt effectiuè procedere à potentiâ naturali. *Reſpondeo.* Actiones ſupernaturales non poſſe prouenire à potentiâ naturali nudè & ſecundum vires naturales conſideratâ; poſſe tamen prouenire à potentiâ naturali eleuatâ per donum ſupernaturale; vt patet in actibus fidei & charitatis.

OBIICIES II. Habitus ſupernaturales à ſolo Deo produciũtur: Ergò etiam operationes. *Reſpondeo*: ne

gando conſequentiam; Quià operationes vitales intrinſecè poſtulant fieri à potentiâ interna & vitali, vnde vt fieri poſſint, eleuari debet potentia vitalis per habitum aliquem, aut concurſum ſupernaturalem. Quod quià non exigunt habitus ſupernaturales, poſſunt ij à ſolo DEO effici, ſicuti reipſa efficiuntur.

DISPVTATIO III.

In cuius potentiæ operatione beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtat?

TRES in Beatis operationes potiſſimùm conſiderantur: *Vna* intellectus, nempè viſio beatifica: & *duæ* voluntatis, ſcilicet amor beatificus, & delectatio. *Hinc dubitatur*, in quanam earum beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtat?

PRIMA SENTENTIA eſt Bonauent. in 4. diſt. 49. 1. part. diſtin. quæſt. 5. Alfonſi à Toleto. in 1. diſt. quæſt. 2 art. 2. & 3. Vegæ. 7. libr. ſuper concil. capit. 3. in principio. Qui exiſtimant omnes tres operationes æquè eſſentialiter ad beatitudinem pertinere. *Fundamentum* eorum eſt. Quià beatitudo eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus: At talis aggregatio eſſe non poteſt, ſi aliqua ex iis operationibus deſit: Ergò beatitudo omnes æquè eſſentialiter comprehendit. *Confirmatur* ex ſcriptura ſacrâ, quę interdum attribuit beatitudinem actui intellectus, vt Ioann. 16. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, &c.* interdum actui voluntatis. Matth. 25. *Intra in gaudium domini tui.* Quo quidem non obſcurè indicat, ad eſſentialem conſtitutionem beatitudinis operationes vtriuſque potentiæ requiri.

SECVNDA SENTENTIA, eſt Scoti in 4. diſt. 49. quæſt. 5. & Scotiſtarum; qui docent beatitudinem eſſentialiter conſiſtere in ſolo actu voluntatis, quo beatus DEVM clarè viſum ſummè amat.

PROBATVR HÆC SENTENTIA. I. Beatitudo eſt actus nobiliſſimæ potentiæ. 10. Ethic. cap. 7. At voluntas nobilior eſt intellectu: Ergò beatitudo potius actus voluntatis eſt, quàm intellectus. *Minor probatur.* Quià voluntas nobilius habet obiectum, quàm intellectus. Obiectum enim voluntatis eſt bonum; intellectus autem verum:

rum: sed bonum nobilius esse vero hinc constat; Tum quià bonũ est vltima perfectio rei; Vndè nihil potest esse bonum, quod alterum non perficiat; multa tamen sunt vera, quæ rei nullam afferunt perfectionem; Tum quia verum est aliquid particulare; bonũ autẽ vniuersale: Tum quia bonum habet rationem finis, verum rationem formæ; finis autem nobilior est formâ. At potentia, quæ nobilius habet obiectum, nobilior est. Ergò.

SECVNDO: Beatitudo debet cõsistere in perfectissimâ operatione: At operatio voluntatis perfectior est operatione intellectus: Tum quia actus charitatis, qui est voluntatis, est nobilior actu intellectus. 1. ad Corinth. cap. 13. Tum quià in supremo ordine angelorum collocantur Seraphin, qui dènominantur ab amore, nõ autem Cherubin, qui à scientiâ: Tum quià amor fertur in DEVM, prout in se est; cognitio verò, prout est in intellectu, DEVS autem perfectior est, prout in se; quàm prout in intellectu est: Tum quià priores sunt actus intellectus, quam voluntatis; quæ autem prius generantur, imperfectiora esse solent. Ergo beatitudo potius consistit in operatione voluntatis, quàm intellectus.

TERTIO: Beatitudo debet esse maxima vnio cum DEO; At amor magis vnit & coniungit cum DEO, quàm intellectio. Ergò.

POSTREMO: Summa pœna dãnatorum est tristitia, quæ est in voluntate; Ergò summa beatorũ felicitas erit lætitia, quæ est in voluntate.

TERTIA SENTENTIA est D. Thomæ hoc loco & Thomistarum; qui docent beatitudinem formalem essentialiter consistere in actu intellectus, qui est clara visio DEI, ad quam consequuntur amor & fruitio, tanquam proprietates quædam & complementum beatitudinis. *Pro cuius explicatione*:

NOTANDVM est: aliud esse, loqui de beatitudine quoad essentiã; & aliud, quoad integritatem suam, seu complementa. Controuersia præsens est de essentia beatitudinis; nimirum in quo essentialiter consistat beatitudo formalis: quanquàm multa alia subinde requirantur, quæ ad eius integritatem & complementum pertinent. *Hoc posito*:

DICO I. Beatitudo formalis, quoad naturam & essentiam suam, non consistit in pluribus, sed in vnâ tantum operatione. *Probatur*. Beatitudo essentialiter cõsistit in nobilissimâ operatione perfectissimæ potentiæ. libro 1.

Ethic. At non potest in homine esse nisi vna operatio, quæ sit nobilissima, & perfectissimæ potentię. Ergò beatitudo non potest essentialiter consistere nisi in vnâ operatione.

Dico II. Beatitudo formalis essentialiter consistit in eâ operatione, quæ est comprehensio Dei, & consecutio vltimi finis. Per comprehensionem non intelligo adęquatam Dei cognitionem, quoniam hæc creaturæ communicari non potest; sed consecutionem finis desiderati, iuxtà illud ad Philipp. 3. *sequor, si quando comprehendam, &c. Probatur.* Nam omnium confessione certum est, beatitudinem nostram essentialiter positam esse in consecutione seu possessione summi boni. Matth. 25. vers. 34. Luc. 10. vers. 25. 1. Corinth. 9. versi. 24. At hæc non est nisi consecutio vltimi finis, & comprehensio Dei. Ergò. *Confirmatur.* Beatitudo formalis non potest esse alia operatio, quàm illa, quâ formaliter apprehenditur & obtinetur beatitudo obiectiua, nempè Devs: Id autem habet prædicta comprehensio. Ergò.

Dico III. Ista comprehensio seu possessio vltimi finis, non est operatio aliqua voluntatis. *Probatur.* Nam si esset aliqua operatio voluntatis, vel esset amor ergà Devm, vel delectatio de Deo: At neutrum esse potest. Ergò. *Minor probatur.* Et primò de amore. Tum quià amor, vt amor est, non magis fertur in bonum præsens seu clarè visum notitiâ intuitiuâ, quàm in bonum absens, seu obscurè cognitum; Ergò amor, vt amor est, non est adeptio seu possessio summi boni: Tum quià amor patriæ, & amor viæ sunt eiusdem speciei, cum procedant ab eodem habitu, iuxtà illud 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Sed amor viæ non est comprehensio summi boni, vt omnes norunt. Ergò nec amor patriæ. *Deinde* idem constat de delectatione. Hæc enim supponit possessionem summi boni. Nam ideò beati delectantur, quià summum bonum obtinent. Ergò delectatio non est ipsa summi boni possessio.

Dico IV. Comprehensio hæc seu possessio summi boni, in quâ posita est beatitudo nostra formalis, est clara Dei visio; quæ cum operatio intellectus sit, sequitur beatitudinem formalem essentialiter consistere in operatione intellectus. *Probatur hæc conclusio.* Eatenùs dicimur rem aliquam aut obiectum possidere, & per operationem immanen-

manentem consequi, quatenùs illud facimus nobis obiectiuè præsens. Nam alia obiecti possessio & consecutio intrà genus operationum immanentium excogitari non potest. Vndè quo obiectum perfectiori modo fit præsens operanti, eò perfectior est illius possessio. Sed sola clara visio DEI est, quæ summum bonum, nempè DEVM, perfectissimè beatis obiicit, facitque præsens; est enim actualis & perfectissima eius repræsentatio. Ergò sola visio clara DEI est perfectissima consecutio ac possessio summi boni, ac proinde & beatitudo formalis.

AD FVNDAMENTVM primæ sententiæ *respondetur*. Descriptione illâ non essentiam beatitudinis solam; sed integrum & completum eius statum explicari. *Adde* eam de visione etiam posse intelligi. Nam visio beatifica, si non formaliter, caussaliter tamen, bonum omne continet; quià radix est, ex quâ necessariò oritur, quicquid ad integritatem & complementum beatitudinis pertinet.

AD CONFIRMATIONEM. Quià beatitudo completa & integra complectitur visionem, amorem, fruitionem &c. Scriptura iis subindè nominibus beatitudinem explicat, non quod essentialiter in omnibus iis sit posita. *Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Negatur minor. Nec difficile est, quæ ad eius confirmationem adducuntur, dissoluere. Nam *primò* falsum est, bonum nobilius esse vero; cum reipsâ sint vna eademque perfectio. *Secundò* falsum est, bonum vniuersalius esse vero, cum nullum sit bonum, quod non sit etiam verum. *Nec tertiò* verum est, bonum habere rationem finis; verum autem rationem formæ tantùm. Quia respectu potentiæ tàm verum est forma & finis intellectus; quàm bonum voluntatis. Obiectum enim cuiuscunque potentiæ potest dici finis, quatenùs potentia talis naturæ est, vt in obiectum tendat, potest etiam dici forma, quatenus est terminus quidam, qui eam specificat. Quod si bonum peculiari ratione dicitur finis id est respectu actionis, quæ illius gratiâ fit.

AD SECVNDVM, Neganda etiam minor est.

AD PRIMAM eius confirmationem. D. Paulus 1. Corinth. 13. loquitur non de actu, sed de habitu charitatis; qui quidem præstantior est, quocunque habitu intellectus, qui sunt

in viâ cum quibus comparat Apostolus eo loco charitatem; non tamen quocunque habitu intellectus, qui est in patriâ: nam lumen gloriæ nobilius est charitate.

Ad alteram confirmationem. Diuisio illa ordinum facta est in viâ Angelorum, in quâ amor charitatis in genere moris præstabat scientiæ, vt qui magis erat meritorius. At visio beatifica non est operatio viæ, sed patriæ; quæ cum procedat à lumine gloriæ, nobilior est omni operatione voluntatis.

Ad tertiam. Visio beatifica fertur in Devm prout in se est (Devs enim videnti repræsentatur eodem prorsus modo, quo est in se) cum sit cognitio eius intuitiua. Voluntas autem tametsi tendat ad rem secundum se, non tamen fertur in illam, nisi prout sibi præsẽtatam per intellectum; nec potest facere sibi rem præsentem, aut sine ope intellectus in illam ferri.

Ad quartam. Non quicquid prius est generatione, ignobilius est eo, quod posterius est. Substantia enim prior generatione est, quàm accidens, & tamen non est ignobilior. Sed tunc solum, quæ prius generantur, solent esse imperfectiora, quandò res aliqua non tota simul producitur; quo pacto embrio imperfectior est homine; id quod in aliis etiam generationibus naturalibus accidit, de quibus loquitur Aristoteles. 1. Metaphys.

Ad tertium argumentum: Vnio cognitionis maior est, quã amoris. Nam visio beatifica magis immediatè attingit Devm, quàm amor; attingit enim Devm prout in seipso est, amor autẽ prout præsentatum sibi à visione. *Vbi denuò*

Nota: Intellectum eius esse naturæ, vt per se attingat obiectũ suum, neque indigere præuiâ aliquâ potentiâ aut operatione, vt possit operari circà obiectum suum, & habere illud præsens. Id non competit voluntati; quæ per se sufficiens non est, vt habeat obiectum sibi præsens, sed indiget aliâ potentiâ prius operante.

Ad postremum. Vt maxima pœna damnatorum est carentia visionis beatificæ, quæ dicitur pœna damni, ex quâ sequitur tristitia: Ità summa beatorum felicitas est visio beatifica, ex quâ oritur delectatio.

QVAE-

QVAESTIO IV.

De his, quæ ad beatitudinem exiguntur.

OCTO SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum delectatio requiratur ad Beatitudinē?* CONCLVSIO est. Delectatio requiritur necessariò ad beatitudinem, tanquam aliquid consequens essentiam, & rationem beatitudinis.

ARTICVLO II. *Vtrum in beatitudine sit principalior visio, quàm delectatio?* CONCLVSIO est. Principalior est in beatitudine visio, quàm delectatio. *Ratio est.* Quià visio causa est & obiectum delectationis. Vnde visio non quæritur propter delectationem; sed hæc oritur ex visione, tanquam ex summo & perfectissimo nostro bono.

ARTICVLO III. *Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio?* CONCLVSIO est affirmans. Vbi OBSERVA PRIMO; nomine comprehensionis nihil aliud intelligi, quàm tentionem seu consecutionem vltimi finis. iuxta illud 1. ad Corinth. 9. *Sic currite vt comprehendatis.* OBSERVA SECVNDO. D. Thomam in responsione ad secundum, non eâ ratione asserere comprehensionem pertinere ad voluntatem, quasi sit actus eius: sed quià sicuti voluntas antè cōprehensionem dicebatur desiderare & sperare finem ; ità post comprehensionem dicitur tenere & possidere quod sperabat; nō quidem per se, sed per intellectū, quemadmodum non desiderabat habere in se, sed in intellectu. Itaque visio, vt per eam voluntas dicitur possidere, quod anteà sperabat, dicitur à D. Thomâ comprehensio.

ARTICVLO IV. *Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo volūtatis?* CONCLVSIO I. est. Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem antecedenter: hoc est, nemo beatitudinem assequitur, nisi rectâ & à peccatis repurgatâ voluntate, iuxtà illud Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* CONCLVSIO II. Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem tanquam effectus ad eam consequens: Quià beatus quicquid amat, necessariò amat in ordine ad DEVM. At hic ordo facit rectitudinem voluntatis. Ergò.

ARTICVLO V. *Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus?* CONCLVSIO est. Ad beatitudinem perfectam, qualis est ea, quæ consistit in clarâ DEI visione, non requiritur corpus.

ARTICVLO VI. VII. VIII. *Vtrum ad beatitudinem requiratur perfectio aliqua corporis, bona externa, aut amicorum societas?* RESPONDET D. Thomas cum distinctione. Nempè, ea ad beatitudinem huius vitæ necessaria esse; non autem ad beatitudinem vitæ alterius.

DISPVTATIO I.

Vtrum voluntas eius, qui clarè DEVM videt, necessariò Deum amet, & de eo delectetur; an verò cessare possit ab actu amoris & delectationis?

PRIMA SENTENTIA est Scoti in 1. dist. 1. quæst. 4. & in 4. dist. 49. quæst. 6. qui existimat, amorem clarè DEVM videntis absolutè liberum & contingentem esse; & tantum esse necessarium ex suppositione, quia DEVS nolit ad eius suspensionem concurrere. *Probatur hæc sententia primò.* Beatitudo saluā & illæsam relinquit naturam voluntatis, vtpotè quam nō tollit, sed perficit. At voluntas ex suâ naturâ est libera; Ergo etiā in beatis manet libera; ac proindè indifferens ad amādum & non amandum. *Secundò.* Voluntas in hac vitâ circà bonū libera est quoad exercitium, quia videlicet a volitione eius potest desistere. Ergò similiter in vitâ alterâ. *Tertiò.* Maior coniunctio agentis cum obiecto non mutat actionē, sed tantum reddit expeditiorem: Ergò etiamsi obiectum in patriâ sit maximè coniunctum voluntati, eius coniunctio nō faciet actionem voluntatis, quæ ex se libera est, necessariam. *Quartò.* Principium à quo procedit amor in patriâ nō operatur necessariò; Ergò operatio eius seu dilectio non est necessaria. *Consequentia patet.* Quia ab eo prouenit necessitas operandi, à quo procedit ipsa operatio. *Antecedēs probatur.* Habitus Charitatis est principiū amoris in patria. At hæc non necessariò elicit amorem, quià eadē omninò est, quę erat in viâ, vbi nō necessariò operabatur; Ergo principium, a quo procedit amor in patriâ, non operatur necessariò.

Secvnda et commvnis sententia est, voluntatem creatam in patriâ ità necessariò ferri in Devm clarè visum, vt non possit ipsum non diligere, & de ipso, vt proprio bono, delectari. Ita D. Thomas.3.contrà gent.cap.62.& ibi Ferrar. Capreol.in 1.dist. 1. qu. 3.art.1.conclus.4.& 5. Durand. in 4.dist.48.quæst.2.& dist. 49. quæ. 8. Paludanus quæst.7.art.2. num. 22. Caiet.1.part.quæst 82.art. 1. & 2.sub finē.*Pro cuius explicatione*:

Notandvm est: De absolutâ potentiâ Dei non repugnare, vt aliquis videat Devm clarè, nec tamen amet illum, vel de eo delectetur. Tū quià visio per se prior est amore & delectatione, ac proinde positâ visione possunt posteriores ij duo actus à Deo impediri: Tum quia potest Deus concurrere ad actum visionis nō concurrendo ad actū amoris, aut delectationis. *Nec refert*, quod ij qui contrà opinantur, dicant se loqui de visione, vt est practica. Nā ratio practici & speculatiui nō distinguuntur realiter in visione, ac proindè nō potest realiter manere visio secundum vnam rationem, & non secundum aliam. Itaquè præsens controuersia tantum est de lege Dei ordinariâ: *Vtrum scilicet ex clarâ DEI visione, relictâ naturæ suæ, naturaliter & necessariò sequatur in voluntate beatorum amor & delectatio? an verò contingenter tantum & liberè?*

Dico. Voluntas beatorum, positâ clarâ Dei visione, ita necessariò Devm amat, vt nulla maneat in eâ libertas ad non amandum, seu ad cessandū ab amore. *Ratio est*. Vt voluntas possit cohibere se ab affectu & amore ergà obiectum ab intellectu sibi præsentatum & propositum, necesse est, vt vel in ipso obiecto, vel in affectu & amore ergà obiectū apparere possit aliqua ratio mali: Nam sicuti nihil desiderare potest volūtas nisi sub ratione boni: sic etiā nihil refugere nisi sub ratione mali: At visio clara Dei, ita Deū offert & repræsentat voluntati beatorū, vt neque in Deo ipso, neque in affectu & amore ergà Devm vlla possit apparere ratio mali; Nam & in ipso Deo, ostendit summam rationem boni; & ità suauem facit affectum diligendi Devm, vt in eo nulla possit apparere ratio tædij, aut impedimentum boni maioris, quæ sola potest esse caussa cessationis: Ergò positâ clarâ Dei visione, non est in potestate beati, vt ab affectu Devm amandi se cohibeat, aut cesset. *Hæc ratio* probat Devm à beatis amari necessariò, vtroque genere necessitatis, tam quoad specificationem, quā quoad exercitiū. Quoad specificationē quidē, quia ità Devm

amant, vt non possint eum odisse, seu actum elicere amori DEI contrarium. Quoad exercitium verò; quià ità DEVM amant, vt nō possint ab actu dilectionis desistere. Quod de amore dictum est, idem ob eandem rationem dicendum est de delectatione. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM Non mutatur natura voluntatis. Huic enim vterque modus operandi competit; & per modum naturæ; hoc est, cum determinatione ad vnam partem; & per modum voluntatis; id est, cum indifferentiâ & libertate. Quæ varietas pendet à diuersâ propositione intellectus. Nam quando voluntati obiectū ità proponitur, vt in eo possit apparere aliqua ratio mali; libera est circa illud tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem; ita vt ipsum possit non tantū nō diligere, sed etiam odio habere. *Quando* verò non in ipso obiecto, sed in actu tantum & exercitio circa obiectū potest apparere ratio mali; libera est quoad exercitiū tantùm. *Quando autem* neque in ipso obiecto proposito, neque in actu & exercitio circà obiectum potest apparere aliqua ratio mali, tum neque quoad exercitium, neque quoad specificationem libera est, sed necessitatur ad amandum obiectum, tam quoad specificationem, ità vt illud odisse nequeat; quam quoad exercitium, ità vt nequeat ab amore eius desistere.

AD SECVNDVM: negatur consequentia: Quia in hac vita non semper actu repræsentatur obiectum, sicuti in vita alterâ.

AD TERTIVM: Negatur antecedens, si coniunctio talis sit, vt non sit conditio tantum requisita ad operandum, sed etiam aliquid ipsius obiecti; quatenus per eam obiectum vno aut altero modo apparet; videlicet vel sub omni ratione boni, tam in se, quam in actu & exercitio circà se; vel sub aliquâ ratione mali; sic enim variat modum operandi voluntatis, vt ab eâ operatio aut necessariò, aut liberè prodeat.

AD QVARTVM. Necessitas, quâ voluntas in patriâ fertur in DEVM, non prouenit ab habitu charitatis, sed ab internâ & natiuâ virtute voluntatis; cui pro diuersâ obiecti propositione conuenit vterque modus operandi, vel cum determinatione ad vnam partem; vel cum indifferentia ad vtramque, vt dictum est.

DIS-

DISPVTATIO II.

Vndè proueniat vt beati peccare nequeant?

BEATOS Impeccabiles esse, non tantum omnium consensus Scholasticorum, sed & fides docet. Nam si peccatum possent admittere, possent beatitudinem suam amittere: Vnde beatitudo non esset vita æterna; neque hæreditas incorruptibilis, & incontaminata; quod tamen fides docet. Ioann. 16. & 1. Petr. 1. Sed controuersia est, *quænam sit causa & ratio huius impeccabilitatis?*

PRIMA SENTENTIA est Scoti in 4. dist. 49. quæst. 6. §. *Dico ergo.* qui existimat à solâ extrinsecâ DEI ordinatione prouenire, vt beati peccare nequeant: eò quòd DEVS statuerit non concurrere cum beatis ad aliquā actionem, quæ mala & peccatum sit. Vndè infert, seclusâ extrinsecâ DEI lege, nec visionem beatificam, nec quidquàm aliud, quod in beatis est, impedire aut facere posse, quin deflectere à rectâ ratione, & peccare possint. *Fundamentum Scoti est.* Nec visio beatifica, nec quodcunque aliud donum supernaturale in beato, destruit naturam voluntatis: sed voluntas suaptè naturâ libera est ad peccandum & non peccandum. Ergo (nisi extrinsecâ DEI ordinatione impediatur) nec visio beatifica, nec quodcunque aliud donum supernaturale in beato efficiet, quin voluntas eius deficere & peccare queat.

SECVNDA & verior Sententia est Beatos in se habere principiū & caussam suæ impeccabilitatis; nempè claram DEI visionem. Ità docent D. Thomas, Caietanus, & Thomistæ recentiores hoc loco. art. 4. Richard. in 2. dist. 7. art. 1. quæst. 1. Durād. ibid quæst. 1. & dist. 23. quæst. 1. Maior in 4. distin. 49. quæst. 8. Scotus ibid. quæst. 3. a 4. Paludanus q. 7. art. 2. Cum quā sententiā:

DICO: A clarâ DEI visione prouenit, vt beati peccare nequeant. *Probatur.* Visio omnem potentiam peccandi à beatis aufert; Ergò à visione prouenit, vt peccare beati nequeant. Consequentia euidens est. Antecedens ostenditur duplici viâ. *Prima est.* Ex visione necessariò sequitur actualis DEI amor, à quo cessare beati nunquam possunt. At qui semper & actu DEVM amat, præsertim

perfectissimo amore amicitiæ, qualis est amor beatorum in patriâ, nunquàm peccare potest. Ergò visio, mediante saltē amore, omnem secludit à beatis potentiam peccandi. *Maior constat* ex disputatione superiore. *Minor probatur*. Quià non potest cum perfectissimo amore amicitiæ ergà DEVM vllum peccatum consistere. Non mortale, vt per se patet; hoc enim tollit & dissoluit amicitiam DEI. Nec veniale. Nam quamuis peccatum veniale naturâ suâ non pugnet cum quacūque dilectione charitatis; pugnat tamen cum eâ, quam habent beati in patriâ, quæ cum perfectissima sit & perpetua, efficit vt beatus peccare venialiter non possit. Vide quæ de hac re disputant Doctores in 3. part. quæst. 87. art. 5. *Altera via est:* Visio beatifica, etiā si ex eâ nō sequeretur amor charitatis ergà DEVM, vi suâ & efficacitate ita voluntatem beati ad bonum determinat, vt ab eo nunquàm deuiare possit: Ergò beati vi visionis habent, vt peccare nequeant. Consequentia clara est. *Antecedens probatur*. Visio beatifica bonitatem essentiæ diuinæ longè perfectius & excellentius repræsentat voluntati beatorum; quam cognitio in viâ repræsentet bonum in communi voluntati viatoris: sed cognitio in viâ ita repræsentat & proponit bonum in communi voluntati viatoris, vt quicquid hæc vult & amat, necessariò velit & amet in ordine ad bonum in communi. Ergò visio beatifica bonitatem essentiæ diuinæ ita offert & repræsentat voluntati beatorum, vt quicquid hæc vult & amat, necessariò velit & amet in ordine ad bonitatem essentiæ diuinæ; ac proinde vt nunquam deuiare à bono, & peccare possit. *Ad argumenti huius confirmationem*. NOTA cum Caietano hoc loco: In bonitate DEI clarè visâ à beatis, longè excellentius & melius contineri omnem rationem boni, seu omnia bona particularia; quàm in bono in communi cognito à viatoribus obscurè & abstractiuè. Nam in DEI bonitate continentur eminenter, ac proindè perfectiori modo, quam sint in seipsis; in bono autem in communi, non continentur eminenter, sed tantùm imperfectè, sicuti species continetur in genere. *Vndè* bonitas DEI clarè visa potentior est ad continendam volūtatem in patriâ, ne velle possit aliquid à DEI bonitate denians; quam sit ratio boni in communi obscurè & abstractiuè cognita, ad continendā voluntatē in viâ, ne velle possit aliquid, ꝙ subterfugiat rationē boni in cōmuni.

Ad Fundamentum Scoti responsum est disputatione superiore; vbi ostendimus non destrui naturam voluntatis ex eo, quod pro diuersâ propositione obiecti operetur nunc necessariò, nunc liberè. *Adde:* Peccare posse non esse de ratione libertatis, vt alibi videbimus.

QVAESTIO V.

De adeptione Beatitudinis.

OCTO SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum homo posit cõsequi beatitudinẽ?* CONCLVSIO est affirmans, & de fide. Nam certũ est aliquos iam reipsâ beatos esse, & alios beandos esse visione ipsâ Dei.

ARTICVLO II. *Vtrum vnus homo posit esse beatior altero?* CONCLVSIO est affirmãs, & de fide. De quâ satis dictum est à nobis. 1. part. quæst. 12. disp. 7.

ARTICVLO III. *Vtrum aliquis in hac vitâ posit esse beatus?* CONCLVSIO est. Non potest secundum legem Dei ordinariam vera beatitudo obtineri in hac vitâ. Exodi 33. *Non videbit me homo & viuet.* Id est, dum viuit, iuxtà expositionem D. Gregorij. 18. Moral. cap. 38. In Christo autem priuilegium extraordinarium fuit, quod simul esset viator, & comprehensor; De quo in tertiâ parte.

ARTICVLO IV. *Vtrum beatitudo habita posit amitti?* CONCLVSIO est. Beatitudo imperfecta huius vitæ, tam actiua, quam contemplatiua potest amitti; at beatitudo perfecta alterius vitæ semel obtenta, amitti non potest.

ARTICVLO V. *Vtrum homo per sua naturalia posit acquirere beatitudinem?* CONCLVSIO est. Non potest homo beatitudinem illam, quæ consistit in clarâ Dei visione, naturæ viribus assequi. Hæc doctrina statuitur aduersus errorem Begardorum & Beguinarum, qui asserebant, quamlibet naturam intellectualem per seipsam posse fieri beatam. Vide Alphons. de Castro. Verbo Beatitudo. hæres. 4. D. Thom. 3. contrà gent. cap. 52. & Scholasticos in 4. dist. 49.

ARTICVLO VI. *Vtrum homo cõsequatur beatitudinẽ per actionem alicuius superioris creaturæ?* CON-

CLVSIO est. Cum beatitudo sit quoddam bonum excedens naturam creatam, impossibile est eã conferri actione alicuius naturæ creatæ.

ARTICVLO VII. *Vtrum ad beatitudinem consequendam requirantur bona opera?* CONCLVSIO est. Solus DEVS naturâ suâ & essentialiter beatus est. Angeli, propiùs ad diuinæ naturæ perfectionem accedẽtes, vnico motu beatitudinẽ sunt assecuti; quam per plures motus & actiones meritorias ab hominibus adultis obtineri DEVS voluit.

ARTICVLO VIII. *Vtrum omnis homo appetat beatitudinem?* CONCLVSIO est. Omnes homines appetunt beatitudinem in vniuersum; beatitudinem tamen in particulari non omnes appetũt. Hanc differentiam ex eo prouenire inquit D. Thomas, quod omnes cognoscunt beatitudinẽ in communi, non tamen omnes cognoscunt rem illam in particulari, cui ratio beatitudinis conuenit; quia si cognoscerent, sanè nemo esset, qui eam non appeteret.

DISPVTATIO I.

Vndenàm oriatur, vt beatitudo semel possessa amitti nequeat?

BEATITVDINEM, quę consistit in clarâ DEI visione, perpetuam fore fide certum est. *Constat* ex multis scripturæ locis. Sapient. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Ecclesiast. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam possidebunt.* Matth. 25, *Ibunt iusti in vitam æternam.* Ad Rom. 6. *Gratia DEI vita æterna.* Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur.*

DIFFICVLTAS TANTVM est: *Quæ sit ratio huius perpetuitatis?* seu, vndè habeat beatitudo, vt semel obtenta amitti & corrumpi nequeat, an ex se & naturâ suâ, an verò solâ extrinsecâ lege & ordinatione DEI? *Ratio difficultatis est.* Nam graues Theologi sentiunt Paulo & Moysi in hac vitâ obtigisse claram diuinæ essentiæ visionem: Illa eiusdem rationis fuit cum visione beatorum, cum idẽ

habuerit obiectum; & suapte naturâ corruptibilis, alioquin miraculosa fuisset eius desitio; Ergò etiam visio beatorum ex se & naturâ suâ talis est, vt amitti & corrumpi possit.

VERA NIHILOMINVS ET COMMVNIS SENTENTIA THEOLOGORVM est, beatitudinē ex se & naturâ suâ perpetuam esse, ità vt semel possessa desinere & amitti nequeat. *Probatur.* Beatitudo quæ consistit in clarâ DEI visione, semel possessa, & naturæ suæ relicta, omnem rationē excludit, per quā possit desinere: Ergò suaptè naturâ perpetua est & inamissibilis. Cōsequētia clara est. *Antecedens probatur.* Triplex ratio seu via amissibilitatis eius excogitari potest: *Vel* quià volūtas beatorū possit ab eâ desistere; *vel* quià possit eam perdere DEO subtrahente; *vel* quia alterius virtute agentis possit tolli & corrumpi. Has omnes rationes excludit visio beatifica semel obtenta & relicta naturæ suæ. *Primam* quidem, quia voluntas beatorum nullam potest in visione beatifica inuenire rationem mali, ob quam possit ab eâ desistere: *Alteram*, quià cum subtractio beatitudinis sit quædā pœna, non potest talis subtractio à DEO iusto iudice prouenire nisi pro aliquâ culpâ; At beati, vt suprà vidimus, nullam possunt culpam admittere. *Tertiam*, quià mens DEO coniuncta per visionem beatificam eleuatur supra efficaciam cuiuscunque agentis creati, ac proindè nulla virtus agentis naturalis potest attingere eius destructionem. *Ad rationem difficultatis initio propositam respōdetur*: Visionem essentiæ diuinæ, si in hac vitâ mortali Paulo & Moysi obtigit (cuius oppositum verius esse primâ part. quæst. 12. vidimus) non naturâ suâ, sed miraculosè desiisse; sicuti non nisi miraculosè & præter consuetum modum fuit communicata.

DISPVTATIO II.

Vtrum in homine sit appetitus naturalis ad visionem beatificam.

DVPLEX solet distingui appetitus: Vnus innatus; alter elicitus. *Appetitus innatus* est inclinatio naturaliter rebus indita, quâ vnaquæq; absque vllâ præuiâ cognitione, in bonum suum propensa est. *Appetitus elicitus*

est actio facultatis appetentis, quâ fertur in bonum præuiâ cognitione apprehensum. *Prior* appetitus simpliciter & propriè naturalis est, quià ex ipsâ rerum naturâ oritur. *Alter* dici potest naturalis, duplici sensu: *Primò*, quià natiua virtute facultatis appetentis, citrà auxilium supernaturale, eliciatur; *Deindè*, quia necessarius sit & non liber. *Hoc posito*:

Dico I. Non est in homine appetitus innatus ad visionem beatificam. *Probatur*. Appetitus innatus propriè & simpliciter naturalis est: Sed non est in homine propensio naturalis ad visionem beatificam: Ergò nec appetitus innatus. *Minor* ex eo patet, quia visio beatifica nullo modo naturalis est. Ergò nec appetitus ad illam naturalis esse potest; quia hic appetitus solùm est ad ea, quæ naturalia sunt. *Confirmatur*. Appetitus naturalis semper fundatur, seu potius idem est cum potentiâ naturali, vel actiuâ, vel saltē passiuâ, cui semper aliqua actiua naturalis respondet, iuxtà doctrinam Aristotelis 9. Metaphys. cap. 1. & 3. de Anima. c. 5. Sed nulla est in homine ad visionem beatificam potentia naturalis: Ergò nullus etiam appetitus naturalis. *Confirmatur secundò*. Si natura homini indidisset naturalem propensionem ad claram diuinæ naturæ contemplationem, tribuisset etiam instrumēta, & media ad eius consecutionem sufficientia & necessaria: At hæc non tribuit, ergò nec illam. Non absimili argumento vtitur Aristoteles lib. 2. de Cælo cap. 8. vt demonstret, Astra non moueri motu progressiuo, neque ad eiusmodi motum naturali appetitu ferri. Nam absurdum esse, inquit, naturam quæ nihil temerè facit, nulla illis ad eum motum obeundum organa suppeditasse, cumque eâ in re prouiderit animalibus, adeò præstantes naturas neglexisse.

Obiicies. I. Quælibet potentia naturaliter appetit suam perfectionem, & præcipuè maximam, At visio beatifica est maxima perfectio intellectus nostri: Ergò intellectus noster eam naturaliter appetit. *Respondeo*. Quælibet potentia naturaliter appetit perfectionem suam naturalem. At visio beatifica non est perfectio naturalis intellectus humani, sed supernaturalis. Vndè fit, vt intellectus humanus non habeat appetitum naturalē ad eam, sed tantùm capacitatē & potentiam obedientialem.

Obiicies. II. Est in homine naturalis appetitus ad veram beatitudinem. Sed vera beatitudo consistit in solâ visione beatificâ. Ergò in homine

naturalis

naturalis appetitus est ad visionem beatificam. *Respondeo.* In homine naturalis appetitus est ad beatitudinem naturalē; nempè ad cognitionem omnium veritatum naturaliter cognoscibilium; sicuti in materiâ primâ appetitus est ad omnes formas naturaliter introducibiles; non autem ad beatitudinem supernaturalem, cuiusmodi est visio beatifica.

Dico Secundo: Est in homine appetitus elicitus ad claram Dei visionem; qui eo sensu naturalis dici potest, quo naturale opponitur libero, & idē est, quod necessarium. Ex dictis enim satis constat vtrumque modum operandi voluntati conuenire; & necessariò, & liberè. *Porrò* cum duplex sit modus operandi cum necessitate; *alter* quoad exercitium, quandò voluntas ità aliquid appetit, vt possit illud non appetere; *alter* quoad specificationē; quandò ità aliquid amat, vt non possit illud odisse, seu actum elicere amori contrarium: priori modo non est naturalis & necessarius appetitus elicitus voluntatis nostræ ad visionem beatificam; Potest enim voluntas ab eiusmodi appetitione cessare, sicuti non raro ab omni affectu actuali cessat. At posteriori modo, cum voluntas ita visionem beatificam appetat, vt non possit eam odisse, iure dicitur eius appetitus naturalis & necessarius.

Obiicies. Potest voluntas odio habere scientiam; Ergò etiam visionem beatificam. *Respondeo.* Si scientia & visio considerētur prout in se sunt, non possunt odio haberi; quia non potest in iis ità consideratis apparere aliqua ratio mali. Solùm odio haberi possunt ratione laborum & difficultatum ipsis accidētariè coniunctarum. Quod non obstat, quin secundum se necessariò appetantur quoad specificationem, ac proindè & naturaliter.

QVAESTIO VI.

De voluntario & inuoluntario.

OCTO SVNT QVAESTIONIS huius articuli.

Articulo I. quærit D. Thomas: *Vtrum in actibus humanis voluntariū inueniatur?* Conclusio est affirmans.

Articulo II. *Vtrū voluntariū inueniatur in animalibus brutis?*

Conclvsio est. Soli naturæ rationali conuenit voluntarium secundum perfectam rationem; at verò secundum rationem imperfectam conuenit etiam brutis.

Circa doctrinã vtriusque articuli obserua: Quatuor gradus voluntarij distingui. *Primus est*, qui sequitur apprehensionem sensitiuam; qui cum non sit à voluntate, sed ab appetitu sensitiuo sequente cognitionem sensitiuã, non sortitur appellationem voluntarij formaliter, sed tantùm participatiuè, vt docet D. Thomas art. 2. in respons. ad I. Appetitus enim sensitiuus est participatio quædam voluntatis, quatenùs non elicit actum nisi præuiâ cognitione. *Quæ caussa est*, vt hic gradus spontanei potius, quàm voluntarij nomen obtineat: Ita vt spõtaneũ sit, quod est ab intrinseco principio, præuiâ quacunque cognitione; Voluntarium verò, quod est à voluntate, præuiâ cognitione intellectiuâ. *Reliqui* tres gradus sunt à volũtate sequẽte cognitionem intellectiuã. *Ex his* primus est, quandò voluntarium à voluntate quidem procedit, sed merè naturaliter, & non liberè. Sic amor, quo Devs diligit seipsum, & quo beati Devm amant, voluntarius est. *Alter est*, quandò à voluntate procedit nõ merè naturaliter, sed cum aliquali libertate, quanquam citrà præuiam deliberationem. Sic actiones puerorum & amentium, & aliæ indeliberatæ, dicuntur voluntariæ. *Tertius* & postremus est, quandò proficiscitur à voluntate deliberatâ; id est, ab eâ, quæ sequitur perfectam cognitionem finis. Est autem perfecta cognitio finis, quandò quis ita finem apprehendit, vt non subitò in ipsum impellatur, sed ex deliberatione. *Quo pacto* voluntariũ dicitur, quod est à libero arbitrio; hoc est, à voluntate, vt liberè operante. Et hic gradus est, quem vt præcipuum in hac materiâ assignat D. Thomas hoc loco, & qui cernitur in actibus humanis; à quo habent, vt sint digni laude vel vituperio, appellaturque à D. Thomâ voluntarium secundum perfectam rationem voluntarij. Eum definit Almaynus tractatu. 1. moralium cap. 1. his verbis: *Est operatio vel omissio ità existens in potestate agentis, vt positis omnibus præuiis & requisitis ad illam, poni possit ab agente aut non poni.*

Articvlo III. *Vtrum voluntarium possit esse absq; omni actu?* Conclvsio est. Voluntarium quod dici solet, directè, non potest esse sine actu; Voluntarium verò, quod dicitur, indirectè, potest esse absque omni actu.

Vbi observa; Voluntariū accipi à D. Thomâ iuxtà quartū gradū paullò antè explicatū; nempè pro eo, quod est à voluntate deliberatâ. Ex iis autem, quæ hoc modo voluntaria dicuntur, quædam directè, quædam verò indirectè voluntaria sunt. Directè voluntaria ea sunt, quorum expressa & directa est in operante voluntas; Indirectè autem voluntaria, quæ tametsi non explicitè ab operante intendantur, oriuntur tamen ab aliquo directè voluntario. Id quod exemplis in progressu planum fiet.

Quærunt hoc loco theologi: An vt omissio voluntaria sit, necesse sit, vt omittens obligetur ad faciendum id, quod omittit? *Respondeo* breuiter; negando. *Ratio est.* Quia obligatio non est de ratione voluntarij. Tam enim est in potestate voluntatis deliberatæ omissio eius, ad quod quis non obligatur, quam omissio eius, ad quod obligatur. Exempli gratiâ. Omissio sacri audiēdi eo die, quo audire illud non obligamur; ac eo die, quo ad auditionem eius præcepto adstringimur. Eatenù autem dicitur aliquid voluntarium, quatenus est in potestate voluntatis deliberatæ. Ergò vt omissio voluntaria sit, non requiritur obligatio ad præstandum id, quod omittitur. Quod si D. Thomas videtur ad omissionem voluntariam etiam obligationem hoc loco requirere; non ideò eam exigit, vt omissio absolutè voluntaria sit; sed vt imputari ad culpam possit.

Articvlo IV. *Vtrum violentia voluntati possit inferri?* Conclvsio est. Voluntas vim pati potest quoad actus imperatos, non autem quoad actus elicitos.

Articvlo V. *Vtrum violentia causset inuoluntarium?* Conclvsio est affirmans. Hanc probat D. Thomas. Voluntarium est à principio intrinseco; violentia verò à principio extrinseco; ac proindè facit aliquid esse contrà voluntatem; quod autem contrà voluntatem est, dicitur esse inuoluntarium; Ergò violentia caussat inuoluntarium.

Articvlo VI. *Vtrum metus causset inuolūtariū?* Conclvsio est. Quod per metum fit, simpliciter voluntarium est; secundum quid autem inuolūtarium.

Articvlo VII. *Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium?* Conclvsio est. Concupiscentia non caussat inuoluntarium, sed magis facit aliquid uoluntarium. *Hanc probat.* Concupiscentia facit, vt bonum concupitum appareat magis bonum. Ergò caussa est, vt voluntas efficacius feratur in bonum concupitum.

ARTICVLO VIII. *Vtrum ignorantia causset inuoluntarium?* CONCLVSIO PRIMA est. Ignorantia comitans non facit inuoluntariũ, facit tamen non voluntarium. CONCLVSIO SECVNDA. Ignorantia consequens non facit simpliciter inuoluntarium, sed inuoluntarium secundum quid. CONCLVSIO TERTIA. Ignorantia antecedens caussat inuoluntarium simpliciter.

DISPVTATIO I.

Vtrum voluntas possit vim pati?

FACVLTAS aliqua vim & coactionem tum patitur, quandò aliquid recipit aut patitur contrà internum impetum & inclinationem. Vndè Aristoteles.3.Ethic.c.1.violentũ definit, *quod est ab intrinseco principio, passo nõ conferente vim*, idest passo resistente & renitente. Ad violentiã enim requiritur contrarius impetus & conatus ex parte eius, qui vim patitur. Nam si passum ita solùm se habeat, vt nihil agat, neque porrò etiam resistat & reluctetur, non potest dici vim aut coactionem pati; nisi velimus & lucem aëri, & formam omnem supernaturalem homini esse violẽtam; quod nemo citrà manifestam absurditatis notam dicet.

HINC CONTROVERSIA est: *Vtrũ aliqua operatio aut etiam cessatio ab operatione possit esse voluntati violẽta?* Quam subsequẽtibus assertionibus breuiter resoluemus.

DICO I. Non potest vlla operatio à volũtate elicita, volũtati esse violenta: seu quod idem est, non potest volũtas cogi, quoad actus elicitos. Actus volũtatis elicitos voco, qui ab ipsâ voluntate vitaliter & effectiuè emanant. *Ratio assertionis est.* Nam cum actus eliciti voluntatis effectiuè à voluntate fluant, immò sint ipsa actualis inclinatio voluntatis, implicat contradictionem, vt sint contrà impetum & inclinationem voluntatis, ac proinde vt coacti aut violenti sint.

ID quod de voluntate diximus, de aliis etiam potentiis dicendum est; vt sicuti voluntas non potest cogi in aliquo actu ab ipsâ elicito; ita nec aliæ potentiæ. *Ratio eadem est.* Nam actus, qui est secundum inclinationem rei, nõ potest respectu illius esse violentus; sed sicuti actus voluntatis est secundum inclinationem voluntatis; ita actus aliarum potentiarum

tiarum

tiarum sunt secundum inclinationem earum; cum vnaquæque potentia propensa & inclinata sit ad suum actum: Ergò sicut actus elicitus à voluntate non potest esse voluntati violentus; itâ nec actus cuiusuis alterius potentiæ potest esse potentiæ, à quâ elicitur, violentus.

Dico II. Potest cessatio ab operatione eliciendâ voluntati violenta esse. *Probatur.* Potest fieri diuinâ virtute, vt voluntas beati clarè Devm intuentis, impediatur ab eliciendo amore beatifico; vt si Devs subtrahat concursum suum ad eius productionem necessarium: Sed talis cessatio ab amore beatifico violenta esset voluntati beatorum; Ergò potest fieri diuinâ virtute, vt cessatio ab operatione elicienda voluntati violenta sit. *Minor probatur.* Nam voluntas beati, positâ visione beatificâ, non minus prompta & inclinata est ad eliciendum amorem beatificum, quàm lapis extrà locum suum positus ad descensum deorsum; sed lapidi, si impediatur ne contrà hanc inclinationem suam descendat, cessatio à descensu violenta est, Ergò & voluntati beatorum, si positâ visione beatificâ impediatur, ne contrà inclinationem suam eliciat amorem beatificum, cessatio ab amore beatifico violenta erit.

Dico III. Potest tam operatio imperata, quàm etiam cessatio ab eâ voluntati esse violenta: seu, quod idem est; potest voluntas cogi quoad actus imperatos. Voco actus imperatos voluntatis, qui non ab ipsâ voluntate, sed ab aliis potentiis, quæ imperio voluntatis subiacent, eliciuntur. *Ratio assertionis est.* Possunt potentiæ imperio voluntatis subiectæ, seu membra externa, in quibus potentiæ eæ resident, recipere motum aliquem ab agente extrinseco contrà imperium & inclinationem voluntatis, seu resistente voluntate; vt si violenter arrepta manus mea moueatur contrà meam voluntatem. Possunt item per vim agentis extrinseci impediri, ne exerceãt operationes, ad quas ex imperio & inclinatione voluntatis mouebantur; vt si imperante voluntate ambulationem, pedes, & vis motiua in iis residens, externâ quadam vi impediãtur, ne fieri possit ambulatio. Et sic de aliis: Ergò tam operatio imperata, quàm etiam cessatio ab eâ, potest esse voluntati violenta.

DISPVTATIO II.

Utrum ea, quæ metu fiunt, voluntaria sint?

DVPLICEM metum distinguunt viri sapientes: Leuem scilicet, quo perturbatur homo meticulosus & imbellis: Et grauem, quo commouetur homo fortis & constans; Vndè dici solet metus cadens in constantem virum: Eiusmodi est metus mortis, mutilationis mēbrorū, tormenti atrocis, diuturni carceris aut exilij, seruitutis, amissionis bonorum, & vniuersim quicunque efficit, vt minus malum eligatur ad euitandum maius. *Hoc posito*:

COMMVNIS SENTENTIA THEOLOGORVM est ea, quæ ex metu fiunt, partim esse voluntaria, & partim inuolūtaria. Ita D. Thom. hoc loco, & scholastici in 4. dist. 29. Cum quâ sententiâ:

DICO PRIMO Ea, quæ fiunt ex metu non tollēte vsum rationis, partim voluntaria sunt, partim inuoluntaria. *Probatur 1.* auctoritate Aristotelis 3. Ethic. cap. 1. vbi affirmat ea, quæ metu fiunt, mixta esse ex voluntario, & inuoluntariò. *Deindè ratione.* Nam quæ ex metu eliguntur, fiunt à principio interno, & eatenùs voluntaria sunt; & fiunt repugnante aliquo modo voluntate, & hac ratione inuoluntaria sunt. Exemplum est in eo, qui metu instantis naufragij, ne intereat, abiicit merces suas in mare. Proiectio quippè hæc quatenùs fit sciente & prudente eo, qui proiicit, voluntaria est; quatenùs verò ex se talis est, vt volūtati displiceat, & nisi periculum instaret, nō fieret, inuoluntaria est, quià ita cōsideratam refugit & auersatur voluntas.

DICO II. Quæ ità ex metu fiunt, magis voluntaria sunt in particulari; hoc est, vt coniuncta singulari circumstantiæ grauioris mali euitandi; sic enim efficaciter eliguntur & fiunt: at verò secundum se, vt abstracta à tali circumstantia, magis sunt inuoluntaria; sic enim considerata omninò displicent voluntati; vt patet exemplo superiori conclusione adducto. Iuxtà hoc discrimē facilè conciliari possunt sententiæ Doctorum, quæ in hac controuersiâ videntur inter se discrepantes.

DISPVTATIO III.

Vtrum concupiscentia efficiat aliquid inuoluntarium?

NOMINE Concupiscentiæ intelligimus motum appetitus sentientis; qui duplex esse potest: *alter* antecedens voluntatem, quo videlicet voluntas excitatur ad delectationem aut iram; *alter* subsequens voluntatem; quem voluntas ipsa excitat in appetitu sensitiuo, vt eò promptiùs in obiectum feratur. De concupiscentiâ subsequente dubitatio esse non potest; quæ cum à deliberatâ voluntate procedat, tantùm abest, vt caussa sit inuoluntarij; vt indiciũ potiùs sit maioris voluntarij, à maiori quippe voluntatis affectu prouenit, vt in appetitu sensitiuo eiusmodi motus excitetur. Tantùm ergò controuersia est de concupiscentiâ antecedẽte; an id, quod ex concupiscentia fit, efficiat inuoluntarium? Eam subsequentibus assertionibus expediemus.

DICO I. Concupiscentia antecedens minuit rationem perfecti voluntarij, seu liberi. Est expressa sententia D. Thomæ infrà quæst. 77. art. 6. vbi inquit, passione antecedente minui peccatum, qui minuitur voluntarium. *Ratio est.* Nã magis liberè peccat, qui nullâ passione motus peccat, quam qui concupiscentiâ, aut simili passione animi, quæ obfuscat vsum rationis, & consequenter efficit, vt minor sit indifferentia arbitrij ad opposita, inuitatus peccat: Ergò concupiscentia minuit rationem liberi, seu voluntarij perfecti.

OBIICIES D. Thomas art. 7. in corpore aper è docet, quod concupiscentia magis facit aliquid voluntarium: Existimat ergò cõcupiscentiâ non minui, sed augeri voluntarium. *Respondeo*, negando consequentiam. Nam alia mens est D. Thomæ. Non enim confert magis voluntarium cum minus voluntario, quasi particula (*magis*) significet augmentum voluntarij, sed cum inuolũtario, vt idem significet (*magis*) quod potius; Et sensus sit: Tantum abest vt concupiscentia faciat inuoluntarium, vt potiùs efficiat voluntarium. Quam interpretationem confirmant postrema verba corporis.

DICO II. Concupiscentia, tametsi minuat rationem voluntarij perfecti; non tamen efficit id, quod ex concupiscentiâ fit, in-

uoluntarium. *Prior pars assertionis* ex dictis constat: *Posterioris ratio est.* Nam id quod inuitante concupiscentiâ voluntas eligit, non est contrà internam inclinationē voluntatis, cum voluntas in illud propendeat & feratur: Ergò nec inuoluntarium.

OBIICIES. Quæ ex metu fiunt, ideò inuoluntaria dicuntur, quia tametsi ex eâ parte, quâ ad euitandum maius malum valent, efficaciter à voluntate eligantur, ex aliâ tamen parte, quatenùs secundum se spectata molesta sunt & grauia, voluntati displicent. Ergò etiam ea, quæ ex concupiscentiâ fiunt, dici possunt aliquo modo inuoluntaria. Nam quamuis ex eâ parte, quâ delectant, efficaciter à voluntate eligantur; ex alio tamen capite, quatenùs prouocant iram diuinam, & caussa sunt æternæ damnationis, displicere possunt voluntati. *Respondeo.* Non eandem esse rationem metus, & concupiscentiæ. Nam qui ex metu operatur, non mouetur positiuâ aliquâ ratione boni, quæ in eo, quod eligit, appareat; sed tantúm fugâ & detestatione mali grauioris; quæ cum omni delectatione careat, non tollit displicentiam eius, quod assumitur ad euitandū malum grauius, ob quam id, quod ex metu fit, aliquo modo inuoluntarium est. At qui ex concupiscentiâ agit, ipsâ rei concupitæ delectatione mouetur & trahitur; quæ cum omnem displicentiam eorum, quæ vel ad assecutionem rei concupitæ assumuntur, vel ab eius amore poterāt, efficacius alioqui considerata, absterrere, tollat & absumat; nihil in eo, qui ductum concupiscentiæ sequitur, relinquit, ratione cuius id, quod agit, possit dici aliquo modo inuoluntarium. Re autem voluptuosâ peractâ iam & præteritâ, mirum non est, si displicentia & dolor, ob imminens ex eâ malū & periculum oriatur; quia cessat iam delectatio, quæ, dum erat, tristitiam omnem absorbebat.

DISPVTATIO IV.

Vtrum ignorantia causset inuoluntarium?

TRIPLICEM distinguit ignorantiam art. 8. D. Thomas. Vnam antecedentem; Alteram comitantem: Tertiā consequentem. *Ignorantia antecedens illa est*, ex quâ, vt caussâ, procedit ali-

qua operatio. Vndè duo requiruntur, vt ignorantia dicatur antecedens. *Primò* vt nullo modo sit voluntaria. Nam si aliquo modo vel explicitè, vel implicitè seu interpretatiuè voluntaria esset, non omnem voluntatem antecederet. *Deinde* vt sit caussa operationis; non quidem per se, nam cum sit negatio, nullius effectus caussa per se esse potest; sed per accidens, quatenùs remouet caussam prohibentem, videlicet scientiam, quæ si haberetur, operationem prohiberet & impediret. *Huius ignorantiæ exemplum est.* Aliquis inuincibiliter ignorat hominem in syluâ esse & existimans se ceruum sagittâ petere, hominem ferit & interficit, quem si cognouisset in syluâ esse, nullo modo interfecisset. *Ignorantia comitans illa est*, quæ habetur de aliquo, quod quis ignorans facit, nihilominus tamen fecisset, si notitiam eius habuisset. *Exemplum est.* Aliquis inuincibiliter ignorat inimicum suum in syluâ esse, & putans se feram aliquam occidere, illum interimit; sed eundem nihilominus interemisset, si ibidem esse cognouisset. Hæc ignorantia neque voluntaria est; quia non potuit, nec debuit haberi scientia ei opposita, vt supponimus; neque vllo modo caussa est eius, quod ignorãter fit; nam etiãsi ignorantia abesset, illud eodem modo fieret. Vndè quæ hoc modo fiunt, dicuntur ignorãter potiùs, quàm ex ignorantiâ fieri, vt rectè notat Aristot. 3. Ethic. c. 1. quià ignorantia non est eorum caussa, ne per accidẽs quidem, cum non remoueat caussam prohibentem, sicut remouet ignorantia antecedens. Tametsi enim scientia haberetur, ea tamen nequaquàm opus impediret. *Ignorantia consequens illa est*, quæ est voluntaria. Ea contingit bifariàm. *Primò*, cum quis directè vult quippiam ignorare; & hæc ignorantia appellatur affectata. *Secundò*, cum aliquis ignorat id, quod potuit & tenebatur scire; & dici solet ignorantia vincibilis seu culpabilis. *Hoc posito* præsentem controuersiam subsequentibus assertionibus expedio.

Dico I. Ignorantia antecedens caussat inuoluntarium simpliciter. Nam quæ ex eâ fiunt, simpliciter sunt contrà impetum voluntatis; non quidem qui actu sit, sed qui reuerâ esset, si ignorantia abesset. Nam sine ignorantiâ opus nullo modo fieret, & factum tristitiam ac dolorem affert.

Dico II. Ignorantia comitans non facit inuoluntarium, facit tamen non volũtarium. *Ad cuius explicationem obserua*: Inuoluntarium differre à non voluntario.

Nam inuoluntarium contrariè opponitur voluntario. Non voluntarium autem contradictoriè. Sicut inimicus contrariè opponitur amico; non amicus autem contradictoriè. Vnde sicuti fieri potest, vt aliquis nec sit amicus, nec inimicus; ita fieri potest, vt aliqua operatio nec voluntaria sit, nec inuoluntaria; & dicitur non voluntaria. *Hoc posito. Probatur prima pars assertionis.* Vt aliquid sit inuoluntarium, necesse est, vt sit cõtrà internum aliquem impetum voluntatis: sed quod fit cum ignorantiâ comitante, non fit contra aliquem impetum voluntatis; non explicitum & actualem, vt per se constat; nec implicitum & virtualem, nempè qui esset, si ignorantia abesset. Nam is qui ignoranter operatur, etiamsi non ignoraret, nihilominus operaretur. *Altera pars* assertionis non minùs etiã certa est. Nam vt aliquid voluntariũ sit, debet esse a principio interno cum cognitione; at quæ ignoranter fiunt, non fiunt cum cognitione; Ergò non voluntariè. Legi potest Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. circà medium.

Dico III. Ignorantia consequens non facit simpliciter inuoluntarium; facit tamen inuoluntarium secundum quid. *Exemplum est.* Aliquis ignorat in sylvâ esse hominem; quià aut datâ operâ vult ignorare; aut cum possit & teneatur scire, non adhibet debitam diligentiam, vt sciat; & hominem interficit, existimans esse feram, quē si sciuisset esse hominem, nequaquam interfecisset. Vnde dicitur ignorantia consequens, quià consequitur voluntatem explicitam, aut virtualem. *Primò* ergò quæ ex tali ignorantiâ fiunt, non esse simpliciter inuoluntaria facilè probatur; quia simpliciter voluntaria sunt, non minus, quàm ea, quæ fiunt ex metu, cum eodem modo ad culpam imputentur. Nam tametsi ignorantia hæc tollat scientiam actualem, quę est principium voluntarij; quià tamen voluntaria est, & ità voluntariè aufert principium voluntarij, nempè scientiam, perindè se hâbet in moribus ad hunc effectum, vt euentus ei imputetur tanquàm voluntarius, ac si homo ex scientiâ operaretur. *Deindè* quæ fiunt ex tali ignorantiâ quodammodo inuoluntaria esse hinc constat. Nam quamuis non sint contra internum impetum voluntatis actualem, sicuti ea sunt, quæ fiunt ex metu; sunt tamen contra impetum virtualem, & qui reuerâ esset, nisi ignorantia obstaret. Nam vt ex adducto exemplo constat, opus illud, si notitia adesset,

non

non fieret, & factum affert tristitiam & dolorem.

QVAESTIO VII.

De circumstantiis humanorum actuum.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum circumstantia sit accidens actus humani?* CONCLVSIO est affirmans.

VBI OBSERVA, nomen circumstantiæ à rebus corporeis, quæ loco circumscribuntur, translatum esse ad actus humanos. Vt enim ea dicuntur rem aliquam loco contentam circumstare, quę cum extra illam sint, non tamen longè ab eâ absunt; ita in actibus humanis eæ conditiones, quæ extrà substantiam actus sunt, actum tamen aliquo modo attingunt circumstantię humanorum actuum dicuntur.

ARTICVLO II. *Vtrum circumstantię humanorum actuum sint considerandæ à Theologo?* CONCLVSIO est affirmans; nec verò ambigi potest de vtilitate, imò necessitate huius considerationis, præsertim ad sacramentum pœnitentiæ. Legi possunt Augustinus lib. de verâ & falsâ pœnitentiâ. Scholastici in 4. dist. 16. Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7.

ARTICVLO III. *Vtrum conuenienter enumerentur circumstanstantiæ in lib. 3. Ethicorum?* CONCLVSIO est affirmans.

VBI OBSERVA. Septem circumstantias actuum humanorum enumerari à D. Thoma. *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Quæ sic intelligendæ sunt.

QVIS, non substantiam ipsam personæ operantis sed statum aut qualitatem denotat; vt si is, qui operatur, solutus sit, an vinculo matrimonij astrictus, sacerdos, an laicus? &c.

QVID, denotat non substantiam actionis aut obiecti, alioquin circumstantia nō esset; sed quantitatem. Vt in furto magnum, an paruum? &c.

VBI, circumstantia loci est, vt si is sacer sit, aut prophanus, secretus, vel publicus. &c.

QVIBVS AVXILIIS, circumstantia est designans instrumenta actionum; vt si cædes facta sit manu nudâ, aut armatâ; telo venenato, aut alio. &c.

CVR, circumstantia est finis

extrinseci; vt cum eleemosyna datur ob vanam gloriam.

QVOMODO, denotat modos actionum; vt si naturaliter fiant, aut contrà naturam; intensè, aut remissè &c.

QVANDO, circumstantia est temporis; vt si opus fiat die festo, tempore quadragesimæ, &c.

ARTICVLO IV. *Vtrum sint principales circumstantiæ, Propter quid, & ea, in quibus est operatio?* CONCLVSIO est. In actibus humanis principalissimè considerandum est, cur fecerit opus is, qui operatur; Deindè verò ea, in quibus est operatio, id est, quæ attingunt opus, quod exercetur.

QVAESTIO VIII.

De Voluntate, quorum sit vt volitorum?

TRES SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum voluntas sit tantùm finis?* CONCLVSIO est affirmans.

VBI OBSERVA, nomine voluntatis non intelligi hoc loco ipsam facultatem voluntatis; sed actum complacentiæ seu prosecutionis, quo voluntas fertur in aliquid sibi placens & bonum, siue id reuerâ bonum sit, siuè apparenter tantùm.

ARTICVLO II. *Vtrum voluntas sit tantùm finis, an etiam eorum quæ sunt ad finem?* CONCLVSIO est. Voluntas sumpta pro potentia ipsâ non solum est finis, sed etiam eorum quæ sunt ad finem. ALTERA CONCLVSIO. Voluntas sumpta pro actione volendi, propriè solùm finis esse dicitur, non autem mediorum. *Hanc probat* Quià finis propter se bonus est & volitus; ea verò quæ sunt ad finem, non nisi ex ordine ad finem.

ARTICVLO III. *Vtrum voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id, quod est ad finem?* PRIMA CONCLVSIO. Vnus actus est, quo voluntas fertur in finem absolutè consideratum, & alter quo fertur in media. ALTERA CONCLVSIO. Idem actus est, quo voluntas fertur in finem, vt hic est ratio volendi media; & in ipsa media.

DISPVTATIO I.

Vtrum voluntas possit velle malum sub ratione mali, & nolle bonum sub ratione boni?

PRIMA SENTENTIA affirmat. Quam probant Nominales his rationibus. *Primò*: Nisi id fieri posse dicamus, tollimus à voluntate libertatē & meritum. Nam stante apprehensione boni, non poterit voluntas id nolle & refugere; nec stante apprehensione mali, id velle & amare. Ergò tollitur à voluntate libertas, ac proindè & meritum. *Secundò*. Potest homo peccare ex malitiâ: Atqui peccatum ex malitiâ non est, nisi quandò voluntas tendit in malum sub ratione mali. *Tertiò*. Damnati volunt peccatum, vt est DEO displicens: Ergò volunt malum sub ratione mali.

SECVNDA ET VERIOR SENTENTIA negat. Hanc sequuntur communiter Theologi & Philosophi. Henricus quodlib. 1. quæ. 16. & quodlib. 13. quæst. 9. Bonauent. in 2. dist. 34. art. 1. quæst. 3. Richard. in 2 dist. 24, art. 3. quæst. 2. Marsil. in 2. quæst. 16. art. 5. Conclus. 5. Corduba lib. 2. qu. 12. antè medium. Aristoteles lib. 1. Ethic. Seneca lib. 4. de benefic. c. 17. &c. Cum quâ sententiâ.

DICO. Non potest voluntas actu volitionis seu amoris, ferri in malum, quà malum est; neque actu nolitionis seu odij, in bonum, quà bonum est. *Hanc assertionem* optimè demonstrat ratio D. Thomæ. Appetitus ènim nihil aliud est, quā inclinatio quædam ipsius appetentis. Omnis autem inclinatio fertur in aliquid conueniens & bonum naturalis quidem, quià sequitur formam naturalem rei, in id quod reuerà conueniens & bonum est; animalis verò, quià sequitur formam apprehensam, in id quod conueniens & bonum iudicatur. Vndè à contrario sequitur nolitionem seu odium, quià fuga quędam est, & auersatio, nunquam ferri nisi in id, quod malum est & disconueniens. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Voluntas respectu boni, quà bonum est, non est libera libertate contrarietatis, quasi illud ita velit & amet, vt tamen possit odisse; sed libertate contradictionis, qui ita bonum vult & amat, vt tamen possit non velle & amare; quæ libertas sufficiens est ad meritum.

Ad Secundum. Peccare ex malitiâ non est velle malum, sub ratione mali; sed est scienter, nullâ incitante passione, aut prauo habitu, eligere & prosequi bonũ aliquod vtile, aut delectabile contra præscriptum rectæ rationis, & legem Dei.

Ad tertium Damnati peccatum, etiam vt Deo displicet, apprehendunt, vt sibi bonum. Quià enim vidẽt se puniri à Deo, placet obstinatæ eorum voluntati odisse Devm & peccare. Et vniuersè, qui aliquid vult, ideò vult, quià aliquam in eo rationem bonitatis apprehendit.

DISPVTATIO II.

Vtrum aliquis detur voluntatis actus, qui nec versetur circà finem, nec circà media?

Affirmant nominales, vt Occam in 1. dist. 1. quæst. 1. dub. 1. Gabriel, Maior ibidem. Negant Gregorius in 1. dist. 1. quæ. 1. art. 1 Holcot. in 1. quæst. 4 art. 2 Hanc litem duplici assertione dirimo.

Dico I Si voluntas finis intelligatur ea, quâ aliquid propter se appetitur; & voluntas mediorum ea, quâ aliquid appetitur propter aliud; omnis voluntatis actus est vel circà finem, vel circà media. *Ratio est.* Nam velle propter se, & velle propter aliud ita opponuntur, vt non detur inter illa medium. Quod enim appetitur propter aliud, non appetitur gratiâ sui; quod autem appetitur propter se, appetitur gratiâ sui; sed appeti gratiâ sui, & non appeti gratiâ sui, ità opponuntur, vt non detur inter illa mediũ. Ergò omnis actio voluntatis alterutro ex iis modo fieri debet, ac proindè vel circà finem erit, vel circà media. *Confirmatur.* Omnis voluntatis actus versatur circà bonum, vel honestum, vel delectabile, vel vtile; in hæc enim tria genera bonum adæquatè diuiditur; sed duo priora habent rationem finis, tertium verò rationem medij: Ergò omnis actus voluntatis vel est circà finem, vel circà media.

Dico II. Si voluntas finis intelligatur ea, quæ versatur circà finem, non tantùm vt appetibilis est propter se; sed etiam vt caussa est eligendi media; potest dari actus medius inter voluntatem finis &

nis. *Procnius intelligentiâ obserua.* In fine duo considerari posse; *Primùm*, quòd ipse non alterius gratiâ, sed propter se seu intrinsecam bonitatem suam appetatur; *Deindè*, quòd ipsius gratiâ appetantur cætera; nec intelligitur finis habere integram & perfectam rationem finis, seu actu exercere caussalitatem suam, donec moueat ad quærendum media, seu alia propter se. *Hoc posito*: Non est obscura ratio assertionis. Nam fieri potest, vt bonum aliquod honestum, aut delectabile appetatur propter se tantùm, & sine ordine ad media; at talis appetitio nec est mediorum, vt per se constat; nec finis iuxtà secundam considerationem, vt scilicet finis caussa est electionis mediorum; Ergò fieri potest vt detur actus, qui nec sit voluntas finis, quatenùs finis caussa est electionis mediorum; nec etiam voluntas mediorum, ac proindè inter illos medius.

DISPVTATIO III.

Vtrum voluntas vno actu ferri possit in media & finem?

PRIMA SENTENTIA est negans; quæ suaderi potest subsequentibus argumentis. *Primo.* Fieri non potest, vt aliquid sit caussa sui ipsius: Sed volitio finis est causa volitionis mediorũ. Ergò fieri non potest vt eadẽ sit volitio finis & mediorũ. *Secundo*. Ità se habet volitio mediorũ ad volitionẽ finis, sicuti se habet assensus conclusionum ad assensum principiorum: Sed actus intellectus, quo assentimur conclusionibus, diuersus est ab actu, quo assentimur principiis: Ergò etiam actus voluntatis, quo volumus media, diuersus est ab actu, quo volumus finem. *Tertiò.* Si vno eodemque actu possemus velle media & finem; fieri posset, vt idem actus voluntatis simul esset intensus & remissus, volitio & nolitio, amor & odium. Hoc autem est absurdum: Ergò & illud ex quo sequitur. *Sequela maioris probatur*. Aliquis propter sanitatem eligit potionem amaram; hic actus si comparetur ad sanitatem, tanquàm ad finem, est intẽsus; si ad amaram potionem, tanquàm ad medium, remissus; *Item* aliquis detestatur peccata sua propter DEVM; hic actus respectu DEI est amor, & volitio; respectu peccatorum odium & nolitio; Ergò si eodem actu velle

possumus media & finem, idem actus esse poterit intensus & remissus, volitio & nolitio, amor & odium.

SECVNDA ET VERA SENTENTIA est D. Thomæ hoc loco art. 3. Conradi, Caietani & recentiorum Thomistarum ibidem, Bonauent. in 2. dist. 38. dubio 4. Aegidij ead. dist. art. 3. Richardi art. 3. quæst. 4. Durandi. quæst. 3. Capreoli in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Occami. in 1. dist. 1. quæst. 1. dub. 2 Gabriel. quæst. 1. art. 1. notat. 2. Maioris quæst. 2. Aliacens. in 1. quæst. 2. Holcot. in 1. quæst. 4. art. 3. & aliorum. Hi docent finem prout est ratio volendi media, eodem & indiuiduo actu voluntatis appeti, quo appetuntur media. *Probatur hæc sententia primo.* Potentia eodem actu fertur in obiectum, & in eius rationem formalem; visus enim eadem visione attingit colorem, & lucem: Ergo quoties finis est ratio volendi media, voluntas eodē actu appetet & media & finē. *Secundo.* Idem actus charitatis est, quo amamus DEVM & proximum propter DEVM; quia DEVS est ratio diligendi proximum. Ergo idem actus voluntatis est, quo appetimus finem & media, quando finis est ratio appetendi media. *Tertio.* Intellectus eodem actu iudicare potest media appetenda esse propter finem: Ergo voluntas vno etiam & eodem actu poterit appetere media propter finem: *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Quando finis est ratio volendi media, volitio eius non est caussa volitionis mediorum; nec ordo est inter actus ipsos quia vnica volitio est, sed tantum inter res volitas, quia vna caussa est alterius, sicuti sanitas caussa est potionis. *Patet* exemplo visionis, quæ vnica est tametsi diuersæ sint res visæ, vt lux & color.

AD SECVNDVM. Vt vnica est volitio, quando finis est ratio volendi media, ità vnicus est assensus, quando conclusionibus assentimur propter principia.

AD TERTIVM. Actus, quo quis detestatur peccata propter DEVM, formaliter est nolitio & odium peccatorum; virtualiter tantum volitio & amor DEI; quia DEVS in hoc casu non concurrit vt res volita, sed vt ratio detestandi peccata: neque necesse est, vt idem actus formaliter sit volitio, & nolitio. & sic de aliis.

QVAE

QVAESTIO IX.

De motiuo voluntatis.

SEX SVNT QVAESTIONIS huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum voluntas moueatur ab intellectu?* CONCLVSIO I. Voluntas mouet intellectū, & reliquas facultates sibi subditas, quoad exercitium. CONCLVSIO II. Intellectus mouet voluntatem quoad specificationē, proponendo & præsentando ipsi obiectum.

ARTICVLO II. *Vtrum voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo?* CONCLVSIO EST. Voluntas non mouetur ab appetitu sensitiuo directè, neque quoad exercitium, neque quoad specificationem; sed solùm moueri ab eo indirectè potest; quatenus affectus aut passio in appetitu insurgens est occasio, vt intellectus iudicet vt conueniens bonum aliquod sensibile, illudque efficaciùs voluntati proponat.

ARTICVLO III. *Vtrum voluntas moueat seipsam?* CONCLVSIO est affirmans. Quæ præcipuè intelligenda est, quando voluntas ex præuiâ volitione finis mouetur ad electionem mediorū; tunc enim propriissime seipsam impellit, cùm ex vno affectu in alium tendit.

ARTICVLO IV. *Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?* CONCLVSIO est. Voluntas ad primum actum suum mouetur ab aliquo exteriori principio.

ARTICVLO V. *Vtrum voluntas moueatur à corpore cælesti?* CONCLVSIO PRIMA. Voluntas directè non mouetur à corpore cælesti. Nam cùm sit potentia immaterialis, non potest corpus cæleste in eam directè agere: CONCLVSIO SECVNDA. Potest voluntas nostra moueri à corpore cælesti indirectè & remotè. Quod bifariam potest contingere *Primo* dum Cælum immutat res inferiores; vt aut conueniant nobis, aut disconueniant; vnde voluntas mouetur ad eas vel sequēdas vel fugiendas; sic tempore hyberno calidum aërem appetit, quem refugit in æstate *Secundo* immutando appetitum sensitiuū. Hic enim cùm vtatur organo corporeo, corpora verò cælestia afficere & alterare possint organa corporea, diuersis ea qualitatibus imbuendo, fit vt etiam valeant in appetitu sensitiuo excitare diuersas passiones, quæ occasio sunt vt

intellectus iudicet & proponat voluntati tanquàm conueniens id, quod, constituto extrà eam affectionem appetitu sensitiuo, minimè conueniens videretur.

Articulo VI. *Vtrum voluntas à solo Deo moueatur tanquam ab exteriori principio?* Conclusio est affirmans. Cuius rationem assignat D. Thomas. Quià solus Devs, tanquàm naturæ author & conditor principium motionis voluntati indidit. Quapropter prima bona cogitatio & appetitio, cùm non ex aliâ priori voluntate promanet, in ipsum Devm tanquàm authorem refertur.

DISPVTATIO I.

Quomodo voluntas moueat reliquas facultates sibi subditas?

Moveri à voluntate reliquas potentias imperio eius subiectas quoad exercitium, hoc est, vt exerceant operationes suas, quæ liberè fieri debent, aut non exerceant; extra controuersiam est; sed dubitatur de modo, quo hæc motio fiat?

Dico I. Voluntas non mouet efficienter & physicè vllam aliam potentiam. *Ratio est.* Quià omnis potentia per se sufficiens est principium effectiuum suæ operationis. Ergò nulla caussa est, vt ad eam efficienter à voluntate determinetur. Quòd enim actus aliarum potentiarum dicantur liberi, denominatio tantùm est extrinseca, vt infrà videbimus.

Dico II. Cæteræ potentiæ dicuntur moueri quoad exercitium à voluntate, non aliâ ratione, quàm quià, vt liberè operentur, dependent à voluntate, eique subordinantur. Ità explicandus est D. Thomas, vbicunque affirmat appetitum, & reliquas potentias moueri & applicari ad operationes suas à voluntate, vt infrà quæst. 16 art. 1. & art. 4 ad primum. & quæst. 17. art 2. ad 1. & 1. part. quæst. 82 art 4. Id enim asserit non ob physicam aliquam efficacitatem, per quam voluntas influat in reliquas potentias, sed propter subordinationem illam, quæ se habet instar caussæ efficientis. Sicut intellectus noster ob similem subordinationem dicitur moueri à phantasiâ, absque eo, quòd phantasia efficienter cõcurrat ad operationes intellectus.

Obiicies: Cæteræ potentiæ p[e]ndent à voluntate non in eo tantùm, vt exerceant, aut non exerceant,

erceant operationes suas; sed etiã vt circà hoc aut illud obiectum operentur, ac proindè vt operationem huius aut illius speciei eliciant: Ergò mouentur à voluntate nõ tantùm quoad exercitium suorum actuum, sed etiam quoad specificationem. *Respondeo.* Quòd potentiæ voluntati subditæ actus eliciant huius aut illius speciei, ab intellectu prouenire, hoc aut illud proponente. Tametsi enim factâ quacunque propositione obiecti, liberum voluntati sit, inclinare ad actum huius aut illius speciei; vt tamen actus huius aut alterius speciei sit, non à voluntate proficiscitur, sed ab obiecto per intellectum oblato & proposito, à quo actiones speciem sumunt.

DISPVTATIO II.

Quomodo intellectus moueat voluntatem?

SVPPONO, quod citrà errorem negari non potest, voluntatem non esse potentiam merè passiuam, sed esse caussam efficientem suarum operationũ. Aliàs enim nec ipsa esset libera, quia ageretur tantum, & non ageret; nec operationes eius immanentes & vitales, de quarum ratione est, vt ab interno principio effectiuè fluant. Hoc posito controuersia est, quomodo intellectus concurrat ad operationes voluntatis?

PRIMA SENTENTIA est Gregorij in 2. dist. 25. quæst. vnicâ conclus. 1. 2. & 3. Gabriel quæst. vnicâ art. 3. dub 3. Occam quodlib. 1. quæst. 16. Paludani in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 2. conclus. 4. Fonsecæ 9. Metaphys. cap. 2. quæst. 6. sect. 2. qui existimant intellectum effectiuè concurrere ad operationes voluntatis; ità vt propositio seu notitia obiecti, & voluntas, sint principium integrum efficiens operationum voluntatis.

PROBATVR HÆC SENTENTIA PRIMÒ authoritate sancti Augustini; qui in libris de Trinitate passim affirmat amorem oriri à notitiâ intellectus, & voluntate. *Deindè rationibus.*

PRIMÒ. Amor in diuinis producitur à verbo diuino, quod est notitia diuina personalis: Ergò & amor creatæ voluntatis à notitiâ creati intellectus.

SECVNDÒ. Voluntas cùm sit

principium commune, non potest tribuere speciem peculiarem actionibus; ac proindè aliud assignandum est principium, vndè variæ species actuum voluntatis proueniant; Illud est diuersa notitia obiectorum. Ergò.

TERTIÒ. Intellectus mouet voluntatem per imperium: sed mouere per imperium, est mouere in genere caussæ efficientis. Ergo intellectus mouet voluntatem ad operationes suas, vt caussa efficiens.

SECVNDA ET PROBABILIOR SENTENTIA est, quæ docet; voluntatem non moueri ab intellectu, tanquàm à caussâ efficiente, sed tanquàm à conditione proponente obiectum. Ità Henricus quodlib. 9. quæst. 5 propè finem. Scotus in 2. dist. 25. quæst. 1. in solutione argumentorum. Capreolus in 2. dist. 25. quæst. 1 art. 3. in solutione primi argumenti contrà primam conclusionem. Ferrariensis 1. contrà gent. cap. 44. §. *circa istam propositionem*. Gregor. de Valentia 1. 2. disp. 2 quæst. 4 punct. 1. Ioannes Azorius tom. 1. instit. moral. lib 1. cap. 20. quæsito 6 Gabriel Vasquez hoc loco disp. 36. cap. 3. Cum quâ sententia:

DICO PRIMÒ. Intellectus non concurrit effectiuè ad operationes voluntatis. Hæc conclusio colligitur ex S. Thomâ 1. part. quæst. 27. art. 4 Vbi docet intellectum per se non esse constitutum in actu primo; sed indigere alio extrinsecùs adueniente, nempè specie intelligibili: Voluntatem autem per se ipsam esse in actu primo; At si intellectus effectiuè concurreret ad operationes voluntatis, voluntas non esset per se ipsam constituta in actu primo, sed indigeret a [illegible] quo extrinseco, nempe intellectu, qui simul cum voluntate concurreret ad operandum. *Et probatur ratione.* Nam si intellectus simul cum voluntate effectiuè concurrit ad actiones voluntatis, aut concurrit per se immediatè, aut per notitiam seu intellectionem. Primum dici non potest: Intellectus enim per se & immediatè nihil producit nisi intellectionem. Nec secundo. Nam cùm notitia seu intellectio sit in intellectu, non apparet, quomodo physicè & efficienter influere possit in voluntatem.

DICO SECVNDÒ. Voluntas mouetur ab intellectu, tanquàm à proponente & repræsentante sibi obiectum. Tametsi ergò intellectus non sit caussa efficiens operationum voluntatis, est tamen conditio necessario requisita, vt voluntas operari

posssit

possit; quia mediâ cognitione fit voluntati præsens obiectum quod est caussa finalis seu formalis operationum voluntatis. Sicuti seruatâ proportione, approximatio ignis ad materiam combustibilem, conditio est necessariò requisita ad combustionem; qui offert & applicat materiam combustibilem igni, qui est caussa efficiens combustionis. *Ad argumenta prioris sententiæ respondetur.*

AD AVTHORITATEM D. AVGVSTINI. Is asserit quidem amorem oriri ex cognitione; sed in quo genere caussæ cognitio sit principium amoris in nobis, non definit.

AD PRIMAM RATIONEM. Verbum in diuinis concurrit ad productionem amoris seu Spiritus sancti, quia eandem naturam substantialem à Patre accipit, tali proprietate modificatam, vt ei eadem virtus spirandi conueniat. Verbum autem in nobis cùm non habeat naturam eius, à quo procedit amor, neque etiam concurrit ad amorem producendum, vt caussa seu principium efficiens.

AD SECVNDAM RATIONEM. Species operationum voluntatis non sumitur à notitiâ & cognitione; sed ab obiecto cognito & oblato voluntati. Obiectum autem non est caussa efficiens operationum voluntatis, sed finalis seu obiectiua.

AD TERTIAM. Imperium, si quod in nobis est respectu operationum voluntatis, de quo infrà agendum erit, non mouet ad illas, vt caussa efficiens.

DISPVTATIO III.

Vtrum voluntas semper ab intellectu moueatur?

SENSVS EST: An omnem operationem voluntatis necessariò præcedere debeat aliqua cognitio intellectus, ita vt voluntas ferri nequeat nisi in rem præcognitam?

PRIMA SENTENTIA est Bonauenturæ tom. 2. opuscul. tractatu de mysticâ Theologiâ cap. vltimo, Gerson. Alphabeto. 6. lit. O. & T. Guilielmi de Rubione in 1. dist. 1. q. 4 conclus. 2. Argentinæ. quæst. 1 art. 4 qui existimant fieri posse, vt voluntas, in hac vitâ, sine vllâ præuiâ cognitione

operatur. *Probant sententiam hanc primò* authoritate Dionysij Ariopagitæ de mysticâ Theologia cap. 1. Vbi affirmat, tum demum hominem perfectissimè DEO vniri, cùm relictâ omni cognitione rerum tam spiritualium, quàm corporalium ipsi coniungitur, & abiectis omnibus notitiæ subsidiis, in mysticam ignorationis caliginem irrepit. *Deindè ratione.* Nulla contradictio exhiberi potest, ob quam nequeat voluntas sine præuiâ cognitione operari; Ergo id negari absolutè non debet.

SECVNDA ET PROBABILIOR SENTENTIA est; fieri non posse, etiam absolutâ DEI potestate, vt voluntas operetur non præeunte aliqui cognitione intellectus. Ità communiter sentiunt Theologi. *Probatur primò* authoritate D. Augustini, lib. 10 de Trinit cap. 1. vbi fusè docet voluntatem nihil incognitum posse diligere. *Ratio est.* Nulla potentia ferri potest in suum obiectum, nisi debito modo sibi presens: Sed obiectum voluntatis non aliâ ratione præsentari voluntati potest, vt oportet, nisi præuiâ intellectione: Ergo fieri non potest, vt voluntas operetur sine præuiâ intellectione. Hinc in diuinis etiam intelligentia prior est amore; Vnde fit vt productio diuini verbi præcedat origine Spiritus S. processionem: Et in beatis amor beatificus supponit visionem. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD AVTHORITATEM DIONYSII. Is non excludit ab affectu contemplantium, quantumuis etiam eminenti, omnem intelligentiam, sed nomine ignorationis, ad quam eo loco Timotheum excitat & hortatur, intelligit modum cognoscendi DEVM per negationes, quomodo dicimus DEVM nec esse hominem, nec Angelum, nec sensum &c. Quem modum appellat ipse doctam ignorationem. Quoniàm etsi sciamus DEVM esse; quid tamen DEVS sit, non possumus in hac vita cognoscere.

AD RATIONEM. In eo, vt res nullo modo cognita ametur, hæc contradictio inuoluitur. Quia sequeretur amorem terminari, & non terminari ad obiectum. Nam res amata non terminat amorem aliâ præsentiâ, quàm obiectiuâ, quomodo tantùm potest fieri voluntati præsens per intellectionem, quæ obiicit & repræsentat voluntati, tanquàm potentiæ per se omnino cæcæ, rem amatam. Quarè si voluntas actu suo seu amore ferri posset in rem incognitam, fieri posset, vt amor simul termina-

retur, & non terminaretur ad obiectum, seu rem amatam, quæ est euidens contradictio.

QVAESTIO X.

De modo, quo voluntas mouetur.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum voluntas ad aliquid naturaliter mouetur?* CONCLVSIO est. Voluntas appetit quædam naturaliter, & necessariò.

ARTICVLO II. *Vtrum voluntas moueatur de necessitate à suo obiecto?* CONCLVSIO I. Voluntas beati necessitatur ad amandum DEVM vtroque genere necessitatis; & quoad specificationem, & quoad exercitium. *Ratio est.* Quià neque in obiecto ipso, nempè DEO clarè viso, neque in exercitio amandi obiectum, potest apparere vlla ratio mali, aut difficultatis; Quià nec odisse DEVM clarè visum potest voluntas beatorum, nec ab actuali eius amore desistere. CONCLVSIO II. Voluntas viatoris respectu boni in communi, itemque respectu beatitudinis, & eorum, quæ ad istâ necessariò requiruntur, cuiusmodi sunt esse, viuere, intelligere &c. necessitatur quoad specificationem, non autem quoad exercitium. *Ratio est.* Tamersi enim in ipsâ beatitudine secundum se apprehensâ, non possit apparere aliqua ratio mali, ac proindè beatitudo odio haberi nequeat, quæ caussa est, vt moueat affectum voluntatis necessariò quoad specificationem: In ipso tamen exercitio affectus & considerationis circà beatitudinem potest apparere aliqua ratio molestiæ & difficultatis (arduum quippè & difficile homini viatori sit, in actuali & perpetuo affectu beatitudinis hærere) quod satis est, vt possit voluntas viatoris cessare ab amore beatitudinis, vtque liberè quoad exercitium amet beatitudinem. Et idem est de bono in communi. CONCLVSIO III. Voluntas respectu aliorum obiectorum libera est, tàm quoad exercitium, quàm quoad specificationem.

ARTICVLO III. *Vtrum voluntas moueatur de necessitate ab appetitu inferiori?* CONCLVSIO I. Passio appetitus sensitiui si adeò vehemens sit, vt subuertat iudi-

tium rationis, necessariò voluntatem mouet. *Ratio est.* Quia libera motio voluntatis pendet à iudicio rationis. CONCLVSIO II. Passio appetitus sensitiui si non omninò opprimat iudicium rationis, sed minuat tantùm & turbet, non mouet necessariò voluntatem.

CIRCA solutionem Tertij in hoc articulo obserua. Cùm inquit S. Thomas voluntatem moueri non solùm à bono vniuersali apprehenso per rationem; nempè vt nihil possit appetere, cui non competat ratio boni in communi; sed etiam à bono singulari apprehenso per sensum; id ità intelligendum esse, vt idem bonum singulare apprehendatur per sensum, & per rationem. Nam sola apprehẽsio sensus non est sufficiens.

ARTICVLO IV. *Vtrum voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo, quod est Deus?* CONCLVSIO est. DEVS non mouet voluntates nostras necessariò quoad exercitium. De quo satis dictum est à nobis in primâ parte.

QVAESTIO XI.

De fruitione, quæ est actus voluntatis.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum fruitio sit actus potentiæ appetitiuæ?* CONCLVSIO est affirmans. *Cuius ratio est.* Nam fruitio est, quâ delectamur de bono iam possesso: Sed delectatio est actus voluntatis; Ergò & fruitio.

ARTICVLO II. *Vtrum frui tantùm conueniat creaturæ rationali?* CONCLVSIO PRIMA. Fruitio non competit creaturis, quæ carent cognitione. CONCLVSIO SECVNDA. In creaturis sensitiuâ duntaxat cognitione præditis fruitio est imperfecta. CONCLVSIO TERTIA. Creaturis intellectualibus competit fruitio perfecta. *Ratio omnium est.* Nam fruitio oritur ex cognitione finis, quæ perfecta est in creaturâ intellectuali, imperfecta autem in creaturâ sensu tantùm præditâ.

ARTICVLO III. *An fruitio sit tantùm vltimi finis?* CONCLVSIO est. Fruitio non est medij quà medium est, sed tantùm finis. Finis autem duplex est; *Alter*, qui ità gratiâ sui appetitur, vt eo obtento, omninò conquiescat appetitus; & hic sicuti est simpliciter vltimus, ita delectatio illius simpliciter est fruitio: *Alter*, qui licet gratiâ sui appetatur, non habet consummatam rationem boni, in quâ appetitus plenè conquiescat; & hic sicuti non est finis vltimus, ita nec delectatio illius simpliciter est fruitio.

ARTICVLO IV. *Vtrum fruitio sit solum finis habiti?* CONCLVSIO est. Fruitio perfecta tantùm est finis reipsâ habiti & possessi; finis autem habiti tantùm in intentione, fruitio imperfecta est.

QVAESTIO XII.

De Intentione.

QVINQVE SVNT quæstionis huius arculi.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum intentio sit actus intellectus, vel voluntatis?* CONCLVSIO est Intentio propriè ad voluntatem pertinet. Est enim actus, quo voluntas tendit in finem ab intellectu propositum, vt prosequendum per aliqua mediâ.

VBI OBSERVA cum D. Thomâ in respons. ad 4. voluntatem triplici actu moueri in finem. *Vnus* est, quo appetit finem absolutè consideratum, tanquàm bonum quoddam; & dicitur *Voluntas seu volitio simplex*: *Alter*, quo in fine obtento delectatur; & dicitur *Fruitio*: *Tertius*, quo finem appetit, vt per media aliqua consequendum; & dicitur *Intentio*.

ARTICVLO II. *Vtrum intentio sit tantùm vltimi finis?* CONCLVSIO est. Intentio tametsi semper finis sit, non est tamen semper finis vltimi; sed potest etiam esse finis medij. Nam etiam finis medius, qui scilicet in vlteriorem finem possit referri, terminare potest motum, & quasi tendentiam voluntatis.

ARTICVLO III. *Vtrum aliquis possit simul duo diuersa intendere?* CONCLVSIO est affirmans, & clara ex textu.

ARTICVLO IV, *Vtrum sit idem actus, intentio finis, & voluntas mediorum?* CONCLVSIO est. Si voluntas feratur in finem absolutè & secundum se consideratum:

itemque in media absolutè & secundum se considerata, diuersus actus est, quo appetit finem ab eo, quo vult media. At si feratur in media propter finem; idem actus est, quo voluntas tendit in finem, & in media. Vide quæ suprà quæ. 8. disput. 3. diximus.

ARTICVLO V. *Vtrum intentio conueniat brutis animantibus?* CONCLVSIO est. Intentio finis propriè non conuenit brutis animantibus. *Ratio est.* Quia non cognoscunt finem sub ratione finis.

QVAESTIO XIII.

De Electione.

SEX SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum electio sit actus voluntatis, vel rationis?* CONCLVSIO est. Electio substantialiter actus voluntatis est; supponit tamen & connotat iudiciũ intellectus, quo animaduersis variis mediis ad aliquem finem, iudicat vnum præ aliis esse amplectendum. Ita docent vno consensu Theologi. Tunc enim aliquid vere eligitur, cùm voluntas ex duobus, aut pluribus mediis, per consultationem propositis, illud acceptat & complectitur, quod ratio iudicauit ad finis assecutionem magis idoneum & conueniens.

QVÆRES. Cùm omnis actus voluntatis supponat actionem intellectus, siquidem voluntas ferri non potest nisi in rem præcognitam, quæ caussa est, cur electio peculiariter dicatur supponere & connotare actum rationis? *Respondeo*: Caussam esse, quod electio non qualemcunque rationis actum exigit sed quendam, qui peculiariter ad rationem pertinet; illum scilicet quo media inter se, & cum fine conferuntur: id quod imprimis ad rationem pertinet, cuius peculiare munus est consultare, ordinare, & conferre.

ARTICVLO II. *Vtrum electio conueniat brutis animalibus?* CONCLVSIO est negans. Patet ex articulo præcedenti; Electio enim necessario supponit iudicium rationis: At nulla est in brutis ratio. Ergò neque electio.

ARTICVLO III. *Vtrum Electio sit solùm eorum, quæ sunt ad finem, vel etiam quandoq. ipsius finis?* CONCLVSIO I. Finis, vt finis

est

eſt, hoc eſt, vt non in alium finē refertur, non cadit ſub electionem. *Ratio eſt.* Quia de eo eſt electio, de quo poteſt eſſe conſultatio 3. Ethic. cap. 2. & 3. At conſultatio tantùm eſt de medio, & appetibili propter aliud. Ergò. Conclvsio II. Id quod reſpectu vnius eſt finis, cuius proindè vt ſic, non eſt electio; poteſt reſpectu alterius eſſe medium, & ſic cadere ſub electionem. Poteſt enim vnum idemque bonum creatum habere rationem finis, quatenùs eſt bonum quoddam honeſtum & propter ſe amabile; & rationem medii quatenus eſt bonum vtile, & appetibile propter aliud. Id quod D. Thomas rectè probat exemplo ſanitatis.

Articvlo IV. *Vtrum electio ſit tantùm eorum, quæ per nos aguntur?* Conclvsio eſt. Electio tantùm eſt noſtrarum actionum; rerum verò, quæ ſuppoſito à nobis diſtinguuntur, non aliter electio eſſe poteſt, niſi mediâ aliquâ actione noſtrâ nobis coniungantur.

Articvlo V. *Vtrum electio ſit ſolùm poſsibilium?* Conclvsio eſt affirmans. Nam electio eſt eorum, quæ per nos aguntur, & in noſtra poteſtate ſunt conſtituta. Ergò non eſt impoſſibilium. *Deindè*; ideò media eligimus, vt per ea finem conſequamur; Per id autem, quod eſt impoſſibile, non poſſumus finem conſequi. Ergò electio non eſt impoſſibilium.

Articvlo VI. *Vtrum homo ex neceſsitate eligat, vel liberè?* Conclvsio eſt. Homo liberè eligit tàm quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem. Hoc eſt: ità eligit, vt poſſit eligere, & non eligere, quæ eſt libertas quoad exercitium; & vt poſſit eligere hoc aut illud medium, quæ eſt libertas quoad ſpecificationem.

DISPVTATIO I.

Vtrum voluntas poſsit eſſe impoſsibilium?

Controversia eſt de impoſſibili, quod non tantùm reuerâ impoſſibile eſt, verùm etiam impoſſibile eſſe iudicatur; *an illius poſsit eſſe aliqua voluntas?* In quâ variæ ſunt ſententiæ Theologorum, quibus miſſis.

Notandvm eſt I. Duplex genus eſſe impoſſibilium. *Quædam* enim ſunt per ſe & ſimpliciter impoſſibilia, vt quæ nullâ potentiâ eſſe poſſunt, quòd vel explicitè vel implicitè contradictionem

inuoluant; vt DEVM non existere; hominem non esse hominem, & similia. *Quædam* impossibilia sunt per accidens; vt non peccasse hominem, postquā peccauit, &c.

NOTANDVM est II. Duplicem esse actum seu affectum voluntatis. *Vnus est*, quo voluntas fertur in rem, secundum se consideratam sine ordine ad executionem aut consecutionem eius, & dicitur voluntas inefficax, seu simplicis complacentiæ: Neque enim omnia, quæ nobis secundum se considerata placent, opere ipso exequimur, aut consequi contendimus. *Alter est*, quo voluntas fertur in rem non tantùm secundum se consideratam, sed etiam vt executioni mandandam, seu vt effectu ipso consequendam; & dicitur voluntas efficax. Quòd si interdum accidat, vt aliquis re & opere ipso non exequatur, aut obtineat id, quod desiderat; satis est, si conatum ex parte suâ adhibeat, vt id dicatur efficaciter velle. *His positis.*

DICO I. Potest esse impossibilium cuiuscunque generis, etiamsi existimentur esse impossibilia, aliqua voluntas. *Probatur.* Et *primo* quidem de impossibili per accidens, & ex suppositione. Potest enim homo postquam peccauit, velle non peccasse, quāquam non peccasse, datâ suppositione quòd peccauerit, sit impossibile. *Tum*, etiam de impossibili per se & simpliciter. Fit enim interdum, vt aliquis delectetur cogitando se in auem aut angelum conuerti, quod tamē intelligit omninò esse impossibile. Damnati quoque actu considerantes impossibile esse, vt DEVS non sit, desiderant tamen DEVM non esse: Ergò impossibilium etiam, quæ per se & simpliciter impossibilia sunt & cognoscuntur, potest esse aliqua voluntas.

RESPONDET CAIETANVS, desiderium istud damnatorum, per accidens tantùm ferri in illud impossibile, nempè ratione adiuncti boni, quod in eo, quod est DEVM non esse, apprehendunt. *Sed contrà est.* Vt enim voluntas per se aliquid dicatur velle, satis est, vt id expresso affectu velit, etiāsi illud velit ratione adiunctæ bonitatis, quæ ratio sit, vt appetatur. Sic cū desidero mortem inimici, quia in eâ aliquā rationem boni aut cōmodi apprehendo, non dicor per accidens solū, sed per se & expresè velle mortem inimici. Id quod in omni re, etiam posibili, quam appetimus & desideramus, vsuuenit.

DICO II. Hæc voluntas impossibilium nō est efficax, sed simplicis tantùm complacentiæ. Vnde rectius explicatur per verbū; *placet*,

cet, aut *delectat*; quã per verbum *volo*, eò quòd verbum volo magis videatur designare affectum efficacem. In hac conclusione cõueniunt Theologi omnes. Voluntas enim efficax fertur in obiectum vt re ipsâ exequendum; quod autem ità impossibile est, vt etiam iudicetur esse impossibile, nõ ità proponitur voluntati, vt conari ad eius executionem possit.

DISPVTANT tamen, absolutanè ea voluntas, an tantùm conditionata sit? Mihi veriùs sentire videntur, qui voluntatem impossibilium, tametsi simplicis tantùm complacentiæ sit, asserunt formaliter absolutam esse. Est enim actus, quem reipsâ voluntas elicit. Actiones autem, quæ conditionatæ appellantur, reipsâ non eliciuntur, sed tantùm elicerentur, si conditio poneretur. Quanquã, vt rectè notauit Sotus. 3. dist. 15. quæst. 1 *§. Tertiò videndum*, quin virtute saltem conditionata esse posit, negari non debeat. Potest enim voluntas simplex & inefficax rei impossibilis, virtute continere voluntatem efficacem, non quę reipsâ & actu sit, sed quæ reuerâ esset, nisi impossibilitas obstaret.

OBIICIES. Voluntas nullo actu prosecutiuo, etiam simplicis complacentiæ, ferri potest nisi in id, quod vel reuerâ bonum est, vel saltem vt bonum apprehenditur. Impossibile autem, quod cognoscitur esse impossibile, nec reuerâ bonum est, quia nihil omnino est; nec vt bonum cognoscitur, quia nihil esse cognoscitur: Ergò voluntas nullo actu in illud ferri potest. *Respondeo.* Iudicium, quo iudicamus aliquid esse impossibile, non impedit apprehensionem simplicem, quâ illud idem per modum entis & boni apprehendimus; sicuti iudicicium, quo iudico Angelum esse incorporeum, non prohibet, quin eundem apprehendam per modum entis corporei, quia aliter in hac vitâ concipere & apprehendere non possum. Et hæc apprehensio satis est, vt voluntas in id, quod est & iudicatur impossibile, ferri possit affectu quodam simplicis complacentiæ; tametsi satis non sit, vt idem appetat affectu efficaci, qui ferri non potest nisi in rem, quæ existimatur & creditur esse possibilis.

DICO III. Non potest vllius rei impossibilis esse electio. Est expressa sententia Aristotelis 3. Eth. cap. 2. vbi docet, voluntatem (vt quæ latiùs patet, quàm electio, & capitur interdum pro simplici tantùm affectu) posse esse im-

possibilium; electionem verò non esse nisi possibilium. Aristotelem sequuntur non tantùm Peripatetici, sed etiam Gregor. Nyssenus 5. lib. philosophiæ. cap. 4. Damascenus 2. de fide, cap. 22. & alii Patres. *Ratio est.* Electio necessariò supponit consultationem. At quoties res, quæ in consultationem venit, apparet impossibilis, tunc cessat consultatio; Ergò necesse est, vt cesset etiam electio.

DISPVTATIO II.

Vtrum ex duobus mediis omninò æqualibus, & ad finis assecutionem æqualiter vtilibus, poßit voluntas relicto altero alterum eligere?

PRIMA SENTENTIA est Gregorij in 2. dist. 42 quæst. 1. art. 2. ad primum. Conrad 1. 2 quæst. 13 artic. 6. Medinæ ibidem; qui negant fieri posse, vt voluntas relicto altero istorum alterum eligat, donec intellectus, nouâ factâ inquisitione, inueniat maiorem aliquam conuenientiam in vno medio, quæ non sit in alio. *Fundamentum huius sententiæ est* Experientia enim docet, quandocunque duæ res sese, vt ex æquo bonæ & eligibiles, nobis offerunt, semper voluntatem hærere, nec ad alteram eligendam se determinare.

ALTERA ET VERISIMILIOR SENTENTIA est; posse fieri, vt voluntas ex duobus mediis æqualiter propositis, pro suâ libertate, relicto altero, alterum eligat; & ex mediis inæqualiter propositis, relicto meliori & ad finem consequendum vtiliori, eligat id, quod minus bonum est & conueniens. Ità docent Henricus quodlib. 1. quæst. 16. Richard. in 2. dist. 38. art. 2 quæst. 4. Maior ibid. quæst. vnicâ. Marsil. quæst. 16. art. 4. Durandus dist. 24. quæst. 3.

PRIMA PARS SENTENTIÆ HVIVS PROBATVR. Nam vt voluntas aliquid amplectatur, satis est si illud consideretur vt bonum, siuè propter se, siuè in ordine ad aliud; neque enim obiectum adæquatum voluntatis est, *Melius*, sed *Bonum*. Vnde cum nobis proponuntur duæ res, vt æquè bonæ & eligibiles; vt, exempli gratiâ, duo iumenta æquè commoda ad iter

facien-

faciendum; vel duo edulia æqualis ad famem sedandam vtilitatis, liberè & indifferenter voluntas alterutrum eligere potest. Hinc altera etiam pars constat. Nam ad electionem boni minoris, minusque ad finem vtilis, sufficit, vt in illo aliqua ratio boni & conuenientis inueniatur.

Obiicies I. Minus bonum respectu boni maioris, malum est; Ergò voluntas, quæ minus bonum, vt minus eligit, fertur in malum, vt malum est; quod fieri non potest. *Respondeo.* Voluntas, quæ vult minus bonum, non fertur in illud sub ratione minoris boni, neque etiam sub ratione mali, sed tantùm sub eâ ratione, quâ bonum & ad finis assecutionem vtile est.

Obiicies II. Obiectum voluntatis est bonum. Ergo maius bonum magis ad se rapit & attrahit voluntatem. *Respondeo.* Etsi maius bonum magis ad se rapiat voluntatem, ac proindè voluntas vt plurimùm eligere soleat bonum, quod vt maius ab intellectu ipsi proponitur; fieri tamen potest, vt pro suâ libertate feratur etiam in id, quod minus bonum est, qua bonum est. *Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur.*

Experientiam illam concedi; quandò res illæ, quæ offeruntur vt eligibiles, nondum expressè cognoscuntur vt ex æquo eligibiles; sublatâ verò dubitatione, liberrima fit electio, quià vtrumque medium ad finis assecutionem æquè vtile & idoneum esse cognoscitur, ac proindè alterutrum eligi potest.

Quæ res. Quandò vnicum occurrit medium, idque iudicatur esse necessarium ad consequendum finem, vtrum electio eius necessaria sit, an libera? Voco hic electionem latiori significatione; nam presè & propriè sumpta non est nisi inter plura media, vt ex suprà dictis constat. *Respondeo.* Electionem in hoc casu simpliciter esse liberam, sicuti simpliciter libera est intentio; potest enim voluntas recedere ab intentione finis, ac proindè nihil eligere; esse tamen necessariam ex suppositione, nempè suppositâ, & non mutatâ efficaci intentione finis: tunc enim voluntas sibi ipsi imponit necessitatem eligendi medium, quod vnicum est & necessarium.

QVAESTIO XIV.

De Consilio.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum consilium sit inquisitio?* CONCLVSIO est affirmans. Ratio quippè in rebus agendis, quæ incertæ & dubiæ esse solent, nunquàm iudicium profert sine præuiâ inquisitione; & ideò sententiam de eligendis necessariò antecedit inquisitio rationis, quam Theologi consilium appellant: hoc est, actum intellectus, quo rationes ex vtraque parte occurrentes examinantur, priusquàm aliquid certò & definitè concludatur.

ARTICVLO II. *Vtrum Consilium sit de fine, vel de iis, quæ sunt ad finem?* CONCLVSIO est Consilium non est de fine, quà finis est; sed tantùm de iis, quæ sunt ad finem. Sic Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. inquit. *Consultamus autem non de finibus, sed de iis, quæ ad fines ipsos perducunt.* Neque enim medicus consultat an sanet? nec Rhetor, an persuadeat? nec gubernator, an rectis legibus Rempublicam temperet? Sed de iis tantùm, quibus fines illi obtinendi sunt.

ARTICVLO III. *Vtrum consilium sit solum de iis, quæ a nobis aguntur?* CONCLVSIO est affirmans. Propriè enim de iis consultare dicimur, quæ ipsi acturi sumus. Aristoteles 3. Ethic. cap. 3.

ARTICVLO IV. *Vtrum consilium sit de omnibus, quæ à nobis aguntur?* CONCLVSIO est. De rebus, quæ vel exigui momenti sunt, vel per artem & naturam constituta & determinata sunt, non est consultatio.

ARTICVLO V. *Vtrum consilium procedat ordine resolutorio?* CONCLVSIO est affirmans. Procedit enim ab effectu ad caussas, a quibus executio illa pendet. Processus autem ab effectu, tanquam ab aliquo magis composito ad caussas, quæ simpliciores esse solent, dicitur resolutorius.

ARTICVLO VI, *Vtrum consilium procedat in infinitum?* CONCLVSIO I. Processus consilij actu finitus est, tã ex parte finis, quàm ex parte medij. CONCLVSIO II. Nihil prohibet processum consilij in infinitum esse in potentiâ, quatenùs in infinitum possunt aliqua occurrere consilio inquirenda.

QVAESTIO XV.

De Consensu.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum consensus sit actus potentiæ appetitiuæ?* CONCLVSIO est affirmans. Est enim actus, quo voluntas consentit in media ab intellectu proposita. Vndè non realiter, sed ratione tantùm differt ab electione; ob diuersos videlicet respectus. Nam quatenùs voluntas amplectitur, quod intellectus iudicauit ad finis assecutionem vtile, dicitur consensus; hoc est, concordia & consensio voluntatis cum intellectu; quatenùs verò illud præfert aliis, dicitur electio.

ARTICVLO II. *Vtrum consensus conueniat brutis animalibus?* CONCLVSIO est. Consensus non est propriè in brutis. Quia bruta non applicant se pro arbitratu ad agendum, sed ex instinctu naturæ operantur.

ARTICVLO III. *Vtrum consensus sit de fine, vel de his, quæ sunt ad finem?* CONCLVSIO est. Consensus propriè loquendo non est nisi de iis, quæ sunt ad finem. Consensus enim sequitur consilium; sed consilium tantùm est de iis, quæ sunt ad finem. Ergò etiam consensus.

ARTICVLO IV. *Vtrum consensus in actum pertineat ad superiorem animæ partem?* CONCLVSIO est. Consensus cùm sit actio voluntatis, pertinet ad superiorem animæ partem.

QVAESTIO XVI.

De Vsu.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum vti sit actus voluntatis?* CONCLVSIO est affirmans. Est enim actus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem mediorum.

ARTICVLO II. *An vti conueniat brutis animalibus?* CONCLVSIO est negans, & clara ex textu.

Articvlo III. *An vsus posſit eſſe etiam vltimi finis?* Conclvsio eſt. Propriè loquendo vſus non eſt vltimi finis, neque etiam vllius finis, quà finis eſt. Quià ſemper eſt rei vtilis, quæ appetitur propter aliud, & habet rationem medij. Sic vtimur potione propter ſanitatem.

Articvlo IV. *An vſus præcedat electionem?* Conclvsio eſt. Vſus ſequitur electionem. *Ratio eſt.* Nam vſus nunquàm ſine executione eſt; at electio ob aliquod impedimentum potentiæ executiuæ poteſt eſſe ſine executione. Hinc tantùm ratione differunt Vſus, & Electio. Eò quòd priùs quiddam ratione eſt, medium eſſe vtile ad finem, quomodo eius eſt electio; quàm re ipsâ mandari executioni, quomodo eius vſus eſt.

QVAESTIO XVII.

De actibus imperatis à voluntate.

NOVEM SVNT QVAEſtionis huius articuli.

ARticvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum imperare ſit actus rationis, vel voluntatis?* Conclvsio eſt. Imperium eſt actus intellectus, ſuppoſitâ motione voluntatis.

Articvlo II. *Vtrum imperare conueniat brutis?* Conclvsio eſt. Cùm imperare ſit actus rationis, brutis animantibus conuenire non poteſt.

Articvlo III. *Vtrum vſus præcedat imperium?* Conclvsio eſt. Vſus poſterior eſt imperio, ſicut poſterior etiam eſt executio.

Articvlo IV. *Vtrum imperiũ & actus imperatus ſint actus vnus, vel diuerſi?* Conclvsio eſt. Imperium, & actus imperatus, quanquàm in genere naturæ diuerſi, actus ſint; in genere moris tamen pro vno actu reputantur.

Articvlo V. *Vtrum actus voluntatis imperetur?* Conclvsio eſt. Actus voluntatis poteſt eſſe imperatus. Hanc probat D. Thomas. Nam ſicut ratio iudicare poteſt, bonum eſſe, aliquid velle, ita imperare poteſt, vt homo aliquid velit.

Articvlo VI. *Vtrum actus rationis imperetur?* Conclvsio eſt. Actus rationis imperari poteſt. Vt enim intellectus ordine directo imperare poteſt aliis facultatibus; ita etiam actu reflexo imperare poteſt ſibi ipſi.

Articvlo VII. *Vtrum actus appetitus ſenſitiui imperẽtur?*

Con-

Conclvsio est. Actus appetitus sensitiui imperantur, prout sunt in nostrâ potestate; non autem imperantur, prout sequuntur dispositionem organi corporei.

Articvlo VIII. *Vtrum actus animæ vegetabilis imperentur?* Conclvsio est negans. Hi actus enim non sunt in potestate nostrâ. Imperium autem respectu earum operationum est, quæ in nostrâ potestate sunt. Hinc nemo sibi imperat, vt crescat aut nutriatur.

Articvlo IX. *Vtrum actus exteriorum membrorum imperentur;* Conclvsio I. Motus exteriorum membrorum, qui fiunt mediâ imaginatione, subduntur imperio rationis. Intelligit D. Thomas haud dubiè motus facultatis loco motiuæ. Conclvsio II. Motus membrorum, qui non fiunt mediâ cognitione, non pendent ab imperio rationis. Huiusmodi sunt motus nutritionis & generationis. De quibus articulo superiori.

DISPVTATIO I.

Cuius potentiæ actus sit Imperium?

Prima Sententia est Henrici quodlib. 9. quæst. 6. Almayni tract. 3. moral. cap. 2. Bonauent. in 3. dist. 17 art. 1. quæ. 1. ad 3. Ioan. Medinæ Codice de Pœnitent. tract. 6. cap. 2. & aliorum. Qui docent imperium esse actum voluntatis. Præcipuum huius sententiæ fundamentũ est. Nam & intellectus & reliquæ facultates humanæ dicuntur imperio voluntatis subiici; earumque actus imperari à voluntate: Ità docent vno consensu Theologi, & disertim D. Thomas quæst, 70. huius partis, art. 6. ad 2. & in 2. 2. quæst. 4. art. 2. ad 2. & quæst. 10. art. 2. Ergò imperium propriè actus voluntatis est.

Secvnda et probabilior Sententia est: Imperium formaliter esse actum intellectus; supponere tamen & connotare actum voluntatis. Ità D. Thomas hoc loco, quem sequuntur Caietanus, & recentiores. Eandem sententiam tradunt Antoninus 1. part. titulo 4. cap. 10. Dominicus Soto lib. 1. de iustit. quæst. 1. art. 1. Cordubalib. 2. q. 10. Richar. in 4. dist. 15. art. 4. q. 1. & alij. *Probatur hæc sententia.* Imperare nihil aliud est, quàm voluntatem superioris intimare & proponere inferiori; hoc est, denuntiare inferiori, quid superior statuerit & velit

fieri Sed intimare, seu proponere formaliter, & quoad substantiam suam, actus intellectus est; supponit autem & connotat voluntatem, quæ intimatur & proponitur: Ergò imperium formaliter, & quoad substantiam suam, actus intellectus est, supposito tamen & connotato actu voluntatis. Minor indubitata est. Maior ex ipso imperandi verbo constat *Fac hoc. Ne facias*, &c. *Secundò.* Imperare præstantissimæ facultatis est; sed non est præstantior in homine facultas, quàm intellectus: Ergò imperare intellectus est. *Tertiò.* Philosophi & Patres passim docent, voluntatem & inferiores facultates parere & obtemparere rationi. Aristoteles 1. Ethic. c. vltimo. Augustin. 14. de ciuitat. Dei c. 19. Nemesius lib. 4. de Philosophiâ cap. 8. & 9. Sed ei tantùm paretur & obtemperatur, cui imperium competit: Ergò ratio est, cui propriè imperium competit.

Ad Fundamentum prioris sententiæ respondetur. Quandò cæteræ facultates dicuntur subditę voluntatis imperio, earumque actiones imperari à voluntate; nomine imperij nihil aliud intelligitur, quàm motio, quâ voluntas reliquas potentias ad operandum applicat: Hoc est, volitio, quâ voluntas efficaciter vult, vt aliæ potentiæ operentur; quæ tametsi de formali ratione imperij propriè sumpti non sit, quia tamen ab eo supponitur & connotatur, solet imperium appellari à Theologis; præsertim à D. Thomâ, tum locis suprà citatis; tum etiam 2. 2. quæst. 58. art. 8. & 1. part. quæst. 25. art 5.

DISPVTATIO II.

Vtrum imperium necessarium sit respectu operationum ipsius operantis?

IMPERIVM esse in vno homine respectu alterius, extrà omnem controuersiam est. Sic enim Princeps imperat subditis, iisque leges & præcepta imponit. Sed peculiaris hoc loco difficultas occurrit: *An in vno & eodem homine respectu sui ipsius ad executionem suarum operationum constitui debeat imperium?* Ità vt in negotio morali ad agendum non sufficiant actus hactenùs enumerati; videlicet intentio, consultatio, iudicium & electio:

ctio: sed prætereà nouâ intimatione & imperio opus sit, vt ad eius, quod voluntas efficaciter elegit, executionem cæteræ facultates moueantur?

AFFIRMAT D. Thomas, & Thomistæ hoc loco art. 3. ad 1. Iuxtà quam sententiam, hæc erit constituenda actionum humanarum in negotio morali series: vt *primò* sit apprehensio finis: *Secundò* intentio eiusdem: *Tertiò* consultatio de iis, quæ sunt ad finem. *Quartò* iudicium & sententia de medio assumendo: *Quintò* electio medii illius: *Sexto* imperium, quo ratio executionē medii imperat: *Septimo* vsus & executio. *Postremò*, si voluntas intento fine potiatur, fruitio.

ALII, vt Almaynus tract. 3. moral. cap. 3. Adrianus quodlib. 4. art. 1. verisimiliùs, negant.

PROBATVR hæc sententia. Nulla est constituendi talis imperij necessitas. Ergò frustra constituitur. Antecedens ostendo. Duplex ratio, cur necessarium existimari possit eiusmodi imperium, fingi potest. *Prima*, vt eo reliquæ potentiæ ad operandum moueantur. At hæc ratio nulla est. Nam primum mouens quoad exercitium, teste etiam D. Thomâ q. 9. art. 1. est voluntas: Intellectus enim tantùm mouet quoad specificationem, hoc est, quoad propositionem obiecti à quo operationes specificantur, quod sufficienter præstat iudicio consultationis antecedēte electionem. Ergò non est necessarius nouus aliquis intellectus actus, qui sit imperium. *Altera ratio*, vt voluntas eo imperio præscribat non tantùm quid facto opus sit, sed etiam quo modo, quo ordine, & quandò illud faciendum sit. Verùm neque hęc ratio momentū habet. Nam per iudicium consultationis non tantùm proponitur voluntati id, quod eligendum, & ipso opere exequendum est, sed modus etiam, ordo, & tempus exequendi. Hæc enim omnia in consultationem veniunt. Iis igitur semel iudicio definitis, & subindè voluntate electis, superuacaneus erit alius intellectus actus, qui ea denuò præscribat & denuntiet.

HINC colligi potest, qui sit iuxtà hanc sententiam ordo & progressus actuum humanorum in negotio morali. Idem enim est, quem constituunt authores sententiæ prioris; vno tantùm expuncto, quod posterius electione faciunt (vtpote non necessario) rationis imperio.

QVAESTIO XVIII.

De bonitate & malitiâ actuum humanorum in genere.

VNDECIM SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum omnis humana actio sit bona, vel aliqua mala?* CONCLVSIO est. Non omnis actio humana est bona, sed aliqua etiam mala & deficiens. Quæ conclusio ità certa est & euidens, vt à nemine nisi phanatico negari queat.

ARTICVLO II. *Vtrum actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ex obiecto?* CONCLVSIO est. Primaria bonitas & malitia actuum humanorum sumitur ex obiecto.

ARTICVLO III. *Vtrum actio hominis sit bona vel mala ex circumstantia?* CONCLVSIO est. Quemad[m]odum res naturales non tantum formæ [s]ubstantiales, sed etiam acciden[t]ariæ perficiunt: ità humanæ actiones non ex obiectis tantùm, sed ex circumstantiis etiam bonitatem aliquam & malitiam sortiuntur. *Vbi obserua*: Nomine circumstantiæ non intelligi quamcunque conditionem; sed eam, quæ attingit aliquo modo actionem. Nam si talis sit, vt solùm comitetur actum, nec ipsum vllo modo afficiat, non potest ad malitiam aut bonitatem actionis pertinere.

ARTICVLO IV. *Vtrum actio humana sit bona vel mala ex fine?* CONCLVSIO est. Actiones humanæ præter bonitatem, quam ex obiecto & circumstantiis habēt, ex fine etiam bonitatem vel malitiam suscipiunt.

ARTICVLO V. *Vtrum aliqua actio sit bonâ vel malâ in suâ specie?* CONCLVSIO est. Bonum & malum efficiunt operationes specie distinctas. Vndè rectè sequitur: *Hic actus est bonus, & ille malus: Ergo differunt specie morali.*

ARTICVLO VI. *Vtrum actio humana habeat speciem boni vel mali ex fine?* CONCLVSIO I. Actus exterior primariam suam malitiam vel bonitatem sumit ab obiecto, a quo specificatur. CONCLVSIO II. Actus interior primariam suam bonitatem vel malitiam desumit à fine; siuè is actus sit intentio finis, siuè electio mediorum, quæ non eliguntur nisi propter finem.

AR-

Articvlo VII. *Vtrum species, quæ est ex fine, contineatur sub specie, quæ est ex obiecto, sicut sub genere, vel è conuerso?* Conclvsio I. Quandò obiectum non est per se ordinatum ad finem, differentia secundum speciem, quæ est ex obiecto, non determinat eam, quæ est ex fine, nec e contrà. *Ratio est.* Quia omninò disparatæ & diuisæ sunt. Conclvsio II. Quandò obiectum per se ordinatur ad finē, differentia, quæ est ex obiecto, proximè continetur sub ea, quæ est ex fine, sicut sub genere. Cuius expositio legi potest apud Conradum hoc loco.

Articvlo VIII. *Vtrum aliquis actus sit indifferens secundum speciem suam?* Conclvsio est affirmans.

Articvlo IX. *Vtrum aliquis actus sit indifferens secundùm indiuiduum?* Conclvsio est negans.

Articvlo X *Vtrum aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni vel mali?* Conclvsio est. Circumstantia, quæ habet specialem ordinem conformitatis aut difformitatis ad rationem, constituit actum in specie boni, aut mali.

Articvlo XI *Vtrum circumstantia augens bonitatem vel malitiam, constituat actum moralem in specie boni aut mali?* Conclvsio est. Non quæuis circumstantia, quæ bonitatem vel malitiam actus auget, eidem nouam speciem tribuit.

DISPVTATIO I.

Quid sit in Actibus humanis esse morale?

Freqvens est distinctio apvd theologos, quâ in actibus humanis distinguunt genus naturæ, à genere moris. Dicunt enim actum humanum cōsiderari posse vel secundum esse naturale, vel secundum esse morale. Quid sit esse naturale satis in aperto est. Est enim ipsa naturalis entitas actus. Sed de esse morali res non adeò manifesta est, ad cuius expeditionem.

Dico I. Actum esse moralem, nihil aliud est, quàm dependere à voluntate liberè operante. *Probatur.* Quotiescunque actus humanus habet, vt fiat depēdenter à voluntate liberè operante, bonus est vel malus moraliter; dignus laude vel vituperio; id verò si non habet, nec bonus est, nec malus; nec laude dignus nec vituperio. Id ergò est, à quo actus habet, vt sit moralis.

Dico II. Esse morale nihil addit reale inhærens actibus humanis. *Probatur.* Idem actus potest esse successiuè moralis & nō moralis, nullâ factâ in eo mutatione intrinsecâ & reali. Exempli gratiâ: Motus aliquis voluntatis primò primus, qui fit à voluntate præueniente plenum rationis vsum, non est moralis, sed necessarius; & idem omninò sine vllâ suâ mutatione, si continuetur cū pleno vsu rationis, fit liber & moralis: Ergò esse morale nihil addit reale & intrinsecum actibus humanis.

Dico III. Actus elicitus à voluntate ideò moralis est, quia liberè elicitur à voluntate; actus verò imperati aliarum potentiarum ideò morales sunt, quià dependent ab actibus voluntatis elicitis. *Patet ex dictis.* Esse morale nihil aliud est, quàm dependere à voluntate liberè operante: sed actus eliciti voluntatis ideò dependent à voluntate liberè operante, quia immediatè ab eâ fluunt & producuntur; actus verò imperati aliarum potētiarum, quia fiunt mediis actibus elicitis voluntatis. Ergò. Hinc est quod D. Thomas in 2. dist. 40. quæst. I. art. I. doceat, esse morale per se conuenire actibus voluntatis; quià ij primò & immediatè procedunt à voluntate liberè operante; actibus autem aliarum potentiarum tantùm per aliud; quia ij liberi non sunt, nisi per alios actus, nempè per actus à voluntate elicitos.

Ex his colligitur primò, falli eos, qui existimant esse morale in actibus, esse differentiam aliquam essentialē. Nam si essentialiter actus esset moralis, non posset idem successiuè ex non morali fieri moralis.

Colligitur secundò. Esse morale actuum humanorum non esse, nisi denominationem extrinsecam à potentiâ liberè operante; quia ij fiant aut dependeant à potentiâ ad operandum & non operādum indifferente. Vnde digni sunt laude aut vituperio, præmio aut pœna.

Disputatio II.

Quid sit bonitas moralis?

Dionysius 4. de diuinis nominibus, bonum morale definit esse id, quod est ex integrâ caussâ. Id est, quando ea omnia habet, quæ habere debet; vt proficiscitur ab homine, quate-

nùs is vtitur in agendo ratione & voluntate. Quæstio est; *in quo bonitas hæc consistat?*

Dico I. Bonitas moralis duo importat, actionem scilicet moralem; & eius conformitatem cum rectâ ratione. Est communis sententia Theologorum; qui vno consensu docent, actionem humanam tunc esse bonam moraliter, quandò consentanea est inclinationi naturæ intellectualis determinatæ à rectâ ratione.

Dico II. Bonitas moralis formaliter significat rationem aliquam positiuam; nempè entitatem ipsam actionis moralis, connotat autē relationem cōformitatis cum rectâ ratione. *Probatur.* Proportionaliter philosophandum e[illegible] de bonitate morali; & de bonitate in communi: sed bonitas in communi formaliter significat rationem aliquam positiuā; nempè ipsam rei entitatē, & connotat relationem rationis; vt ostendimus in Metaphysicâ: Ergò & bonitas moralis.

Dico III. Hæc relatio conformitatis cum rectâ ratione ex eo consurgit, quòd actio moralis omnibus iis constet, quæ ei debentur secundum præscriptum rectæ rationis. Assertio hæc clara e[illegible]o enim moralis, cui nulla deest perfectio, quæ ei ex præscripto rectæ rationis debetur, non potest non esse conformis rectæ rationi. Hinc manat definitio illa Dionysij: *Bonum esse, quod est ex integrâ causâ.*

Obicies. I. Idem omninò actus, sine sui mutatione, potest successiuè fieri ex bono malus: Atqui id fieri non posset, si bonitas moralis formaliter esset aliquid reale. Ergò. *Respondeo.* Bonum etiamsi sit aliquid reale; vt tamen bonum morale sit, necessariò connotat aliquas circumstantias; quæ si desint, iam non erit ex integrâ causâ; ac proindè nec conforme rectæ rationi & bonum.

Obicies II. Habitus non egēt aliquâ relatione, vt denominentur boni; Ergò nec actus. *Respondeo.* Disparem esse rationem. Quia habitus non sunt moraliter boni, nisi quia caussant actus moraliter bonos; sicuti medicina nō aliter sana est, nisi quia ca[illegible]ssa est sanitatis in corpore humano. Quod non habent ab aliquâ relatione, sed à propriâ naturâ. At verò actus morales primariè & formaliter boni sunt; Vnde sine respectu conformitatis cum rectâ ratione intelligi non possunt.

DISPVTATIO III.

Quid sit malitia moralis?

QVEMADMODVM bonum morale est id, quod est conforme rectæ rationi; id est, quod habet omnia, quæ habere debet ex præscripto rectæ rationis; ità malum ex opposito est, quod est difforme rectæ rationi; quia aliquid ei deest, quod ex præscripto rectæ rationis habere deberet. Hinc quæritur, quid sit malitia moralis?

DICO I. Malitia moralis non est ratio aliqua positiua & realis. Ità contrà Caietanum & Medinam docent Theologi omnes. *Et ratio est.* Quià DEVS est author & caussa omnis entitatis positiuæ & realis: Sed non est author & caussa malitiæ moralis: quia esset author & caussa peccati, quod asseri non debet: Ergò malitia moralis non est aliqua entitas positiua & realis. *Quodsi respondeas.* Entitatem illam, quæ est malitia moralis, non habere rationem peccati, vt est à Deo efficiente, sed vt est à causâ creatâ deficiente; non tollis difficultatem. Quia entitas illa positiua, quæ iuxtà sententiam Caietani & Medinæ, est malitia moralis, per se & intrinsecè est peccatum: Ergò si eius author & caussa est DEVS; necessariò erit author & caussa peccati.

DICO II. Malitia moralis nihil aliud est, quàm carentia seu priuatio rectitudinis debitæ actui morali. Ità D. Thomas quæst. 21. art. 1. Magister in 2. dist. 35. & scholastici communiter. *Probatur primò* authoritate SS. Patrum. Dionysij cap. 4. de diuinis nominibus. part. 4. circà finem; vbi inquit: *Relinquitur ergo malum priuationem boni esse.* Et paullò post: *Est igitur malum priuatio.* D. Augustini in Enchirid. cap. 11. *Quid aliud est malum, quam priuatio boni? Deinde ratione.* Actus tunc moraliter bonus est, quandò constat integritate omnium eorum, quæ ipsi ex præscripto rectæ rationis debentur; vnde oritur, vt sit conformis & consentaneus rectę rationi: Ergò è cōtrà actus tūc censendus est moraliter malus, quandò caret aliquo corū, quę ipsi ex prę̨scripto rectæ rationis debentur; vndè fit, vt difformis sit & dissentaneus rectæ rationi; ac proindè malitia moralis formaliter erit carentia seu priuatio integritatis illius, quæ actui humano secundum rectæ rationis

nis præſcriptum debetur, quam vocamus rectitudinem debitam actui morali. Huc ſpectat illud Dioniſij. *Bonum eſt ex integrâ cauſſâ, malum ex quolibet defectu.* Contrà vtramque concluſionem nonnulla obiici poſſunt, breuiter diluenda.

Obiicies I. Datur actus aliquis moralis, qui malus eſt, vt eſt huius & determinatæ ſpeciei. Exempli gratiâ; odium Dei &c. Sed eſt huius & determinatæ ſpeciei per differentiam poſitiuã: Ergò malitia moralis, erit differẽtia aliqua poſitiua. *Reſpondeo.* Maiorem non ita intelligendam eſſe, quaſi actus formaliter malus ſit per differentiã, qua conſtituitur in hac & determinatâ ſpecie; ſed quià differentiam illam conſequitur priuatio debitæ rectitudinis, à quâ habet, vt formaliter malus ſit.

Obiicies II. Ariſtoteles in cap. de oppoſitis, docet bonum & malum opponi contrariè: ſed quæ contrariè opponũtur, poſitiua ſunt: Ergò malum eſt aliquid poſitiuũ. *Reſpondeo*: Ariſtotelem loqui de malo non formaliter, ſed materialiter ſumpto; nempè de actu malo, qui contrariè opponitur actui bono. Nam ſi de ipſâ malitiâ loquamur, inter illam & bonitatem non eſt oppoſitio contraria, ſed priuatiua.

Obiicies III. Sunt quidam actus humani ità mali, vt nullius rectitudinis ſint capaces. Cuiuſmodi ſunt *odium Dei, blaſphemia, mendacium &c.* Ergò eorum malitia non eſt aliqua priuatio, quæ eſſe non poteſt, niſi in ſubiecto capaci, & habili ad ſuſcipiendam formam oppoſitam. *Reſpondeo.* Actus illos non eſſe capaces rectitudinis, vt mali ſunt, & huius determinatæ ſpeciei; eſſe tamẽ capaces, vt morales & humani ſunt. Homo enim quoties moraliter & liberè operatur, tenetur benè operari, ſeu operationem ſuam collocare in ſpecie aliquâ boni moralis & honeſti. Quod ſi non facit, priuat operationem ſuam debitâ rectitudine, in quâ priuatione conſiſtit malitia moralis. *Vndè colligo*, ſubiectum iſtius priuationis, non eſſe totum actum malum; quia totus non eſt capax rectitudinis, vt capax eſſe debet ſubiectum priuationis; ſed eatenùs tantùm, vt actus quidam humanus eſt, qui ſicuti productus huius ſpeciei eſt, ex quâ ſequitur priuatio rectitudinis; ità produci potuit & debuit, cum debitâ rectitudine, quod ſatis eſt ad malitiam moralem.

Obiicies IV. Vnius virtutis vna tantùm eſt priuatio. Ergò ſi malitia moralis conſiſtit in priuatione; vni virtuti non opponetur niſi vna malitia; ac proindè &

vnum peccatum; quod constat esse falsum in peccatis per excessum & defectum; quæ licèt contrà vnam & eandem virtutem sint; diuersa tamen peccata sunt. *Respondeo.* Negando maiorem. Vnius enim formæ plures esse possunt priuationes. quæ non ex eo tantùm differunt, quòd vnius rei formæ sint; sed etiam quià eandem diuersis modis tollunt. Quemadmodum ęgritudines eidem sanitati oppositę nō differunt ex diuersitate sanitatum, sed quia eandem sanitatem diuersis modis à subiecto excludunt.

Obiicies V. Priuationes non possunt generare habitum: At actus mali generant habitum: Ergò malitia actuum humanorum non consistit in priuatione. *Respondeo.* Actus malos generare habitum, nō vt mali formaliter; sed vt actus sunt; Hinc quia habitus genitus inclinat ad actus similes iis, à quibus genitus est, dicitur malus caussaliter.

DISPVTATIO IV.

Vndè Bonitas & malitia actuum humanorum desumatur?

Tria sunt de quibus quæri potest: *An ab iis actiones humanæ bonitatem vel malitiam moralem trahant?* Obiectum, Finis, Circumstantiæ. De singulis agemus ordine.

DE OBIECTO.

Dico I. Actiones morales primā bonitatem & malitiā suam sumunt ab obiecto. Ità cōmuniter sentiunt Theologi. *Et ratio est.* Vt se habēt res naturales ad suas formas; ita actiones morales ad suâ obiecta; sicut enim forma speciē tribuit actioni naturali; ita obiectum actui morali. Sed res naturales primariam bonitatem & malitiam suam accipiunt à formis; Ergò & actiones morales ab obiectis. Huius conclusionis sensus est: Actionē ex eo moraliter esse bonam aut malam, quòd versetur circà obiectum bonum aut malum; hoc est, circà obiectū conforme aut difforme naturæ rationali, quà rationalis est.

Dico II. Bonitas & malitia, quam morales actiones trahunt ex ordine ad obiectum, non est generica tantùm, sed specifica & peculiaris. *Probatur.* Remotis omnibus circumstantiis, remanente solo obiecto bono aut malo remanet actus eiusdem speciei; Ergo bonitas aut malitia,

quam ab obiecto recipit, certæ est & determinatæ speciei.

Obiicies. Actus voluntatis, quo quis statuit generatim benè viuere; & actus voluntatis, quo decernit generatim malè viuere & peccare, bonitatem & malitiam sumũt ab obiectis; sed ea non est specifica & peculiaris; sicut nec obiecta sunt in certâ aliquâ & peculiari specie. Ergò non omnis bonitas & malitiâ, quę sumitur ab obiecto, specifica est & peculiaris. *Respondeo.* Cùm dicitur actus moralis speciem sumere ab obiecto, sensus non est, quòd eiusdem speciei esse debeat, cuius est obiectũ; cùm possit obiectum esse cõmune, actus autem specificus, immò singularis & determinatus: sicuti, exempli gratiâ, notitia, quâ cognosco Ens vniuersè sumptũ, specialis & indiuidua est: sed sensus est; actum ex ordine & respectu ad obiectum habere, vt huius aut illius speciei sit. Quamuis ergò obiecta illa; *benè viuere*, & *peccare*, communia sint; ordo tamen & respectus ad illa specialis est; eò quòd specialiter distinguatur à cęteris actibus, quibus volumus aut peculiare bonum, aut speciale malum; vndè actum etiam in certâ & determinatâ specie constituit. Neque opus est, vt eiusmodi actiones particularis alicuius virtutis sint, aut vitij; sed satis est, si naturali inclinationi volũtatis, quâ propensa est in omne bonum, vel congruant, vel aduersentur.

DE FINE.

PRæmitto duplicem esse finẽ. *Vnus* est intrinsecus, qui est idem cum obiecto; est enim id, quod voluntatem proximè ad operandum mouet, ità vt eo remoto, voluntas non habeat ampliùs, à quo moueatur. Hunc appellat D. Thomas proximũ, seu finẽ operis. *Alter* est extrinsecus, qui differt ab obiecto, & accedit operi ex voluntate operantis; quo sublato, manet adhuc ratio in obiecto, quæ voluntatẽ moueat ad operandum. Hunc vocat D. Thomas remotũ, seu finẽ operantis. Rẽ exemplo declaro. Aliquis interficit hominem propter furtũ, seu vt bona ipsius surripiat. Operis huius finis proximus, qui dicitur obiectum, est homicidiũ; remotus autem, & qui accedit ex voluntate operantis, est furtum. Hic non agimus de fine proximo operis, cuius eadem est ratio, quæ obiecti; sed de fine remoto operantis. *Quo posito.*

Dico: Actio humana, præter primariã bonitatẽ vel malitiam, quã accipit ab obiecto, aliam & secũdariam recipere potest à fine, ad quẽ ordinatur. Ità D. Thomas hoc loco art. 4. & Theologi cõmuni-

ter. *Ratio est.* Quià finis, si conformis aut difformis sit naturæ rationali, sufficiens est ad tribuendam actibus humanis bonitatem aut malitiam; nec obstat bonitas vel malitia deriuata ab obiecto, quin noua possit à fine recipi. Ergò. *Hinc.*

Colligitvr. I. Vt actus ex obiecto simpliciter bonus sit, opus esse, vt non referatur in finem malum. *Ratio est.* Quia bonum debet esse ex integrâ caussâ. Hinc Matthæi 6. monemur, nè iustitiam nostram faciamus coram hominibus, vt videamur ab eis. Quia videlicet opera Iustitiæ, aliàs ex obiecto bona, accedente fine vanæ gloriæ, mala euadunt.

Colligitvr II. Vt actus, qui versatur circà obiectum bonum, simpliciter bonus sit, non necesse esse, vt referatur in finem bonum. *Ratio est.* Quia obiectum sufficiens est ad tradendam bonitatem actibus. Ergò necessaria non est relatio in bonum finem. Quin tamen expediat opera ex obiecto bona referri etiam in finem bonum, dubitare non licet; iuxtà illud Apost. 1. ad Corinth. 10. *Omnia quæcunque facitis, in gloriam Dei facite.*

Colligitvr III. Actiones ex obiecto indifferentes, qualis est deambulatio & similes, vt moraliter bonæ aut malæ sint, necesse esse, vt in bonum aut malũ finẽ referãtur. *Ratio est.* Nam cùm nullam ex obiecto bonitatẽ aut malitiam habeant; eam debẽt à fine sumere. *Hinc* si deambules vt eleemosynam tribuas, actio bona est, & ad virtutem misericordiæ pertinens; sin, vt fureris, opus malum est, & in specie iniustitiæ.

DE CIRCVMstantiis.

Commvnis theologorvm Sententia est; actiones morales ex iis aliquam bonitatem vel malitiam sumere; bonitatem quidem, quandò ex circumstantię accedunt, quę actui secundum rectam rationem debentur; malitiam verò, si vel aliqua circumstantia desit actui debita; vel si aliqua apponatur contrà præscriptum rectæ rationis. *Ad cuius sententiæ explicationem vberiorem.*

Observandvm est. Ex circumstantiis actuum humanorum, quasdam esse, quæ faciunt ad bonitatem vel malitiam moralem actus: Exempli gratiâ; locus sacer respectu homicidij in Ecclesiâ perpetrati; Quantitas rei furto ablatæ, & similes. Et hæ propriè appellantur circumstantiæ. Aliæ sunt, quæ nihil faciunt ad hone-

standum

ſtandum aut vitiandum actum; ceu ſunt, largiri eleemoſynam horâ tertiâ, aut quartâ; occidere manu dextrâ vel ſiniſtrâ; & hæ prorsùs ſunt impertinentes, quæ nec appellationem circumſtantiæ merentur, nec æſtimari ſolent in negotio morali. *Hinc* duo ad quamcunque circumſtantiam requiruntur: *Primò* vt ſit extrà ſubſtantiam actus; *Deindè*, vt actum humanum aliquo modo attingat.

Obiicies. Circumſtantia aliquandò tribuit ſpeciem actui humano. vt conſtat exemplo furti cõmiſſi in loco ſacro. Circumſtantia enim loci ſacri conſtituit furtum in ſpecie ſacrilegij. Ergò non ſemper eſt extra eius ſubſtantiam. *Reſpondeo.* Actum moralem ex proprio obiecto habere vnam intrinſecam & primariam ſpeciem moralem; ex circumſtantiis verò accipere poſſe alias ſpecies, veluti ſecundarias & extraneas. Exempli cauſsâ: Erogat aliquis eleemoſynam Hic actus ex propriâ & primariâ ſpecie, quam ex obiecto habet, eſt actus miſericordiæ. Eidem, ſi ideò fiat, vt alij prouocentur ad liberalitatem, accedit noua & ſecundaria ſpecies liberalitatis ex intentione & fine operantis. Similiter. Furatur aliquis: Hic actus furti primariam iniuſtitiæ ſpeciem ſumit ab obiecto, circa quod verſatur. Ei, ſi fiat in loco ſacro, iam noua & ſecundaria ſpecies ſacrilegij aduenit ex circumſtantiâ loci ſacri. *Hinc* facilè ſoluitur obiectio. Licet enim locus ſacer non ſit circumſtantia & accidens reſpectu ſacrilegij, ſed obiectum; eſt tamen circumſtantia & accidens reſpectu furti; cui accidit perpetrari in loco ſacro. Item finis prouocandi ad liberalitatem, tametſi extraneus non ſit actui, vt eſt in ſpecie liberalitatis; quippè à quo ſpecies illa ducitur; eſt tamen extraneus eidem actui, vt primariè & principaliter conſtituto in ſpecie miſericordiæ. Et ſic de aliis.

DISPVTATIO V.

An poſſit dari actus aliquis humanus, qui ſecundum indiuiduam ſuam rationem nec ſit bonus moraliter, nec malus; ſed medius ſeu indifferens?

Controversia eſt de actionibus humanis & liberis. Nam quæ ſine deliberatione fi-

unt, ſicuti extrà genus moris ſunt, ità nec moraliter bonæ aut malæ; ac proindè mediæ & indifferentes ſunt.

PRIMA SENTENTIA eſt: Non poſſe dari actionem humanã & deliberatam in indiuiduo, ſeu vt re ipsâ exerceatur, indifferentem; ſed omnes aut bonas eſſe moraliter, aut malas. Ità D. Thomas, & Thomiſtæ hoc loco. art. 9. Albertus in 2. diſt. 40. art. 4. AEgidius q. 2. art. 3. Rich. art. 2. q. 3. Durand. q. 1. Capreol qu. 1. art. 1. concluſ. 1. Maior diſt. 41. q. 2. concluſ. 1. & alij. *Fundamentum huius ſententiæ eſt.* Homo quoties operatur moraliter & liberè, tenetur operari ſecundum rectã rationem; Id ſi facit, benè operatur; ſi non facit, tranſgreditur obligationem ſuã, & peccat; Ergò omnis operatio, quæ liberè fit ab homine, bona moraliter eſt aut mala. *Confirmatur.* Actio humana, quæ poſſet exiſtimari indifferens, aut fit bono aliquo fine, aut non; ſi fit bono fine, bona eſt. (Vt enim ſuprà vidimus, actio, quæ ex obiecto eſt indifferẽs, bonitatem ex fine bono induit.) Si caret bono fine, otioſa eſt; ac proindè & mala. Nam ſi verbum otioſum, hoc eſt, nullo bono fine prolatum, malum eſt. Matth 12. *Dico autem vobis, quoniã omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*; Cur non & quidem potiori ratione, actiones & opera? Sententiæ huic fauet D. Auguſtin. lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. antè medium ab illis verbis: *Quòd ſi abſurdiſſimè dicitur*, &c. Vbi diſertim docet, omnem voluntatem aut bonã aut malam eſſe, nec vllam eſſe, quæ ità in medio ſiſtat, vt nec bona nec mala ſit: Et bonam quidem à DEO eſſe; malam vero quia peccatum eſt, non eſſe à DEO.

SECVNDA SENTENTIA eſt: Poſſe dari actionem aliquam humanam, quæ in indiuiduo nec bona ſit moraliter, nec mala, ſed media & indifferens. Ità Alexan. 3. part. q. 35 membro 3. Bonauentura in 2. diſt. 41. art. 1. quæſt. 1. Gabriel in 2. diſt. 41. qu. 1. art. 2. concluſ. 1. Almayn. tract. 1. Moral. c. 14. dub. 2. Scotus in 2. diſt. 41. qu. vnicâ. & quodlib. 18. art. 1. Hieronymus ab Angeſto cap. 8. moral. part. penul. *Huius ſentẽtiæ fundamentum eſt*: Nulla eſt natura ſpecifica, quæ ſub ſe non contineat aut continere poſſit aliquod indiuiduum: ſed datur actio indifferens ſecundum ſuam ſpeciẽ: Ergò dari etiam poteſt actio, quæ ſit indifferens in indiuiduo. *Confirmatur.* Deambulare ob ſanitatem, reiicere purgamenta capitis ad ſubleuandam naturæ moleſtiã, fricare manus ad depulſio-

nem,

uem frigoris, & ſimilia opera, cũ deliberatè fiunt nullo propoſito fine honeſtatis, nec ſunt bona moraliter; quià nihil apparet, vndè bonitatem accipiant; nec etiam mala; quia ſic materia eſſent confeſſionis & abſolutionis ſacramentalis, quod valde abſurdum videtur; Ergò in indiuiduo, & vt reipsâ exercentur, indifferentia ſunt. Huic ſententiæ fauet D. Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt. 11 inter alias Auguſtini epiſtolas, cum inquit: *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter vtramq; indifferens ambulare, digerere alui ſtercora, capitis purgamenta naribus proijcere, ſputis rheumata iacere. Hoc nec bonum, nec malum eſt. Siue enim feceris, ſiuè non feceris, nec iuſtitiam habebis, nec iniuſtitiam.*

Harvm opinionum vtraque eſt probabilis; prima támen vt plurium authoritate Doctorum nititur, ità nobis etiam præferenda eſt. *Ad fundamentum poſterioris reſpondetur.*

Indifferentiam in iis actibus, qui ex obiecto & ſpecie ſuâ conſiderati nec boni moraliter nec mali ſunt, non eſſe rationem aliquam poſitiuam, quæ reperiri debeat in indiuiduis; ſed dicuntur actus illi indifferentes negatiuè tantùm; nempè quia ex obiecto & ſpecie ſuâ non habeant, quòd boni aut mali ſint; quanquàm aliundè bonitatem & mamalitiam poſſint contrahere; ex eo videlicet, quòd quotieſcunq; homo operationem indiuiduam exercet, ità operari tenetur, vt eius operatio ſit conformis rectæ rationi. Quod ſi facit, bona eſt operatio; ſi non facit, vel quia nullum ſibi finem honeſtatis proponit, ſi operatio ex obiecto ſit indifferens; vel quià malo fine operatur, otioſa, praua & mala eſt operatio.

Ad confirmationem. Actiones illæ ſi fiant bono fine, bonæ ſunt; ſin careant bono fine, otioſæ ſunt & malæ. Ad id quod additur de materiâ confeſſionis, *Reſpondeo*; ſi opera illa conſiderentur, vt ſunt ex obiecto indifferentia, non eſſe materiam confeſſionis; ſi autem vt in indiuiduo otioſa, eſſe quidem materiam confeſſionis, ſufficientem, non tamen neceſſariam.

QVAESTIO XIX.

De Bonitate & malitiâ actus interioris voluntatis.

DECEM SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex obiecto?* CONCLVSIO est affirmans. Quam probat D. Thomas hac ratione: Actus interior bonus specie differt ab actu interiori malo: Sed differentia specifica actuum sumitur ex ordine ad obiecta. Ergò bonitas actuum interiorum voluntatis pendet ab obiecto.

ARTICVLO II. *Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex solo obiecto?* CONCLVSIO est affirmans. Cuius sensus est. Quod differentia, per quam actus interior reponitur in aliquâ specie boni vel mali moralis, sumitur à solo obiecto; quia circumstantiæ actuũ exteriorum, relatæ ad actum interiorem, plerunque desinunt esse circumstantiæ, & transeunt in vim & rationem obiecti.

ARTICVLO III. *Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex ratione?* CONCLVSIO est. Actiones voluntariæ moraliter bonæ sunt; quia sunt cõformes rectæ rationi, seu naturæ rationali, vt rationalis est.

ARTICVLO IV. *Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex lege æterna?* CONCLVSIO est affirmans. Hanc probat D. Thomas. Quòd enim ratio humana regula & mensura sit bonitatis actuum voluntatis, habet à lege & ratione diuinâ, cui subordinatur.

ARTICVLO V. *Vtrum voluntas discordans à ratione errante sit mala?* CONCLVSIO est. Omnis voluntas discordans à ratione, siuè rectâ, siue errante, semper est mala.

ARTICVLO VI. *Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona?* CONCLVSIO est. Si ratio vel conscientia erret errore culpabili, voluntas ei concordans mala est: Sin error sit inculpabilis, voluntas concordans rationi erranti non est mala.

ARTICVLO VII. *Vtrum bonitas voluntatis in iis, quæ sunt ad finem, dependeat ex intentione finis?* CONCLVSIO est. Bonitas voluntatis pendet ex intentione finis, præcedente electionem eorũ, quæ sunt ad finem; non autem ex intentione subsequente.

ARTICVLO VIII. *Vtrum quãtitas bonitatis vel malitiæ in voluntate sequatur quantitatẽ boni vel mali in intentione?* sensus est. Vtrum sit tanta bonitas aut malitia in electione, quanta est in intentione? CONCLVSIO est. Si electio consideretur secundum se, & vt respicit proximum obiectum suum, seu mediũ; eius bonitas vel malitia non semper respondet & cõmen-

mensuratur bonitati vel malitiæ intentionis; si vero consideretur, vt formaliter subest intentioni finis, tanta bonitas vel malitia redundat in electionem mediorum, quanta est in intentione finis.

ARTICVLO IX. *Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem diuinam?* CONCLVSIO est. Voluntas vt sit bona, necesse est, vt cum diuinâ voluntate conformetur.

ARTICVLO X. *Vtrum necessarium sit, voluntatem humanã conformari voluntati diuinæ in volito ad hoc, vt bona sit?* CONCLVSIO est. Vt voluntas recta sit, debet conformari diuinæ voluntati in volito formali; id est, ratione finis; non autem in volito materiali, hoc est, in re ipsâ volitâ.

DISPVTATIO I.

Vtrum bonum & malum sint differentiæ substantiales actuum voluntatis?

CONTROVERSIAM hanc excitat propositio illa Diui Thomæ, ad probandam primi articuli conclusionem assumpta: *Bonum & malum sunt per se differentiæ actuum voluntatis.* Dubitatur enim, vtrum intelligenda sit de actibus voluntatis, consideratis non tantùm in genere moris, sed etiam in genere naturæ? ità vt rectè argumentari queas: Hic actus est bonus, & ille malus; Ergò differunt essentiâ & specie naturali?

PRIMA SENTENTIA est Conradi hoc loco art. 1. Ferrariens. lib. 3. contrà gent. cap. 10. Occam & Gabriel in 2. dist. 41. quæst. 1. art. 2. Richardi in 2. dist. 40. art. 2 q. 1. Almayni tractat. 1. moralium c. 6. qui docent bonum & malum, esse differẽtias essentiales interiorum actuũ voluntatis, etiã in genere naturæ; actibus vero exterioribus aliarum facultatum tantum conuenire accidentariè. *Primam sententiæ suæ partem probant.*

PRIMO. Ità se habent bonum & malum respectu actionum voluntatis; sicut verum & falsum respectu actionum intellectus: sed verum & falsum sunt differentiæ essentiales actuum intellectus in genere naturæ: Ergò bonum & malum similiter erunt differentiæ essentiales actuum voluntatis, non tantùm in genere moris, sed etiam in genere naturæ.

SECVNDO. Actiones interio-

tes voluntatis essentialiter sunt morales, quia essentialiter sunt voluntariæ: Ergò essentialiter etiam bonæ aut malæ. *Consequentia clara est.* Nam bonum & malum sunt, quæ genus moris primo & immediatè diuidunt.

Tertio. Actus voluntatis speciem suam sumunt ab obiecto formali: sed eorum actuum voluntatis, qui boni sunt moraliter, obiectum formale est bonū honestum: Ergò bonum honestum est, a quo species & natura sumitur eorum actuum voluntatis, qui sunt boni moraliter; ac proinde bonitas honestatis, eorum differentia est intrinseca & substantialis.

Qvarto. Actus voluntatis, quo homo Devm amat, ex naturâ suâ bonus est; & actus, quo Devm odit, ex naturâ suâ malus est: Ergò bonitas & malitia sunt eorum differentiæ secundū esse naturæ.

Alteram partem ex eo ostendunt. Vt enim actus exteriores aliarum facultatum extrinsecè tantū voluntarij & morales sunt; ità differentiæ huius generis, nempè bonum & malum, non possunt ijs esse intrinsecè & essentiales.

Secvnda et probabilior Sententia est, Bonū & Malum non esse differentias essentiales actionum voluntatis si spectentur in genere naturæ; sed tam his, quam actionibus externis aliarum facultatū accidentariè conuenire; sicuti ipsum genus moris, cuius differentiæ sunt, vtriq; actionum generi accidentariè conuenit. Ità sentiunt Bonauent. in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 2 Durand. in 2. dist. 40. quæst. 3. Caiet. hoc loco. art. 1. & quæst. 20. art. 6. Maior in 1. dist. 17. quæst. 8. Medina hoc loco & alii. *Probatur hæc sententia primo* de actibus externis. Possūt esse duo actus eiusdem omninò speciei in genere naturæ, quorum alter moraliter bonus, alter malus sit: Ergò bonitas & malitia moralis, non sunt differentiæ essentiales actuum exteriorū. *Consequentia clara est.* Nam si bonitas & malitia essent differentiæ essentiales, actus etiā differrent secundū naturam essentialiter. *Antecedens probatur.* Occisio hominis, si naturā & substantiam operationis consideres, eiusdem speciei est, siuè à iudice fiat, siuè à personâ priuatâ; At si fiat à iudice bona est; si vero à personâ priuatâ, mala. Ergo.

Secvndo & præcipuè de actibus voluntatis. Idem actus volūtatis manente inuariatâ substantia suâ [illegible] potest fieri successiuè [illegible] malus: Ergo bonum & malum non sunt differentiæ

essentia-

essentiales actuum voluntatis in genere substantiæ naturalis. *Antecedens patet* exẽplo eius, qui feriâ quintâ statuit, licito & honesto fine, ante mediam noctem carnibus vesci, & in eadem voluntate persistit vltrà mediã noctem, culpabiliter ignorans tempus mediæ noctis effluxisse; Hoc enim voluntatis propositum, cũ bonum priùs esset, vitiosum postea & malum efficitur.

Tertio. Nulla actio voluntatis adeò moraliter bona est, quin possit ex bonâ fieri, non bona; & econtrà, nulla tam mala moraliter, quin ex mala fieri possit, non mala; vt si, cùm libera prius esset, posteà deficiente iudicio rationis, sine libertate continuetur: Ergò nec bonitas moralis, nec malitia possunt esse differentiæ substantiales actuum voluntatis; quia sublatâ differentiâ substantiali, non manet idem actus secundum naturam & substantiam. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primvm Negatur minor. Eadem enim opinio, quæ actio quædam intellectus est, potest, teste Aristotele in prædicam. cap. de substantiâ, successiuè ex verâ, fieri falsâ: quod fieri non posset, si verum & falsum essent differentiæ substantiales actuum intellectus.

Ad secvndvm. Negatur antecedens. Nam, vt superiori quæst. disp. I. vidimus, esse morale tantum actibus conuenit per denominationem extrinsecam. Voluntarium verò latiùs patet, & est ratio intrinseca cuicunque actioni voluntatis, siuè liberè, siuè necessariò à voluntate procedat.

Ad tertivm. Vt actio aliqua voluntatis sit bona moraliter, nõ satis est, vt feratur in bonum honestum; sed necesse etiam est, vt sit libera; libertas autem non est differentia substantialis actuum voluntatis; ac proindè nec bonitas moralis, quæ libertatem necessario supponit.

Ad qvartvm. Tametsi amor Dei ità intrinsecè bonus sit, vt malus esse non possit; & odium Dei ità intrinsecè malum, vt bonum esse nequeat; potest tamen & ille carere bonitate morali; & istud malitiâ morali, si vterque actus sine libertate fiat. *Vnde* sequitur, vt nec bonitas moralis, nec malitia sint differentiæ substantiales actuum voluntatis.

DISPVTATIO II.

Vtrum idem actus possit esse bonus ex obiecto, & malus ex circumstantiis?

CONTROVERSIAM hanc, quæ internis & externis actibus communis est, tribus assertionibus breuiter expediemus.

DICO I. Actus, cùm ex obiecto malus est, nullo fine aut circumstantiâ adiectâ potest fieri bonus. *Ratio est.* Finis & circumstantiæ non tollunt obiectum, ac proinde nec malitiam, quæ ab obiecto sumitur; manente autem malitiâ obiecti, non potest actus esse bonus; quià bonum debet esse ex integrâ causâ.

OBIICITVR illud Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Vbi per oculum intentio significatur: Hæc ergò sufficit ad honestandum actum, tametsi is versetur circa obiectum malum. *Respondeo* Esto, intelligatur nomine oculi intentio. Ea tunc dicitur simplex, cùm est caussa bonæ electionis, quæ nisi versetur circa obiectum bonum, bona esse nullo modo potest.

DICO II. Actus, qui fit malâ intentione, circà quodcunque obiectum versetur, bonus esse non potest. *Ratio est.* Quia bonum debet esse ex integrâ causâ; malum verò oritur ex quocunque defectu. Quamobrem si actui malus finis accedat, non potest actus non esse vitiosus & malus. Vndè Matth. 6. dicitur: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hinc.

COLLIGO I. Non posse generari habitum bonum ex actibus, qui fiunt ob finem malum; neque vllam acquiri facilitatem ad operandum benè & virtuosè; tametsi facilitas quędam acquiri possit, vt fiant actus, qui versentur circà obiectum materiale alicuius virtutis sicuti actus prodigalitatis dicuntur propter affinitatem quandam disponere ad actus liberalitatis.

COLLIGO II. Virtutes morales Romanorum, eò quòd coniunctæ essent cum fine malo vanæ gloriæ, non aliud obtinuisse præmium à Deo nisi tempo ale; quod reliquorum gesta gētilium, quià longè deteriora erant, non fuere assecuta.

COLLIGO. III. Obstetrices illas Exod. 1. quæ mentitæ erant in

gratiam Iudæorum, vt eos ab interitu vindicarent, remuneratas fuisse, non ob voluntatem mentiendi; sed quòd Iudæos liberare intenderent. Nam duo in ijs voluntatis actus distingui debent, quorum alter, quo scilicet mentiri statuerãt, erat malus; alter verò, quo vitam Iudæorum tueri volebant, bonus. Ità D. August. lib. contrà mendacium cap. 10. & seq.

Dico III. Omnis actus, quantumuis aliàs ex specie suâ bonus, accedente vitiosâ & malâ circumstantiâ, vitiatur & fit malus. *Ratio est.* Quia bonum debet esse ex caussa integrâ, cùm è diuerso ad malum sufficiat quilibet defectus, vt ex dictis satis cõstat. Hinc actus aliquis, qui ex obiecto alioquin bonus esset, & in certâ aliquâ virtutis specie constitutus; si tamen exerceri nequeat, nisi peccetur contrà aliam virtutem; vt exempli caussâ, docere aut studere eo tempore, quo sacrum Missę ex præcepto religionis audiendum est; non potest esse bonus moraliter; quia hîc & nunc positâ tali circumstantiâ consideratus, non est secundum præscriptum rectæ rationis; alioquin enim fieri posset, vt aliquis simul peccaret mortaliter; & actum charitatis eliceret; simul mereretur & demeretur.

DISPVTATIO III.

An sit peccatum agere contrà conscientiam erroneam?

CONSCIENTIA, missis aliis acceptionibus, sumitur hoc loco, & propriissimè, pro iudicio intellectus, quo iudicamus aliquid bonum vel malum; præceptum vel prohibitum; faciendum vel fugiendum esse. Hoc iudicium si sit conforme rei agendæ, dicitur conscientia recta; sin verò difforme; quia id, quod iudicatur bonum aut præceptum esse, reuerâ nec bonum, nec præceptum sit; vel è contrâ, quod iudicatur malum aut prohibitum, reuerâ nec malum sit, nec prohibitum, vocatur conscientia erronea. De qua quæritur: *Vtrum homo ità se debeat conformare conscientiæ erroneæ, vt si contrà eius dictamen operetur, peccet?*

COMMVNIS ET VERA SENTENTIA est; agere contrà conscientiam erroneam, in quocunque casu & materiâ id fiat, intrinsecè malũ & peccatũ esse. Ità vno

consensu docent Theologi: Diu. Thomas, eiusq; Interpretes hoc loco, art. 5. Bonauentura, in 2. dist 39. art. 1. quæst. 3. Richard. art. 2. quæst. 3. Durand. quæst. 5. Gabriel quæst. vnicâ. art. 3. dub. 3. Gregor. quæst. vnicâ. art. 2. Maior quæst. vnicâ. Occam in 3. quæst. 13. Almaynus tract. 1. moral. cap. 5. post 3. conclus. Antoninus 1. part. tit. 3 c. 10. §. 4. Corduba lib. 3. q. 4. & alij.

Hæc sententia adeò certa est, vt contrariã meritò hæreticã censeant Adrianus quodlib. 4. art. 2. Corduba loco allegato, Vasquez. 1. 2. q. 19. disput. 59. c. 2. nu. 6. *Constat* ex illo ad Rom. 14. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsũ, nisi ei qui existimat quid cõmune esse, illi cõmune est.* Vbi D. Paulus perspicuè docet, ei, qui cibum aliquẽ communẽ, hoc est, immundũ & vetitum reputat; tametsi, abrogatâ iam lege Mosaicâ, nec immundus sit nec vetitus; communem seu immundum fieri; ac proindè peccare talem, si eo contrà dictamen propriæ conscientiæ, etiamsi erronea sit, vescatur. Subdit paullò inferiùs: *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quià non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*: Sensus est: Qui autem discrimen ponit inter cibos, si eo vescatur, quem censet vetitum, reus est criminis, quia contrà conscientiæ iudiciũ agit; quicquid autem fit reclamãte conscientiâ, etiam erroneâ, peccatũ est. Ità locum illũ communiter exponunt SS. Patres. Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Anselmus. *Eandem* Sententiam Catholicam & latè prosequitur S. Bernardus lib. de præcepto & dispensatione; & grauiter confirmant decreta summorum Pontificum. Cap. Omnes. 20. qu. 1. cap. Per tuas 2. de simonia. Capit. Per literas. de restit. Spoliatorum. Cap. vlt. de præscriptionibus. *Ratio sententiæ est.* Omnis actio deuians à suâ regulâ peccatum & mala est: Sed omnis actio voluntatis, quæ fit contrà dictamen conscientiæ erroneæ, deuiat à suâ regulâ: Ergò. Maior indubitata est. *Minor ostenditur.* Tametsi enim prima regula bonitatis & malitiæ actuum humanorum sit natura rationalis, quà rationalis est; ità vt is actus moraliter bonus sit, qui est conformis naturæ rationali; & is malus moraliter, qui naturę rationali difformis est; proxima tamen & immediata regula est iudiciũ rationis. Nã quia voluntas, vt quę cæca esse dicitur, videre ipsa & dignoscere nõ potest quid naturę rationali cõsentaneũ, aut dissentaneũ sit; vt aliquid vel appetat tãquàm consentaneũ, vel refu-

refugiat tanquàm dissentaneum, indiget directione & iudicio rationis, vt proximâ & immediatâ regula suarũ operationũ; à quâ regulâ si deuiet, fieri nõ potest, quin eius operatio mala, & peccatũ sit.

Obiicies. Iudiciũ illud rationis, seu dictamen conscientiæ, prout de eo agimus, est erroneũ. Quomodo ergò potest esse regula actionũ voluntatis? regula enim nisi recta sit, non videtur esse regula. *Respondeo.* In iudicio illo duos respectus considerãdos esse; sub quorum vno errorẽ continet; sub altero regulæ & normæ rationem. Errorem habet, si cõferatur cum obiecto; rationem regulæ, si cum voluntate. Voluntas enim, quia cæca est, sequi debet ductum rationis, quem si deserat, excidit à proximâ suâ regulâ, & exponit se periculo erroris, ac proindè peccat.

Doctrina hæc materiam exhibet multarum difficultatũ, quas propositâ nobis & consuetâ breuitate conabimur expedire.

Prima est. *Quale peccatum sit agere contrà consciẽtiam erroneam?* *Respondeo;* Non esse peccatum aliquod peculiare; sed in eâ specie peccati constitui, quã cõscientia erronea voluntati obiicit & proponit. Vnde si existimes tali die ieiunandũ tibi esse; peccas peccato intẽperantiæ, nisi ieiunes & sic de aliis. *Ratio est.* Quià nulla virtus aut præceptũ obligat, nisi mediâ conscientiâ, quæ est proxima regula nostrarum actionũ Eandem ergò obligandi vim habet notitia præcepti, quã habet præceptũ ipsum. Vndè qui contrà conscientiã operatur, non cõmittit peccatũ duplex, quorũ vnũ dictamini consciẽtiæ; alterum virtuti vel præcepto per conscientiã propoto aduersetur; cõsciẽtia enim, siuè vera, siue erronea, vt nõ affert nouã & distinctã obligationẽ ab obligatione præcepti aut virtutis, quã pponit; ità nec peccatũ geminat.

Secvnda difficultas. *Quandò conscientia dictat aliquid esse malũ generatim & confusè tantùm, non descendẽdo ad certam aliquã speciẽ; vtrum agere cõtrà illam peccatum veniale, an mortale sit?* Respondeo mortale esse. Quia sic agens contrà conscientiam, exponit se periculo peccati mortalis.

Tertia difficultas. *Vtrum conscientia erronea vim habeat obligãdi, ità vt eam sequi, & iuxtà eius præscriptum agere debeamus?* Pro cuius resolutione.

Observandvm est I. Conscientiam erroneam obligare, bifariã posse intelligi. *Primò* ità, vt eam positiuè sequi teneamur, & reipsâ operari, quod præscribit. *Secundò* ità, vt teneamur non operari contrà eius præscriptum & dictamen. Quæ duo longè

diuersa esse ex subsequentibus constabit.

Observandvm est II. Duplicem esse conscientiam erroneam: *Vnam*, quæ prouenit ex ignorantiâ vincibili & culpabili; *alteram*, quæ oritur ex ignorantiâ inuincibili & inculpabili Quibus positis duas statuo assertiones.

Prima est. Conscientia erronea procedens ex ignorantiâ culpabili, obligat quidem, nè contrà eam agamus; non autem vt eā positiuè sequamur; seu vt id, quod dictat & præscribit, reipsâ efficiamus. Ostenditur hæc assertio, & simul discrimen inter vtrumque sensum. Euenire potest, vt conscientia culpabiliter errans dictet aliquid tanquàm ex præcepto faciendum, quod ex genere suo & intrinsecè malum est; Vt exempli gratiâ; *Mētiendum esse ad tuendam vitam alicuius.* Hoc euentu qui contrà conscientiam facit, nolendo videlicet mentiri, peccat; quià conscientia dictat, nō mentiri ad conseruandam vitam illius, peccatum, & præcepto aduersum esse; obligatur ergò ne contrà conscientiam faciat; quià ad non peccandum omnes obligamur; Et hoc extrà controuersiam est. Idem, si conscientiæ erroneæ dictamen sequens, reipsâ faciat quod præscribit, & mentiatur, etiam peccat; quia mentiri intrinsecè malum est; & conscientia culpabiliter errans à peccato non excusat; non ergò obligatur ad sequendum conscientiæ præscriptum, & reipsâ exequendum id, quod dictat; quia nemo ad peccādum obligatur; quis dubitat? Vera igitur est assertio; conscientiam culpabiliter errantem obligare quidem, nè contrà eam faciamus; non autem vt iudicium eius sequētes reipsâ, quod dictat, impleamus.

Obiicies. Obligor ne contrà conscientiam culpabiliter errantem faciam: sed non possum non facere cōtrà illā, nisi reipsâ, quod illa dictat & præscribit, exequar, ergò obligor ad implendū reipsâ, etiam, quod conscientia culpabiliter errans iudicat & præscribit. *Respondeo* negando minorem. Nam medium datur inter illa duo; nempè depositio cōsciētiæ; quæ cùm culpabiliter erret, potest & debet deponi. Eâ verò abiectâ, nec iam contrà conscientiam agitur; nec præscriptum eius reipsâ & positiuè impletur.

Obiicies II. Fieri potest, vt cōscientia culpabiliter errans dictet mihi aliquid præceptum & bonum esse, quod reuerâ prohibitum & malum est: Si ago contrà conscientiam, pecco; si sequor conscientię dictamen, etiam pecco; Ergò perplexus sum in tali

casu

casu, & in quamcunque partem inclino, necessariò pecco. *Respondeo*, Culpâ tuâ fieri, vt sis perplexus; quia conscientiam illam, quam potes & debes, vtpotè ex errore vincibili & culpabili profectam abiicere, non abiicis. Quam si deponeres, nec in hanc, aut illam partem delinqueres.

Altera assertio est. Conscientia erronea procedens ex ignorantiâ inculpabili seu inuincibili, non tantùm obligat nè contrà eam agamus; sed etiam vt præscriptum eius re ipsâ exequamur. *Prima pars ex dictis constat.* Si enim obligatur homo nè agat cōtra conscientiam culpabiliter errantem; multò magis, nè contrà eam, quę errat inculpabiliter. *Alteram ex priore deduco.* Homo non potest obligationi huic, nè agat contra conscientiam inuincibiliter errantem & peccet, aliâ viâ & ratione satisfacere, nisi reipsâ id, quod conscientia dictat, impleat. Ergò tenetur id, quod conscientia inuincibiliter errans præscribit, reipsâ exequi. Consequentia est euidens. *Antecedens probatur.* Si nulla alia ratio & via esset, ea esset conscientię depositio; at conscientia cùm erret inuincibiliter, deponi prudēter nec potest, nec debet. Ergò.

Hinc voluntas, quæ eius præscriptum sequitur, licitè & benè operatur, etiamsi id, quod conscientia vt bonum & faciendum præscribit, in se malum & prohibitum sit: Tum quia obiectum voluntatis non est opus secundum se consideratum; sed vt à ratione & conscientiâ propositum; à quâ proponitur vt bonum & faciendum: Tum quia ignorātia inuincibilis, ex quâ oritur cōscientia hæc erronea, malitiam obiecti secundum se considerati reddit omninò inuoluntariam. Alia ratio est conscientiæ culpabiliter errantis. Hęc enim malitiā obiecti, quod voluntati offert, non reddit omninò inuoluntariam; quâ remanente vtcunque voluntariâ, deprauatur & vitiatur operatio; quia tollitur integritas caussæ, quæ necessaria est ad constituendam bonitatem moralem.

Quarta difficultas. In quâ specie virtutis sit actus ille, quo voluntas se conformat conscientiæ inuincibiliter erranti? *Respondeo.* In eâ, sub cuius motiuo & ratione formali proponitur obiectum, vt si proponatur sub motiuo religionis, erit in specie religionis, & sic de aliis.

Quarta difficultas. Vtrùm, quandò conscientia culpabiliter errat, dictando aliquid bonum & faciendum esse; quod reuerà malum & prohibitum est, grauius peccatum sit eam sequi, an cōtrà

eam agere? *Respondeo*, Non posse certam regulam statui. Aliquando enim maius peccatum est, agere contrà conscientiam, quàm illam sequi. Vt si conscientia culpabiliter errans dictet mihi, *mentiendum esse ad conseruandam vitam alterius*; Si ago contrà conscientiam, culpam homicidij incurro; si autem sequor cōscientiæ dictamen, & mentior, venialiter tantùm pecco. Aliquādò maius peccatum est sequi conscientiam, quàm eius præscriptum transgredi. Vt si conscientia dictet mihi furandum esse, vt eleemosynam pauperibus erogem: si sequor conscientiam & furor, peccatum mortale committo; si contrà conscientiam ago, & abstineo à furto, venialiter tantùm pecco. Vndè vt in casibus difficultatis huius de grauitate peccati ferri possit iudicium, in considerationem trahi debent qualitas rei faciendæ aut omittendę, culpabilitas ignorantiæ, obligatio præceptorum, & alia similia. Legi potest Almaynus tractat. 1. moral. cap. 5.

Sexta difficultas. An fieri diuinâ dispensatione possit, vt aliquis contrà conscientiam erroneam agat sine peccato? *Respondeo non posse. Ratio est.* Quamdiu manet præcepti obligatio; actio contrà illam ita mala est, vt nullius indulgentiâ & concessione possit à peccato eximi: Sed quamdiu manet conscientia, seu vera seu erronea, dictans aliquid faciendum aut omittendum esse, manet etiam pręcepti obligatio; conscientia enim est, quæ tanquàm proxima & immediata regula eam nobis applicat, & tamdiu dicitur manere præceptum respectu operantis, vt ei ad culpā imputetur operari contrà illud, quādiu manet in iudicio & conscientiâ illius: Ergò actio contrà conscientiā ità mala est, vt nullius dispensatione & beneficio possit à peccato eximi.

Septima difficultas. Vtrum, vt contrà iudicium errantis conscientiæ agendo aliquis peccet, necesse sit iudicium illud actu permanere; an verò sufficiat præcessisse tempore? *Respondeo.* Necesse esse, vt actu perseueret; ità vt conscientia, si non pleno iudicio, saltē dubitatione aliquâ reclamet. Ità communiter Doctores.

Postrema difficultas. Quomodò conscientia cum culpabili errore coniuncta deponi possit, & debeat? *Respondeo duabus assertionibus.*

Prima est. Quandò conscientia erronea temerè, & sine iustâ caussâ vel authoritate fuit cōcepta, potest ad libitum, & sine aliâ caussâ ac ratione deponi. Ità do-

cent Caiet. in 1. 2. quæst. 19. art. 6. in fine. Nauarr. c. *Si quis autem*. nu. 62. de pœniten. dist. 7 Gregor. de Valent. 1. 2. disp. 2. q. 14 punct. 4. qu. 3. Azorius. tom. 1. instit. moral. lib. 2. cap. 19. in fine. Thomas Sanchez. lib. 1. in præcepta Decalogi. cap. 11. num. 10. & alij.

Altera assertio. Quandò conscientia erronea fuit non sine probabili ratione concepta; nec deponi etiam sine aliâ iustâ & probabili ratione potest; quæ si suppetit, potes aut totam conscientiam erroneam abiicere; si ratio deponendæ sit efficacior, aut paris sit cum priore probabilitatis, vel etiam minoris; retento conscientiæ erroneæ assensu speculatiuo, mutare eius iudicium practicum, & aliud suscipere, quo prudenter iudices hîc & nunc licere tibi agere id, quod practicè anteà iudicabas illicitum & fugiendum esse. Ità tradunt victoria in relatione de Indis. 1. parte. paullò post principium. Ioannes Medina Codice de confess. tractatu 2. in qu. de Tempore confessionis. Corduba in suo quæstionario. lib. 3. qu. 12. Vasquez 1. 2. quæst. 19. disp. 67. cap. 1. ad finem. Sanchez loco allegato, & alij.

DISPVTATIO IV.

An & quomodo voluntas humana vt recta sit, conformari cum diuinâ voluntate debeat.

De hac re agunt Scholastici in 1. dist. 46. & 48. in quâ certa quædam & omnium consensione firmata sunt.

Primo Certum est: Voluntatem nostram debere aliquo modo congruere voluntati diuinæ; quià diuina lex est & regula cuiuscunque voluntatis creatæ.

Secvndò Certum est: In præceptis Dei debere voluntatem humanam cum diuinâ consentire. In præceptis quidem affirmatiuis, seu quibus aliquid fieri imperatur, ità consentire debet, vt id, quod præcipitur, statuto tempore præstet. In negatiuis autem, & quibus aliquid prohibetur; vt nunquàm velit id, quod lex diuina prohibet.

Tertio Certum est: In iis quæ sunt consilij tantùm, non teneri voluntatem nostrã conformare

ſe voluntati diuinæ, vt id velle debeat, quod à DEO conſulitur: Vndè licitè poteſt ab iis abſtinere, quæ ſub conſilium tantùm cadunt, iuxtà illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Præceptum domini non habeo conſilium autem do, &c.* dummodò ea ne tanquàm vilia & parui momenti contemnat.

QVARTO. Certum eſt, in iis quæ fiunt DEO ſolùm permittente, cuiuſmodi ſunt peccata, non debere voluntatem noſtram conformari voluntati DEI permittenti; quia non debemus velle peccata, quæ DEVS permittit fieri. Tota cōtrouerſia in eo poſita eſt: Vtrū, vt voluntas noſtra bona ſit, conſentire cum diuinâ debeat in iis, quæ DEVS efficaciter decreuit, ſiuè per ſe, ſiuè per cauſſas ſecundas efficere. Exempli gratiâ: Cùm definitâ DEI voluntate eueniunt incendia, euerſiones vrbium, vaſtationes agrorum, interitus animalium, & id genus aliæ calamitates; an voluntas noſtra, vt bona ſit, ità cum DEI voluntate conformari debeat, vt ea vel nolle, vel triſtari de iis citrà peccatum nequeat?

AFFIRMANT Gabriel in 1. diſt. vltimâ q. vnicâ. Gregor. diſt. 48. q. 1. art. concluſ. 2. Maior. diſt. 47. q. 1. concluſ. 4. Alenſ. 1. part. qu. 41. num. 5. ducti ſubſequentibus argumentis. *Primò.* Voluntas Dei eſt lex æterna: Ergò qui non idem vult, quod vult DEVS, diſſentit à lege, ac proindè peccat. *Secundò.* Id quod vult DEVS, non poteſt non eſſe iuſtum: ſed nolle id, quod eſt iuſtum, peccare eſt: Ergò nolle, quod vult DEVS, erit peccatum. *Tertio.* Omnes tenemur velle, vt voluntas diuina adimpleatur; ità enim quotidiè precamur: *Fiat voluntas tua.* Ergò omnes tenemur conformare voluntates noſtras cum voluntate DEI, ac proindè velle idem, quod vult DEVS. *Quartò.* Voluntas beatorum, quæ rectiſſima eſt, in omnibus conſentit cum voluntate DEI: Ergò idem nobis erit faciendum, vt ſit recta voluntas noſtra.

ALII, vt D. Thomas art. 10. eiuſque interpretes ibidem. Durand. in 1. diſt. 48. quæſt. 2. num. 11. Alphonſus à Toleto. ead. diſt. quæſt. 1. art. 2. Marſilius in 1. quæ. 47. art. 2. concluſ. 6. vtūtur diſtinctione; & docent non teneri voluntatem noſtram ita conformari cum voluntate diuinâ in re volitâ, ſeu in obiecto materiali, vt idem ſemper velit, quod vult DEVS; debere tamen conformari in obiecto formali, ſeu in ratione volendi, ita vt ratio illa, ob quam DEVS aliquid vult, nunquàm nobis diſplicceat. *Pro reſolutione controuerſiæ.*

NOTANDVM

Notandvm est. I. Tametsi in Deo re ipsâ vnica sit voluntas, sicut vna etiam est essentia; à nobis tamen, vt qui eminentiam naturæ diuinæ vno conceptu apprehendere & explicare non possumus, ratione distinguitur. Itaque triplex est nostro concipiendi more in Deo voluntas. *Prima* dicitur antecedens, quâ Devs se solo, & seorsim ab arbitrio creato, aliquid definit. Hac voluntate decernit homini auxilia gratiæ præuenientis; extrà hominem verò pluuias, tempestates, & alia. *Altera* dicitur comitans, quâ Devs vult aliquid simul cum creatâ voluntate: Hac voluntate statuit concurrere ad omnia opera, quæ liberè à nobis fiunt. *Tertia* appellatur consequens, quâ Devs statuit & decernit aliquid supposito actu creatę voluntatis. Hac voluntate decreuit peccatori supplicium ob demerita; & præmium rectè viuentibus propter merita.

Notandvm est II. Duplicem esse in nobis affectum voluntatis: *Alter* est efficax, qui tendit ad effectionem rei, quam volumus: *Alter* simplex & inefficax, qui consistit in solâ complacentiâ aut displicentiâ rei obiectæ, sine vllo ordine & conatu ad eius effectionem. *His positis*:

Dico I. Voluntati diuinæ antecedenti, quâ Devs aliquid facere efficaciter statuit sine concursu arbitrij creati, voluntas creata ità conformari debet, vt ab eâ cognitâ dissentire & oppositum efficaciter velle sine peccato nequeat. *Ratio est.* Nam cum antecedenti & efficaci Dei voluntati nemo possit resistere, ad Rom. 9. *Voluntati eius quis resistet?* stultum & alienum à ratione esset, velle efficaciter oppositum. Id enim esset velle mutare Dei voluntatem.

Dico. II. Voluntati diuinæ comitanti, quâ Devs statuit concurrere ad operationes arbitrij creati, voluntas creata non ità conformari debet, vt id, ad quod Devs statuit concurrere, nolle nequeat. *Ratio est.* Devs comitante & efficaci voluntate statuit concurrere ad operationes etiam malas; sed voluntas creata tantùm abest, vt teneatur malè operari, vt nolle malè operari debeat: Ergò non ità conformari diuinæ voluntati comitanti debet, vt id, ad quod Devs statuit concurrere, nolle nequeat.

Dico. III. Voluntati diuinæ consequenti, quâ Devs statuit facere aliquid supposito seu præuio aliquo opere nostro, voluntas creata non ità conformari debet, vt id, quod Devs vult, nolle sine peccato nequeat. *Ratio est.*

Ea, quæ DEVS consequente voluntate decernit, subdita & subiecta esse voluit libertati creatæ voluntatis: Ergò nulla iniuria DEO irrogatur, si voluntas creata ea velit, aut respuat. *Hinc deducitur*, eum, cui damnatio sua seu reprobatio reuelata est, posse bonis insistendo operibus velle impedire & amouere illā; Quoniam damnatio, etiamsi reueletur, futura non est nisi voluntate DEI consequente & supponente peccatum finale ex liberâ hominis voluntate; quamobrem sicuti possumus & tenemur nolle peccatum; itâ licitè possumus velle impedire & cauere damnationem nostram, etiam reuelatione cognitam. Hæc de voluntate humanâ efficaci. Quid verò de affectu inefficaci & simplicis complacentiæ aut displicentiæ sentiendum sit, dabunt assertiones subsequentes.

DICO. IV. Voluntas nostra non tenetur affectu simplici & inefficaci conformare se voluntati diuinæ in re volitâ, & obiecto materiali; seu quod idem est: Potest voluntas nostra affectu simplicis displicentiæ licitè aliquid nolle; quod DEVS decreuit aut facit voluntate efficaci. Sic displicere nobis possunt obitus parentum & propinquorum, calamitates publicæ & priuatæ, excidia vrbium, incendia ædium &c. quatenùs nobis sunt aduersa, molesta & noxia; tametsi, dum eueniunt, ea cognoscamus efficaciter à DEO esse volita. Hoc sensu D. Augustin. in Enchirid. cap. 101, inquit: *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod DEVS non vult. Tanquàm si bonus filius patrem vult viuere, quem DEVS bonâ voluntate vult mori*. Legi potest Medina hoc loco in explicatione articul. 10. conclus. 3.

OBIICIES. Cur ergò DEVS reprehendit Samuelem. lib. 1. Reg. cap. 16, quòd tristaretur de proiectione Saulis, quam sciebat à DEO volitam? *Respondeo*. Non reprehendi Samuelem ob tristitiam de Saule, eò quòd expulsus à regno esset, ex commiseratione nis affectu conceptam; quæ bona erat & rectæ rationi consentanea; sed moneri tantùm, vt modum tristitiæ faciat.

DICO. V. Voluntas nostra, vt bona sit, conformari diuinæ voluntati debet in obiecto formali, seu in fine & ratione volendi. *Sensus est*: Finis seu ratio, ob quam aliquid à DEO fit, non potest displicere voluntati nostræ citra peccatum. Id enim esset auersari ordinem diuinæ prouidentiæ; quod per se malum est.

Hoc sensu intelligendus est D. Augustin. super illa verba psal. 35. *Et iustitiam tuam ys, qui recto sunt corde.* Quandò docet, vt recti simus corde, dirigendas esse voluntates nostras ad voluntatem Dei.

Dico. VI. Voluntas nostra tum perfectè se conformat diuinæ voluntati, quandò & idem vult, quod vult Devs, & sub eadem ratione. Talis voluntas ità intrinsecè bona est, vt nunquàm mala esse possit; & hanc agnoscunt beati felicitatis suæ partem, consentire in omnibus cum diuinâ voluntate. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad Primvm. Voluntas Dei rationem legis æternæ obtinet, non quomodocunque considerata, sed vt præcipiens; cui semper voluntas nostra conformanda est.

Ad Secvndvm. Possumus nolle, quod iustum est, non quidem quà iustum est, sed quà nobis malum, noxium aut molestum est.

Ad Tertivm. Antecedens intelligi debet, aut de voluntate præcipiente; aut iuxtà sensum quintæ assertionis.

Ad Qvartvm. Constat ex assertione sextâ.

QVAESTIO XX.

De Bonitate & malitiâ actuum exteriorum.

SEX SVNT QVAEstionis huius articuli.

Articvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum bonum & malum priùs inueniantur in actu exteriori, quàm in interiori?* Conclvsio I. Bonitas vel malitia, quam habet actus exterior ex fine, priùs est in actu interiori volũtatis, & ex eo deriuatur in exteriorem. Hanc probat D. Thomas. Quia finis est proprium obiectum voluntatis; actus autem habent bonitatem vel malitiam ex obiecto. Conclvsio II. Bonitas vel malitia, quam habet actus exterior ex obiecto & circumstantiis, non deriuatur à voluntate, sed à ratione. Exempli gratiâ. Furtum non ideò malum est, quia volitum est; sed quia rectæ rationi difforme est. Conclvsio III. Si bonitas vel malitia, quam habet actus exterior ex obiecto & circumstantiis, consideretur vt est in apprehensione, prior

est, quàm bonitas vel malitia actus voluntatis; si verò consideretur vt est in executione operis, sequitur bonitatem voluntatis, quæ est principium eius.

ARTICVLO II. *Vtrum tota bonitas & malitia exterioris actus dependeat ex voluntate?* CONCLVSIO I. Tota bonitas & malitia, quæ conuenit actioni ex ordine ad finem, pendet ex voluntate. CONCLVSIO II Bonitas & malitia, quæ est ex materiâ, hoc est, quæ ex obiecto & circumstantiis est, pendet ex ratione, & ex hac pendet bonitas voluntatis, quatenùs in ipsam materiam seu obiectum fertur.

ARTICVLO III. *Vtrũ bonitas & malitia sit eadẽ exterioris & interioris actus.* CONCLVSIO I. Cùm actio interior est bona vel mala ex solo ordine ad finem, tunc eadem est bonitas vel malitia interioris & exterioris actionis. CONCLVSIO II. Cùm actio exterior habet bonitatem vel malitiam ex obiecto & circumstantiis, tunc bonitas vel malitia exterioris actionis est alia a bonitate & malitiâ interioris, quam habet ex fine; ità tamen vt bonitas seu malitia finis ex voluntate redundet in actum exteriorem; & bonitas seu malitia ex obiecto & circumstantiis redundet ex actione exteriori in interiorem.

ARTICVLO IV. *Vtrum actus exterior addat aliquid de bonitate & malitiâ suprà actum interiorem?* CONCLVSIO I. Si loquamur de bonitate vel malitiâ sumptâ ex fine, actus exterior nihil addit bonitatis & malitiæ suprà interiorem. CONCLVSIO II. Si loquamur de bonitate vel malitiâ sumptâ ex obiecto & circumstantiis, actio exterior addit bonitatem & malitiam interiori, quatenùs illam perficit; nisi quandò per impossibilitatẽ impeditur actio exterior, tunc enim actio interior æquè perfecta esse potest sine opere, ac esset cum opere

ARTICVLO V. *Vtrum euentus sequens aliquid addat de bonitate vel malitiâ ad exteriorem actũ?* CONCLVSIO I. Euentus sequens, præuisus & intentus addit ad bonitatem vel malitiam actus exterioris. CONCLVSIO II. Euentus etiam non præuisus, si sequatur vt plurimùm ex tali opere, addit ad bonitatem vel malitiam actus. CONCLVSIO III. Euentus non præuisus, si non soleat frequenter sequi ex tali opere, non addit ad bonitatem, vel malitiam actus.

ARTICVLO VI. *Vtrum idem actus exterior possit esse bonus & malus?* CONCLVSIO I. Idem actus exterior in genere moris non potest esse bonus & malus. Quia bonum & malum sunt contraria in gene-

genere moris. CONCLVSIO II. Fieri potest, vt actus exterior in genere naturæ idem sit bonus & malus moraliter successiuè. Vt si quis perseuerante eodem actu in esse naturæ, mutet intentionem. Exempli causâ. Deambulatio, quâ aliquis tendit ad Ecclesiam, potest esse bona in principio, quia fit bonâ intentione, & mala in fine, si mutetur intentio, & apponatur finis malus.

DISPVTATIO I.

Vtrum omnis bonitas & malitia moralis primò sit in actu interiori, & indè deriuetur in actum exteriorem?

NE ignoratio terminorum difficultatem pariat, actus interior is est, qui à voluntate vitaliter elicitur; actus verò exterior, qui non à voluntate, sed ab aliis potentiis exercetur, quæ voluntatis imperio subiiciuntur.

PRIMA SENTENTIA est Durandi in 2. dist. 42. q. 1. Almayni tractat. 3. moral. c. 18. Occam quodlib. 1. quæst. 20. Gabriel. in 2. dist. 42. quæst. 1. Scoti quodlib. 18. art. 2. Richardi in 2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. Bonauent. in 2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. Qui existimant omnem bonitatem & malitiam moralem primò & per se, hoc est, intrinsecè & formaliter esse in actu interiori, & indè per denominationem extrinsecam traduci in actum exteriorem. *Hæc sententia probatur.*

PRIMÒ. Bonitas & malitia moralis non conuenit actui, nisi quatenùs est liber; cùm esse morale, quod supponunt bonitas & malitia moralis, sit esse liberum. Sed esse liberum per se & formaliter tantùm conuenit actui interiori; ratione illius autem & extrinsecè actui exteriori: Ergò.

SECVNDO. Si actui exteriori competeret propria aliqua bonitas vel malitia, non deriuata ab actu interiore, eam obtinere posset etiam sine vllo actu interiori: Atqui sine actu interiore nulla potest esse bonitas aut malitia moralis: Ergò actui exteriori non competit vlla bonitas vel malitia, nisi extrinsecè deriuata ab interiori.

TERTIO. Præcipitare se ex edito aliquo loco, peccatum & malum est; sed non à propriâ & in-

ternâ aliquâ malitiâ (Alioqui si is, qui se præcipitauit, durante motu pœniteret, simul & in peccato mortali esset, propter præcipitationem; & in gratiâ, propter pœnitentiam; quod fieri nullo modo potest (Ergò à malitiâ extrinsecè denominante; ac proindè actus exterior non est in se & formaliter bonus, aut malus.

Qvarto. Matth. 6. mala arbor dicitur malos fructus facere, & bona bonos. *Vbi* nomine arboris multi intelligunt voluntatē: Ergò illa est, à qua omnis bonitas & malitia moralis deriuatur. Quam rationē cōfirmat D. August. authoritas lib. 1. Retract c 9. Vbi inquit, *Solius voluntatis esse peccare, quia peccatū adeò est volūtariū, vt si volūtariū non esset, nō esset peccatū.*

Secvnda Sententia est D. Thomæ hoc loco & q. 2. de malo. art. 3. Qui docet bonitatem & malitiam, quæ sumitur ex obiecto & circumstantiis, priùs esse in actu exteriori & indè manare in interiorem; Bonitatem verò & malitiam, quæ sumitur ex fine prius esse in interiori, & ex illo deriuari in exteriorem. Quam sententiam non vno modo explicant interpretes. *Pro resolutione.*

Notandvm est I. rectè docere D. Thomā, bonitatem & malitiā ex genere seu obiecto, deriuari in actum exteriorem à ratione, quia ratio est, quę præscribit materiam & conditiones obiecti actibus exterioribus; Vndè habent, vt ex genere boni aut mali sint: Bonitatem verò & malitiā à fine extrinseco deriuari in actus exteriores a voluntate; quia voluntas est, quæ eos in finem extraneum ordinat.

Notandvm est II. Actus exteriores bifariā posse considerari. *Vno modo*, vt habent esse in apprehēsione; quatenùs apprehenduntur secundum omnia, quæ ad eorum naturā pertinent, tametsi nemo sit, qui eos exerceat: *Altero modo*, vt habent esse in vsu & exercitio; quatenùs ab aliquâ potētiâ reipsà producūtur. *Quibus positis.*

Dico I. Malitia & bonitas quæ desumitur ex obiecto & circūstātiis, primariè est in actu exteriori, considerato secundū se, & vt esse suū habet in apprehensione; & ex illo, ac secundariè deriuatur in actū interiorē. *Probatur.* Quia ei actui cōuenit primariè bonitas & malitia, qui primò & per se regulatur à ratione. Huiusmodi autem est actus exterior relatus ad obiectū & circūstantias: Tū quia is est, qui per se primò præcipitur aut prohibetur à lege tā naturali, quā positiuâ: & ratione illius præcipitur aut prohibetur actus interior: Tū quia quilibet per regulā rationis iudicat affectū occidendi malū esse, quia ipsa occisio hominis

mala est, & ideo esse naturæ rationali dissonũ, velle aliquẽ occidere; quia ipsa occisio dissẽtanea est: Ergò actus exterior est, cui primariè conuenit bonitas aut malitia ex obiecto & circumstantiis, atque ex eo secundariè redundat in actum interiorem voluntatis.

Dico II. Bonitas & malitia, quæ sumitur à fine extrinseco, primariè est in actu interiori, & ex illo deriuatur in exteriorẽ. *Probatur.* Actus exterior cõsideratus secũdũ obiectũ & omnes cõditiones, quibus cõstituitur in esse specifico, nõ includit finẽ extrinsecum; Ergò sic cõsiderato accidit, vt sit bonus vel malus ex eo, quòd ordinatur ad finẽ bonum vel malũ. Et quoniã nõ ordinatur ad talẽ finẽ nisi à voluntate necesse est, vt bonitas vel malitia, quæ sumitur à fine extrinseco, priùs sit in actu interno voluntatis, & ex eo deriuetur in actum exteriorem.

Dico III. Bonitas & malitiã moralis, ea etiã, quæ sumitur ab obiecto & circumstantiis, si vsũ & exercitiũ actuũ cõsideremus, priùs est in actu interiori; quã in exteriori; nõ tamen inde deriuatur in exteriorẽ. *Prima pars probatur.* Nam actus exterior pẽdet quoad exercitium ab interiori, tanquã à principio suo efficiente: Ergò bonitas & malitia moralis, spectãdo exercitiũ actuũ, prius est in actu interiori, quâm in exteriori. *Altera ex eo patet.* Quia vt actus exterior cõformis aut difformis sit naturæ rationali, nõ habet ab actu voluntatis; Sed tantũ vt existat; & consequenter dici non potest eius bonitas vel malitia deriuari ab actu interiori. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primvm. Bonitas & malitia supponunt esse liberum in vsu & exercitio actuum; nõ autẽ in esse apprehenso; in quo bonum aut malũ dicitur id, quod conforme aut difforme est naturæ rationali.

Ad II. Negatur sequela maioris, Quià sublato actu interiori, tollitur libertas ab exteriori, quę necessaria est, vt actus exterior in exercitio sit bon⁹ vel mal⁹ moraliter.

Ad tertivm. Cùm actus exterior vnum cum interiori constituat peccatum, tãdiu actus exterior est peccatum, quãdiu manet actu vel virtute interior; quo sublato aut mutato non tam peccatum est, quàm effectus peccati. Quamobrem motus illius, qui se deiicit è loco sublimi, vt vnum actum moralẽ efficiebat cum volũtate, quã se voluit deiicere, peccatum erat; posteà verò, quia retractatur per pœnitentiã voluntas illa, nõ amplius peccatum est, sed effectus peccati. Quod in aliis etiã actionibus vsuuenit, quæ à nobis reuocari ampliùs non possunt; in quibus manẽte eadẽ volũtate, seu actualiter seu virtualiter, idem

ſemper manet peccatum; eâ autem mutatâ manet affectus tantùm peccati; propter quem ſæpè incurritur excommunicatio, vel obligatio reſtituendi.

Ad Qvartvm. Actus exteriores eâ ratione dicuntur fructus bonæ vel malæ voluntatis, quia ſunt eius effectus, & ab eâ pendent, vt in vſu & exercitio bonitatem vel malitiam obtineant, iuxtà tertiam concluſionem. Tametſi ſecundum ſe conſiderati, & in eſſe apprehenſo, aliundè boni aut mali ſint; ex eo videlicet, quòd conſentanei aut diſſentanei ſint naturæ rationali; quam bonitatem & malitiam refundunt in actiones interiores voluntatis, iuxtà primam concluſionem. Neque abſurdum eſt idem prius eſſe, & poſterius in diuerſo genere cauſſæ, ſicuti actus in genere cauſſæ efficientis poſterior eſt potentiâ, cuius eſt effectus; prior verò in genere cauſſæ formalis, quia ſpeciem potentiæ tribuit.

Dispvtatio II.

Vtrum actus exterior & interior conſtituant vnum peccatum, an verò diuerſa?

Disceptatio eſt de actu interiori, qui pro obiecto habet aliquem actum exteriorem, qualis eſt, exempli cauſsâ, voluntas furandi, cuius obiectum eſt exterior actio furti, vtrum videlicet voluntas furandi, & furtum ipſum, ſint duo & diſtincta peccata, an verò vnum tantum?

Prima Sententia est Scoti quodlib. 18. art. 3. Occam. quodlib. 1. quæſt. 10. Gregorij in 2. diſt. 41. quæſt. 1. concluſ. 5. & 6. Gabriel. in 2. diſt. 42. quæſt. 1. ſubfinem; qui exiſtimant actum externum & internum duo eſſe peccata, moti ſubſequentibus argumentis.

Primò. Actus externus & internus inter ſe realiter diſtinguuntur, & vterque à regula ſuâ, quæ eſt recta ratio, deuiat; Ergò duo ſunt & diſtincta inter ſe peccata.

Secvndò. Quæ diuerſis præceptis prohibentur, diuerſa ſunt peccata: ſed actus interior & exterior diuerſis præceptis prohibentur: Nam actus exterior furti prohibetur illo præcepto: *Non furtum facies*. Actus verò interior præcepto alio: *Non concupiſces rem proximi tui*: Ergò duo & diuerſa conſtituunt peccata.

Tertiò. Idem peccatum non poteſt vindicari iuſtè duplici

pœnâ: sed actus interior & exterior diuersis pœnis vindicantur; Devs enim punit actum interiorem, respublica verò exteriorem; Ergò actus internus & externus non possunt esse idem peccatum.

Secvnda Sententia est D. Thomæ hoc loco, & in 1. dist. 42. quæ. 1. art. 1. Bonauent. in 2. dist. 42. art. 1. quæ. 1. Richard. in 2. dist. 42. art. 1. quæst. 1. num. 6. & aliorum; qui docent actum exteriorem & interiorem, vnum tantummodò constituere peccatum. *Cum quâ sententiâ:*

Dico: Actus internus & externus vnum tantummodò constituunt peccatum. *Ratio est.* Quia actus exterior & interior, quanquàm physicè distinguantur; quia tamen eandem habent cum rectâ ratione repugnātiam, & interior itâ ad exteriorem tendit, vt in eo dicatur consummari; exterior verò ab interiori sortitur esse voluntarium & morale; meritò censentur vnus actus in genere moris, seu vnum peccatum ex vtraque actione conflatum. *Ad argumēta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primvm. Actus exterior & interior duo quidem & diuersi sunt in genere naturæ: vnus autē idemq; in genere moris; qui si vni eidemque legi aduersetur, vnā habet malitiam & deformitatem; sin distinctis & distincta præcipientibus, diuersas. Itâ furtum in loco sacro perpetratum vnus quidem actus moralis est; duplicem tamen, & specie diuersam habet deformitatem; alteram contrà iustitiam, & alteram contrà religionem.

Ad Secvndvm. Tametsi eodem præcepto prohibeantur actus exterior & interior; quia tamen multi existimabant, in materia furti & luxuriæ, non peccari actu interiori voluntatis, voluit Devs ad tollendam hanc ignorantiam distincto præcepto prohibere actum interiorem.

Ad Tertivm. Respublica punit actum exteriorem, quatenùs est contra bonum commune; Devs interiorem & exteriorem, vt sunt peccatum & offensa Dei. *Indè* non sequitur, vt idem peccatum duplici pœnâ vindicetur, quia Devs non punit peccatum nisi pœnâ debitâ & iustâ.

DISPVTATIO III.

Vtrum actus exterior augeat bonitatem vel malitiā interioris?

Sensvs est: Vtrum voluntas efficax melior aut peior sit ex eo, quòd cum actu exter-

no coniungatur, quàm si vel obstante aliquo impedimento, vel deficiente occasione prodire in actum externum nequeat?

PRIMA SENTENTIA est Scoti quodlib. 18. art. 3. qui existimat externi operis accessione augeri bonitatē, vel malitiā actus interni voluntatis; ità vt melior aut peior sit actus voluntatis, qui externo opere consummatur; quā is, qui ob defectū occasionis progredi ad opus nequit. *Probatur hæc sententia primò* authoritate D. Augustini. 13. de Trinit. cap. 5. Vbi inquit: *Miser homo efficitur malâ voluntate; sed miserior potestate, si quod malè vult, etiam potest adimplere.* Sed si opus externū nihil adderet malitiæ actui interno, non esset minùs miser, qui habet tantùm malam voluntatem, quā qui illam simul opere exequitur. Ergò. *Secundo.* Actus exterior per se bonus vel malus est; Ergò si accedat actui interiori, necesse est, vt accedat aliqua bonitas vel malitia. *Tertiò.* Maius malum est velle furari, & furari reipsâ; quàm velle furari tantùm: Ergò malitia actus interioris, crescit accessione actus exterioris. *Quartò.* In confessione sacramentali exprimendus est actus exterior; quod necessarium non esset, si nullam malitiā adderet interiori. *Quintò.* Si actus exterior non auget bonitatem interioris, non erunt necessaria ad salutem bona opera; sed satis erit velle benè operari. quod damnatur in Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. & 16. *Sextò.* Qui reipsâ pro Christo martyrium subit, melior est eo, qui tantùm habet subeundi voluntatem; tum quia actum exercet præstantissimæ virtutis; tùm quia plus meretur apud DEVM. Ergò actio exterior aliquam addit bonitatem actioni interiori. *Septimò.* Actualis susceptio sacramentorum confert gratiam, quā non confert voluntas suscipiendi. Item pœnæ quædam Ecclesiasticæ incurruntur propter actus exteriores; quæ non incurruntur propter interiores vt excōmunicatio, irregularitas. Itē maior satisfactio pro peccatis exhibetur actu interno simul & externo; quàm exhibeatur solo interno. Hæc autem vera non essent, si per actus exteriores, nulla bonitas aut malitia accresceret interioribus. *Octauò.* Inter errores Petri Abailardi ab Ecclesiâ dānatos etiā hic refertur; quòd Deus solùm remuneretur, aut puniat voluntatem; & quòd propter opera homo nec melior efficiatur, nec peior; nisi fortè in ipso opere voluntas augeatur. Ergò nefas est affirmare actu exteriori non augeri bonitatē aut malitiam interioris.

SE-

Secvnda et verior sententia est; opus externum non augere bonitatem aut malitiam actionis interioris. Ità D. Thomas, Conradus, Caietanus & recentiores Thomistæ hoc loco. Capreol, in 2. dist. 42. quæst. 1. articulo 1. conclus. 2. Gregorius quæstio 1. Conclus. 5. & 7. Gabriel. quæst. 1. art. 1. conclus. 2. Durand. ead. dist. quæst. 1. num. 8. & 9. Bonauentur. articul. 1. quæst. 2. Richard. distin. 40. art. 1. quæst. 4. & alij. *Pro cuius resolutione.*

Notandvm est. I. Controuersiam hanc solum esse de volũtate efficaci. Est autem voluntas efficax, quæ vel opus reipsâ exequitur; vel certè exequeretur, nisi impedimentum aliquod extrinsecum obstaret, aut occasio exequendi deficeret. Nam si de voluntate inefficaci, & quæ oblatâ opportunitate exequendi operis, ab eius executione abstinet, sermo sit; dubium non est, quin exterior actus bonitatem, vel malitiam interioris augeat; quatenùs perfectior est voluntas, quæ oblatâ occasione ad opus progreditur, quià efficax est, quàm quæ ab opere abstinet, quia est inefficax. Ità D. Thomas art. 4. in corpore, conclusione secundâ.

Notandvm est. II. Voluntatem efficacem ità hoc loco comparari cum opere externo, vt nullam ab eo mutationem aut variationem recipit. Nam si eueniat, vt actio interna, occasione operis externi magis intendatur, aut diutiùs perseueret; vt fieri solet, quandò actio exterior voluptatem & delectationem affert, certum est augeri bonitatem, aut malitiam actionis interioris. Quanquàm neque hoc augmentum exterior actus per se interiori præstat, sed tantùm per accidens; quatenùs occasione operis externi affectus voluntatis intensior fit & diuturnior, & exindè etiam melior, aut peior.

Qværimvs ergò: *An voluntas efficax æqualiter intensa & diuturna, maiorem bonitatem vel malitiã ex eo præcisè habeat, quòd opere exteriori compleatur, quàm habeat, si ob solum opportunitatis defectum compleri nequeat?*

Notandvm est III. Præsentem controuersiam esse de ipsâ bonitate & malitiâ morali; non autem de effectu operis boni & mali. Nam si de hoc sermo sit, extrà dubium est, maiores aliquandò effectus habere opus ipsum exterius, quàm habeat sola illius voluntas efficax; externo tamen opere, propter opportunitatis defectum, destituta. Exempli causâ. Parata est voluntas ad suscipiendum sacramentum;

reipsâ tamen non suscipit, quia suscipiendi occasione caret. Hoc euentu, non eosdem habet effectus, quos habet sacramentum reipsâ susceptum; quo modo confert gratiā ex opere operato, quā sola suscipiendi voluntas conferre non potest. Sic etiam exteriori & consūmato opere contrahuntur pœnę ciuiles & canonicę; quę non contrahuntur solâ operandi volūtate; quia leges factis pœnas irrogāt, nō volūtatibus. Sic obligatio restitutionis ex facto sequitur; non autē ex voluntate; quia non voluntate, sed facto dānum aliis infertur, aut æs alienum contrahitur; vndè oritur obligatio ad restituendum. *His positis.*

Dico. Actus exterior per se non auget bonitatē vel malitiam actus interioris. *Sensus est*: Affectus volūtatis efficax, si sit eiusdē intensionis & durationis, eandē omninò bonitatem vel malitiam obtinet, siuè opere externo compleatur, siuè progredi ad opus, obstante aliquo impedimento, aut negatâ occasione, nequeat. Est expressa sententia D. Augustini lib. 1. de liber. arbitrio. cap. 3. vbi sic inquit: *Si cui etiam non contingat facultas concubandi cum coniuge alienâ, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.*

Et probatvr ratione. Quia eadem est bonitas & malitia actus interioris & exterioris ab vno in alterum deriuata. Ergò cæteris paribus, hoc est, positâ eadem efficacitate, intensione & duratione voluntatis, quæ oblatâ occasione in opus exit, & eius, quæ parata quidem & prompta est, vt exeat, exire tamen impedita aut carens opportunitate non potest, tanta erit bonitas vel malitia vnius, quanta est alterius; ac proinde opus externum non auget, aut maiorem efficit bonitatem vel malitiam actus interioris; nisi fieri posse, vt idem seipso maius sit, aliquis existimet. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primvm. Augustinus ideò affirmat magis miserum esse eū, qui propositum suum opere exequitur, quàm qui in solâ mente & voluntate illud retinet; quia plerumque euenit, vt voluntas operi coniuncta intensior sit, aut diutiùs perseuerans. In quo euentu non negamus augeri bonitatem aut malitiam actus interioris; non ideò quidem præcisè, quòd ei actus exterior accedat, sed quia occasione illius, prout iucundus aut molestus est, volūtas affectum suum intendit, aut remittit; vndè prior fit aut me-

lior, iuxtà id quod secundo loco notauimus.

Ad Secundum. Eadem bonitas vel malitia ex obiecto & circumstantiis, quæ primariè est in actu exteriori, deriuatur secundariè in interiorem; ac proindè actus exterior non auget bonitatem vel malitiam interioris, sed vna & eadem est in vtroque.

Ad tertium. Voluntas furandi efficax, ad opus tamen ob defectum occasionis non progressa, si sit æquè intensa & perseuerans, ac esset, si cũ ipso opere coniungeretur; non minùs mala est, quàm sit furtum reipsâ perpetratum. Verum quidem est quædam nocumenta & incōmoda sequi ex actu exteriori, quæ non sequuntur ex interiori; sed præsens controuersia non est de effectu actuum bonorum aut malorum, sed de ipsâ bonitate & malitia morali.

Ad IV. Actus exterior exprimendus est in confessione, quia in eo malitia ex obiecto & circũstantiis primariè reperitur; & ab eo in actum interiorem tãquàm à fonte secundariè deriuatur.

Ad quintum. Negatur sequela. *Tum* quia opera externa præcepta & meritoria sunt: *Tum* quia voluntas, nisi oblatâ occasione ad opera externa progrediatur, non est efficax, nec ad salutis assecutionem sufficiens.

Ad sextum. Is qui pro Christo martyrium reipsâ subit, non est melior eo, qui subeundi voluntatem efficacem habet eiusdem intensionis & durationis; tametsi illud, quià occasio non datur, re ipsâ non subeat; vndè nec maius præmiũ essentiale, quod bonitati actus respōdeat, meretur. Accipit tamen præmiũ accidentariũ Aureolæ siuè Laureolæ; quod nō accipit ille, qui solâ volũtate martyr est. Sed præsens cōtrouersia est de bonitate operis, non de effectu, iuxtà tertiam notationem.

Ad Septimum. Patet ex iisdem, quæ suprà tertio loco notauimus.

Ad octavum. Error Abailardi fuit, nullum opus hominis, siuè externum siuè internum, esse peccatum, qui meritò ab Ecclesia damnatur; quia omnia peccata è medio tollit. Vide Gregorium. Arimin. in 2. dist. 42. quæ. 1. conclus. 5. & 7.

QVAESTIO XXI.

De iis, quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis vel malitiæ, seu de merito in vniuersum.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus habeat rationem rectitudinis, vel peccati?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO II. *Vtrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem laudabilis vel culpabilis?* CONCLVSIO est. Bonum & malum in solis actionibus humanis cõstituit rationem laudis, vel culpæ.

ARTICVLO III. *Vtrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem meriti, vel demeriti?* CONCLVSIO est. Actio bona vel mala habet rationem rectitudinis & peccati, secundum ordinem ad finem; rationem laudabilis vel culpabilis, secundum quod est in potestate voluntatis; rationem verò meriti & demeriti secundum retributionem iustitiæ.

ARTICVLO IV. *Vtrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem meriti vel demeriti apud Deum?* CONCLVSIO est affirmans.

QVAESTIO XXII.

AB hac quæstione vsque ad quæstionem 49. disputat S. Thomas de passionibus animæ; indè vsque ad 71. de habitibus & virtutibus. In quibus quia nihil occurrit, quod scholasticâ commentatione magnoperè egeat; tum quia singula satis perspicuè à D. Thomâ pertractantur; tum quia pleraque omnia ad philosophi præcipuè moralis contemplationẽ pertinent; Tum quià plurima sunt, de quibus alibi ex professo agendum erit; non est vt in iis vel dispendio temporis, vel tædio auditorum hæreamus.

QVAESTIO LXXI.

De Vitiis & peccatis.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrũ vitium contrarietur virtuti?* CONCLVSIO est. Vitiũ contrarium est virtuti. Virtus enim est dispositio perfecti ad optimũ. 7. Physic. text. 16. & 18. cui opponitur praua dispositio, quæ est vitium. Vndè sicuti virtus. 2.

Eth. cap 6. definitur; Habitus electiuus in mediocritate consistens; ità vitium definiri potest, Habitus electiuus in extremitate consistens per excessum aut defectum à mediocritate. *Vbi obserua.* Differre hæc tria inter se, Malitiam, Peccatum, & Vitium. Malitia est priuatio rectitudinis. Peccatum est actus priuatus rectitudine. Vitium verò est habitus ab eiusmodi actibus generatus; & significat prauam rei dispositionem, vt notat D. Augustinus. 3. de lib: arbit. cap. 18. Quanquàm confundi interdum hæc tria soleant, & vnum pro alio sumi.

ARTICVLO II. *Vtrum vitium sit contrà naturam?* CONCLVSIO est. Vitium est contrà naturam rationalem, quà rationalis est. Nam sicut omnis virtus; siuè naturalis & acquisita, siuè supernaturalis & infusa, consentanea est naturæ rationali, eamque perficit; ità vitium omne dissentaneum est naturæ rationali, quà rationalis est, eamque inficit & deprauat. *Vbi obserua.* Quædam peccata esse, quæ peculiari ratione dicuntur esse contrà naturam; adeò quippè enormia & detestanda, vt non solùm repugnent rectæ rationi, sed etiam institutioni naturæ: cuiusmodi sunt Sodomia, & crudelitas in eo, qui sibi ipsi mortem consciscit. Repugnant enim naturali inclinationi hominis, non solùm vt homo est, sed etiam vt est animal.

ARTICVLO III. *Vtrū vitiū sit peius quàm actus vitiosus?* CONCLVSIO est. Actus vitiosus peior est vitio. Nā in actu vitioso reperitur ratio mali moralis formaliter; in habitu verò non nisi caussaliter.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccatum simul possit esse cum virtute?* CONCLVSIO est. Peccatum mortale non potest simul esse cum virtutibus, prout informātur à charitate, & hominem ordinant ad finem supernaturalem; potest tamen cum iis esse peccatum veniale. *Ratio est.* Mortale enim peccatum, non autem veniale tollit charitatem, à quâ cæteræ virtutes informātur, & habent, vt hominem ad finem supernaturalem prouehant.

ARTICVLO V. *Vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus?* CONCLVSIO est. Omissio non semper coniuncta est cum actu, qui sit expressa intentio omittendi opus præceptum; semper tamen coniuncta est cum actu, qui sit caussa vel occasio omissionis.

ARTICVLO VI. *Vtrum conuenienter definiatur peccatum, esse dictum vel factum, vel concupitum contrà legem æternam?* CONCLVSIO est affirmans. Ità definit peccatum Augustinus lib.

22. contrà Faustum. cap. 27. *Vbi obserua.* definitionem hanc, tametsi propriè tantùm videatur conuenire peccato actuali commissionis, quod mortale est; posse tamen cæteris etiam accommodari. *Primò* quidem peccato originali; quia est factũ seu concupitum saltem voluntate alienâ primi hominis. *Deindè* peccato omissionis, quod est nõ dictũ, factũ aut concupitũ, & reducitur ad factũ dictũ, aut cõcupitũ vt notat hoc loco D. Thomas, quia negationes reduci solent ad actus. *Demùm* peccato etiã veniali, quod licet præter legem potius esse videatur; quia tamen deuiatio quędam est à lege, potest etiam dici contrà legem, quanquàm non contrà finem legis, qui est charitas, vt ex infrà dicendis constabit.

DISPVTATIO I.

Vtrum peccatum omißionis poßit esse absque vllo actu?

PECCATVM OMISSIONIS est, non facere id, ad quod faciendum lex obligat; vt non audire sacrum die festo; non elicere actum contritionis aut dilectionis, quandò eius exercendi obligatio instat. De hac omissione quæritur, an semper coniuncta sit cum aliquo actu positiuo; non quidem qui ad essentiam eius pertineat (nam cùm omissio formaliter sit priuatio actus, non potest formaliter includere actũ) sed qui sit caussa vel occasio eius? an verò fieri possit, vt aliquis peccet omittendo id, quod facere tenebatur & poterat, absque eo, quòd exerceat aliquem actum, qui sit caussa vel occasio talis omissionis?

PRIMA SENTENTIA est Alexandri 2. part. quæst. 11. memb. 10. ad 2. Thomæ & Thomistarum hoc loco. Magistri in 2. dist. 35 cap. 11. Alberti in 2. dist. 35. artic. 3. ad 2. Bonauent. ead. dist. du[illegible] 1. Capreoli quæst 1. art. 1. conclus. 2. Henrici quodlib. 12. quęst. 24. Gabrielis in 2. dist. 41. quæ. 1. art. 3. dub. 3. qui existimant, non posse esse omissionem, quæ sit peccatum absque aliquo actu, qui sit caussa vel occasio illius. *Probatur hæc sententia primò* authoritate D. Augustini lib. 83. quæst. 34. vbi negat posse aliquem peccare, qui nihil propriâ voluntate facit. *Secundò.* Non potest esse peccatum nisi sit voluntarium; at voluntarium esse non potest sine actu positiuo voluntatis. Ergò. *Tertiò.* In pecca-

to omissionis non solùm est auersio à Deo, sed etiam cõuersio ad creaturas, ideò non solùm punitur pœnâ damni, sed etiam pœnâ sensus. At conuersio ad creaturas intelligi non potest sine actu: Ergò. *Quartò.* Quicquid indifferens est ad agendum & non agendum, caussam habere debet cur agat, aut non agat, 8. phys. t. 7. Sed voluntas est indifferens ad exercendam, aut non exercendam actionem; ergò caussam habere debet suæ omissionis, quæ non potest esse nisi actus aliquis positiuus. *Quintò.* Formalis ratio peccati, nempè priuatio debitæ rectitudinis fundatur in aliquo actu, tanquàm in proprio suo subiecto: Ergò vbi nullus est actus, nulla potest esse priuatio debitæ rectitudinis; ac proindè nec peccatum; vt quod concipi sine formali suâ ratione non potest. *Postremò.* Non potest esse meritũ sine aliquo actu: Ergò nec demeritum, cùm sit eadem ratio oppositorum: Atqui per omissionem demeremur; Ergò omissio non potest esse sine aliquo actu.

Secunda Sententia est Richardi in 2. dist. 35. art. 1. quæst. 1. & quodlib. 1. quæst. 22. Durandi ead. dist. qu. 2. Occam in 3. quæ. 10. ad 1. dubit. Marsil. in 2. quæst. 21. art. 2. conclus. 4. Almayni tract. 3. Moral. cap. 25. Adriani in 4. quæst. 3. de Eucharist. &c. qui docent omissionem reperiri posse sine actu, qui sit vel occasio, vel caussa illius. *Probant sententiam suam primò*: Omissio potest esse voluntaria sine vllo actu; tũ quia fieri potest, vt cùm quis tenetur ad aliquid agendum, nihil de eo cogitet; tum quia, etiamsi de eo cogitet, potest suspendere omnẽ actum voluntatis, cùm hæc à cognitione non necessitetur, nisi circà Devm clarè visum: Ergò potest etiam esse culpabilis, & peccatum sine vllo actu.

Secvndo. Si peccatum omissionis non potest esse absque actu, qui sit caussa, vel occasio illius; aut is erit in potestate voluntatis, aut non: Si primum; ergò poterit suspendi a voluntate; ac proinde poterit omissio esse sine illo: Si secundum; omissio non erit peccatum, quia cùm actus, ex quo sequitur, non sit in potestate operantis, nec ipsâ omissio erit in potestate illius, ac proinde nec peccatum: *Tertiò.* Actus ille, ex quo sequitur omissio, aut est malus, aut bonus, aut indifferens. Si malus: qui peccat peccato omissionis, duplici se peccato obstringet, vno cõmissionis, altero omissionis: Si bonus, vel ex eo necessariè sequitur omissio, vel nõ; si primum, non poterit esse bonus; quià id ex quo necessariè sequi-

tur peccatum, non poteſt eſſe bonum: ſi ſecundum, poterit omiſsio eſſe ſine actu illo. Nec denique dici poteſt indifferens; eo ipſo enim, quòd cauſſa malæ omiſsionis eſt, malus erit. *Pro reſolutione controuerſiæ.*

Notandvm eſt I. Duplicem eſſe omiſsionem. Vna eſt actus exterioris, vt ſi quis omittat audire Sacrum, viſitare ægrotos, &c. Altera eſt actus interioris, vt ſi quis omittat actum fidei, ſpei, contritionis, &c. Potiſſima difficultas eſt de omiſsione actus exterioris; an videlicet ſemper habeat aliquem actum ſibi coniunctum, qui ſit cauſſa vel occaſio illius?

Notandvm eſt II. Nomine actus exterioris hoc loco non intelligi ſolùm operationem alicuius facultatis; ceu ſunt, ambulare, videre, audire & ſimiles; ſed quicquid moraliter cenſeri poteſt pro actu externo, quia præcepto aliquo poteſt imperari aut prohiberi; cuiuſmodi ſunt, exempli cauſsâ, armatum eſſe, eſſe in tali loco, quieſcere; Hæc enim & ſimilia, ſi fiant liberè, poſſunt eſſe materia virtutis & vitij. *Quibus poſitis.*

Dico I. Tota ratio peccati omiſſionis concipi poteſt abſq; vllo actu. *Probatur.* Actus nō eſt de extrinſecâ ratione omiſsionis, cū hæc eſsētialiter ſit priuatio actus; Ergò tota ratio peccati omiſsionis cōcipi poteſt abſq; vllo actu.

Dico II. Omiſsio actus exterioris, vt culpabilis ſit & peccatū, non poteſt eſſe ſine aliquo actu, qui ſit cauſſa, vel occaſio illius. *Probatur.* Nunquàm aliquis omittit præceptum, quin vel expreſſam habeat intentionem omittendi illud, vel aliquid aliud agat, quo impediatur ab executione præcepti. *Exempli gratiâ.* Qui non audit rem diuinam die feſto, neceſſe eſt, vt vel expreſsâ intentione nolit audire, vel aliâ quadā occupatione, vt luſu, ſtudio, ſomno, ambulatione, & ſimilibus, detineatur, quæ illum ab auditione rei diuinæ impediant. Quicquid autem tale eſt, in nomen & appellationem externi actus hoc loco venit. Argumenta primæ ſententiæ, quia nobis non aduerſantur, non indigent ſolutione. *Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur.*

Ad primvm. Negatur antecedens. Vel enim omiſsio actus exterioris voluntaria eſt in ſe & directè, & ſic non eſt ſine actu, nempè ſine expreſsâ intentione omittendi; vel indirectè & in alio, quod ſit cauſſa aut occaſio omiſſionis, & illud vocamus hoc loco actum, iuxtà ſecundam notationem.

Ad

Ad Secundum. In potestate voluntatis est, suspendere hunc aut illum actum; non tamen cohibere se ab omni actu, qui sit caussa, vel occasio omissionis.

Ad tertium. Patebit ex disputatione subsequenti.

DISPVTATIO II.

Vtrum actus, qui caussa omissionis est, semper sit peccatum?

NEGAT Durandus in 2. distinct. 35. quæst. 2. num. 6. Cæteri & veriùs affirmant. *Ad cuius sententiæ explicationem.*

Notandum est: Actum dici caussam omissionis, vel qui est expressa voluntas, seu propositum omittendi, vt cùm aliquis deliberatè statuit non audire Sacrum Missæ eo tempore, quo ad audiendum obligatur; Vel qui post expressam volũtatem omittendi primò eligitur, & consistere simul cum obseruatione præcepti non potest; vt cùm quis constitutâ iam voluntate non audiendi Sacrum, domi manet, sedet, iacet, aut aliud externum opus (vt nunc voce operis vtimur) primariè eligit, quod simul cum obseruatione præcepti esse non potest. Vel is denique, cuius intentione & desiderio opus illud eligitur; vt cùm aliquis, postquàm semel statuit non audire Sacrum Missę, ideò domi manet, sedet, aut iacet, vt literis operam nauet, aut aliam operationem exerceat, quæ impediat præcepti obseruationem. Hi omnes actus dicũtur esse caussa peccati omissionis, & influere in ipsam omissionem. *Ratio est.* Quia per se impediunt obseruationem præcepti, & ex vi illorum sequitur omissio præcepti. Cæteri verò, qui nec expressa sunt intẽtio omissionis, nec primariè eligũtur, tẽpore implẽdi præcepti, cuius obseruationẽ impediũt; nec vt caussa finalis mouent ad omissionẽ, nõ dicuntur caussa omissionis, sed tantùm comitari illam. Vt si quis tempore audiendi Sacri iter faciat, non eo quidem fine & consilio, vt horas canonicas recitet, aut eleemosynam largiatur; veruntamen nè in itinere otiosus sit, recitationem horarum suscipiat, aut eleemosynam distribuat; in hoc casu opus iter faciendi erit caussa omissionis; opus verò recitandi horas, vel erogãdi eleemosynam nequaquã. De his actibus, qui nõ sũt caussa vllo modo omissionis, tametsi comitentur omissionẽ,

docent vno consensu Theologi, nisi aliundè, vel ex obiecto, vel aliis circumstantiis mali sint, nullam contrahere malitiam ex omissione. Controuersia tantùm est de actibus, qui sunt caussa omissionis, & in illam influunt. *Ad cuius resolutionem.*

Dico I. Actus, qui est caussa peccati omissionis, semper peccatum est. *Ratio est.* Quia omnis actus liber, qui est caussa alicuius peccati, est peccatum, sed omissio vt supponimus, est culpabilis & peccatum: Ergò actus liber, qui illius caussa est, culpabilis & peccatum est. Sic multæ actiones, ex se alioqui bonæ & laudabiles, ratione scandali fiunt malæ & vitiosæ, non ob aliam caussam, quàm quia caussa fiunt peccati: vt colligitur ex D. Paulo ad Rom. 14. & 1. ad Corinth. 10. *Confirmatur.* Euentus seu effectus, qui sequitur ex actione humanâ, est vna ex circumstantiis ipsius: sed quandò circumstantia actionis mala est, mala etiam est actio, vt suprà vidimus: Ergò si omissio est mala, etiam actio illa, quæ causa est omissionis, erit mala. Id verò intelligendum est de actione illâ, quæ ità caussa est omissionis, vt non to. lat eius malitiam; fit enim interdum, vt caussa omissionis ità præcipiatur, vt propter illam omittere præceptum, nullum sit peccatum; quod tum euenit, quandò duo præcepta simul occurrunt, quorum, cùm ambo seruari nequeant, vnum fortius obligat, quàm alterum; tunc si illud obseruetur, cuius arctior est obligatio, omissio alterius, quod minus vrget, nullo modo culpabilis, aut peccatum est. Sic quià præceptum subueniendi constituto in extremâ necessitate magis obligat, quàm præceptum audiendi Sacrum; is qui tempore audiendi Sacri subuenit alicui, in extremâ necessitate posito, nequaquàm peccat omissione Sacri audiendi.

Dico II. Actus ex eo, quòd caussa est omissionis, non habet aliam malitiam ab eâ, quæ est ipsius omissionis; sicut actio quę est causa homicidij, nō habet aliam malitiam, quàm homicidij. Vndè vnum & idem peccatum cum omissione constituit; ac proindè in confessione sacramentali satis est fateri ipsam omissionem; etiamsi actus ille, qui caussa omissionis est (nisi ex alio capite malus sit) non exprimatur.

Ex dictis seqvitvr. Clericum nauigantem, qui deliberatè statuit non recitare horas canonicas, & ex illâ voluntate Breuiarium in mare abiicit, peccare abiiciēdo; quia id primò eligit, & facit, quod per se impedit obseruatio-

tionem pręcepti, & ex cuius vi sequitur omissio præcepti. Quod peccatū eò grauius est, & pluribus æquiualens, quò plurium omisſionum caussa est; sicut grauiùs peccat, qui vno ictu plures, quàm qui vnum tantùm interficit.

DISPVTATIO III.

Quo tempore censeatur aliquis peccare peccato omißionis?

DIFFICVLTAS est de eâ omisſione, quæ ex antecedente aliquâ causſâ sequitur: & quæritur, an ei, qui omittit opus aliquod præceptum, omisſio ad culpam imputetur, eo tempore, quo dat caussam futuræ omissioni; an verò posteà, quandò reipsâ pręcepti omisſio sequitur? *Exempli gratiâ.* Petrus omittit audire Sacrū in die festo, quia somno & quieti se dare voluit; quæritur, an omissio illa Sacri audiendi tunc statim ad culpam ei imputetur, quandò somnum voluntariè iniit; an verò posteà, cùm eo dormiente res diuina, quam ex præcepto audire tenebatur, peracta est?

DOCTORVM in vtramque partem sunt sententiæ; quibus omisſis præsentem controuersiam tribus assertionibus resoluo.

DICO I. Peccatum omisſionis tunc verè imputatur, cùm quis voluntariè dat caussam omisſioni. Ità docent Alexand. 2. part. quæst. 113. m. 7. Maior. in 4. dist. 9. quæst. 2. conclus. 4. & dist. 17. quæst. 8. conclus. 4. Adrianus in 4. quæst. 3. de Eucharistiâ, quæ incipit: *Vlterius*, in solut. septimi. *Probatur hæc assertio.* Quia omnis culpa propriè est in voluntate; ac proindè culpa etiam omisſionis tunc contrahitur, quandò quis habet voluntatem omittendi. Hanc autem censetur habere, quando voluntariè dat caussam omisſioni: Ergò tunc contrahit culpam omisſionis. *Confirmatur.* Quandocunque aliquis, siue directè, siue indirectè vult malum, tunc contrahit culpam illius mali; idque verum est tam in peccatis omisſionis, quàm commisſionis; quicunque enim vult furari, siuè directè, quia expresſâ intentione velit, siuè indirectè, quia aliquid velit, ex quo verisimile est furtum secuturum; tunc contrahit culpam furti. Ergò quandò quis vult omittere, id quod ex præcepto tenetur facere, siuè directè & expresſâ intentione velit omittere; siuè indirectè, quiâ ali-

quod vult & facit, ex quo proximè secutura est omissio, tunc etiam contrahit culpam omissionis.

Dico II. Quandò omissio ex caussâ antecedente ità sequitur, vt ipsa etiam maneat subiecta libertati voluntatis, non tantùm actus, ex quo sequitur, sed ipsa etiam culpabilis & peccatum est. *Ratio est.* Quia est libera transgressio præcepti: Ergò culpabilis & peccatum: Tametsi vnum cum actu, ex quo sequitur, peccatum constituat; quia vna est vtriusque malitia.

Dico III. Quandò omissio ex caussâ antecedente ità oritur, vt ipsa non maneat subiecta libertati arbitrij, vt quādo in sōno aut ebrietate contingit, non est peccatum, sed effectus tantùm peccati. Ità tradunt Adrianus & Maior locis suprà allegatis. Paludanus in 4. distin. 9. quæst. 3. Vasquez in 1. 2. disput. 94. cap. 3. *Ratio est.* Nam cùm non sit libera, non potest esse capax malitiæ moralis. Vndè tota culpa, quam alioqui haberet, si libera esset, in actu, ex quo sequitur, tanquàm in caussâ voluntariè datâ residet.

Disputatio IV.

An omne peccatum ideò peccatum sit, quià aliquâ lege sit prohibitum?

Affirmat Gerson 3. parte de vitâ spirituali animæ. litt. I. cui fauent S. Bonauentur. in 2. distinct. 35. dub. 4. & Occam in 2. quæst. 19. cùm dicunt, Devm posse dispensare in omni lege, etiam naturæ. *Hinc* enim sequitur, omne peccatum ideò solùm peccatum esse, quia lege est prohibitum. *Fundamentum huius sententiæ est.* Quia omne peccatum est præuaricatio. Psalm. 111. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Atqui vbi non est lex, nulla est præuaricatio ad Rom. 4 Ergò omne peccatum ideò peccatum est, quia lege est prohibitum. *Confirmatur* ex eadem epistolâ ad Rom. c. 5. *Cùm lex non erat peccatum non imputabatur:* Et cap. 7. *Sine lege peccatum mortuum erat.* Ergò omne peccatum ex eo peccatum est, quia contrà legem est.

Negant Scotus in 3. distinctione 37. quæstion. 1 § *Præcipuè*. §. *Sed ista*. §. *Ad quæstionem igitur*. Gabriel. quæstione 1. articulo 2. conclus. 3. & 4. Richardus articulo 1. quæstion. 1. Durand. in 1. distinct. 47. quæstione 4. num 16. Sotus lib. 2. de iustitiâ quæstione 3. articulo 8. Victoria relect. de Homicidio. num. 3. & seqq. Alensis. 2. part. quæstione 123. memb. 1. §. 1 Albertus in 2. distinct. 36. articulo 3. Hi docent non omne peccatum ideò peccatum aut malum esse, quia lege sit prohibitum; sed quædam peccata suaptè naturâ mala esse, & ideò prohibita, quia mala sunt. *Pro resolutione*.

Notandvm est. I. Legem posse sumi dupliciter: Vno modo pro præcepto, quod alicui intimatur, & est lex propriè sumpta, diciqúe solet imperatiua: Secundo modo pro regula nostrarum actionum, dictante aliquid agendum esse vel non; quæ est ratio siuè humana, siuè diuina, & dici solet indicatiua. Legi possunt Gregorius in 2. distinction. 34. quæstion. 1. articulo 2. conclus. 2. Corduba. libro. 3. quæstione 10. ad secundum. Almayn. tractatu 3. moral. cap. 16.

Notandvm est. II. Devm quædam liberè, quædam necessariò velle. *Primo modo*. voluit creare mũdum, & alia; quia ità hæc voluit, vt potuerit non velle. *Secundo modo* vult seipsum & attributa sua, vt sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, veritatem, &c. *Hinc fit*, vt Deo etiam necessariò placeant ea, quæ sunt conformia attributis diuinis, & displiceant ea, quæ sunt dissentanea. Ex quo colligitur, duplicem esse legem diuinam: Altera libera est, quæ vocatur lex positiua, quæ tolli potest & poni. Altera est necessaria, quæ vocatur lex naturalis, quâ Devs prohibet ea omnia, quę sunt immediatè contrà attributa sua; vt mendacium, periurium, odium Dei, blasphemiam, idololatriam &c. Quam legem naturalem nobis promulgat lumen naturale. Vnde fluit doctrina illa communis: *Ea, quæ sunt iuris naturalis, nemo potest inculpabiliter ignorare*. His positis.

Dico. I. Quædam peccata ità intrinsecè mala sunt, vt quamuis nulla esset lex positiua, nihilominùs tamen mala sint. Eiusmodi sunt illa, quæ dicuntur prohibita, quia mala; vt mendacium, odium Dei, periurium, & similia. Colligitvr. I. ex Aristotele. 2: Ethic. cap. 6. Vbi docet esse quosdam affectus, inquibus esse non potest mediocritas. *Et probatur*

ratione. Nam si Devs nullam imposuisset legem hominibus, id quod facere ab æterno potuisset, siquidem lex positiua à liberâ Dei voluntate est; nihilominus tamen, *odisse DEVM, mentiri, peierare, blasphemare,* malum esset; non igitur id habent à lege Dei positiuâ, & multò minùs ab humanâ. *Confirmatur.* Nam si aliquæ actiones non essent ex se, & intrinsecè malæ, possent omnes Deo conuenire; quia Deo non repugnat nisi id, quod includit malitiam. Quare posset Devs mentiri, odisse se ipsum; quod eius repugnat veritati & bonitati. Legi potest D. Augustin. lib. 1. de lib. arbit. cap. 3. Epistolâ 89. quæst. 3. epist. 200. dum explicat illud ad Rom. 7. *Adueniente lege peccatum* &c. lib. 22. contrà Faustum cap. 27.

Dico. II. Si nulla esset lex, nec primò, nec secundo modo sumpta, nullum etiam esset peccatum. *Probatur.* Quia peccatum necessariò importat de ordinationem à suà regulâ; ac proindè si nulla esset regula, nullum esset peccatum; nulla autem esset regula, si nulla esset lex secundo modo sumpta. *Confirmatur.* Peccatum debet esse contra rationem; at sublatâ lege vtroque modo acceptâ, nulla esset ratio. Ergò nec peccatum. *Ad fundamentum primæ sententiæ.*

Respondeo. Si lex sumatur, vt complectitur non solùm legem positiuam, sed etiam legem naturalem & rectam rationem, verissimum est, peccatum esse præuaricationem; & vbi non est lex, nec præuaricationem esse, vt inquit D. Paulus. Secùs autem est, si lex sumatur pro solâ lege positiuâ & liberâ; vt videtur sumi in argumento.

Ad Confirmationem. Illa multas petit difficultates alibi explicandas. In præsentiâ satis sit, ad Rom. 5. dici peccatum antè legem non fuisse imputatum, scilicet ab hominibus, à quibus ignorabatur: Aut non fuisse imputatum etiam à Deo, quandò committebatur ex ignorantiâ inuincibili. Vndè ad Rom. 7. inquit Paulus: *Peccatum non cognoui nisi per legem.* Illud verò eiusdem loci: *Sine lege enim peccatum mortuum erat; veniente autem mandato peccatum reuixit:* Vel ità accipiendum est, quòd prohibitio excitarit concupiscentiam, cùm ità naturâ comparatum sit, vt plerumque niti soleamus in vetitum: Vel quòd peccatum factum sit maius accedente lege; quia ex cognitione legis creuit peccati notitia.

QVAE-

QVAESTIO LXXII.

De Peccatorum distinctione.

NOVEM SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum peccata differant specie secundum obiecta?* CONCLVSIO est affirmans. Quam intellige de obiectis in genere moris, non in genere naturæ. Nam genus moris, cuius species sunt bonum & malum morale, accidit actibus in genere naturæ consideratis, iuxta ea quæ suprà vidimus, quæst. 18. artic. 2. & seqq.

ARTICVLO II. *Vtrum conuenienter distinguantur peccata spiritualia à carnalibus?* CONCLVSIO est affirmans, & clara ex textu. *Tantùm obserua.* Peccata carnalia hoc loco non dici à carne, prout caro significat totam partem sensitiuam, quæ, vt Paulus inquit ad Galat. 5. *cõcupiscit aduersus Spiritum*; Nam multa peccata carnalia hoc modo sumpta (quæ D. Paulus enumerat tũ loco citato, tũ ad Rom. 8.) cõprehenduntur in hoc articulo, sub numero peccatorum spiritualiũ, vt exempli caussâ, Inuidia, dissensio, &c. Vocat enim Paulus opera carnis, id est, hominis, qui non spiritu fidei, sed appetitu ducitur. Peccata ergò carnalia dicuntur illa, quorum delectatio carne consummatur, cuiusmodi sunt luxuria, gula, ebrietas. Hæc enim peculiari quadam ratione dicuntur carnalia; & semper specie differunt à spiritualibus, quia opponuntur diuersis virtutibus, vndè diuersę species peccatorum oriuntur.

ARTICVLO III. *Vtrum peccata distinguantur specie secundum caussas?* CONCLVSIO est. Peccata solùm specie differunt per caussas finales, non autem per mouentes. Nomine caussarum finalium intelligit S. Thomas obiecta; nomine verò mouentium, affectus odij, timoris, amoris &c. Eiusdem enim speciei est homicidium, siuè ex timore, siuè ex odio patretur.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccatum conuenienter distinguatur per peccatum in DEVM, in seipsum, & in proximum?* CONCLVSIO est affirmans.

VBI OBSERVA: Tametsi omnia peccata alioqui dici posint contrà DEVM, quædam tamen pecu-

liari quadam ratione dicuntur esse contrà Devm, vt sunt illa, quę aduersantur virtutibus Theologicis; quædam verò contrà proximos, vt sunt, quæ aduersantur iustitiæ; quædam denique contrà nos ipsos, vt sunt quæ aduersantur fortitudini & temperantiæ.

Articvlo V. *Vtrum peccata distinguantur specie secundum reatum pœnæ?* Conclvsio est negãs. De qua infrà q. 87. & 88.

Articvlo VI. *Vtrum peccatum cõmissionis & omissionis differant specie?* Conclvsio est. Omissio & cõmissio materialiter sumptę, specie differunt (sicut ens specie differt à non ente) formaliter verò sumptæ non semper specie differunt. *Pro cuius explicatione conclusionis aliquot regulæ obseruandæ sunt.*

Prima est. Quoties commissio est actus bonus, & omissio illi opposita mala, distinguuntur specie: Vt reddere cuique quod suum est, & non reddere. Neque de hoc dubitatio esse potest, quoniam actus bonus & malus differre debent specie saltem morali.

Secvnda. Quoties omissio & commissio versantur circà obiecta diuersarum virtutum, distinguuntur specie. *Vt exempli gratiâ* omissio Sacri, & commissio furti Illa enim contrà religionem est hæc verò contrà Iustitiam.

Tertia. Quoties omissio & commissio versantur circà eandem materiam, sed sub diuersâ ratione, differunt specie; quia opponuntur diuersis virtutibus, quæ habent diuersa obiecta formalia. *Vt exempli gratiâ*: Occidere hominem gladio; &, Non conseruare vitam pauperis in extremâ necessitate existentis, cùm conseruari potest; sunt peccata distincta, & primum opponitur iustitiæ; alterum charitati.

Qvarta regvla est. Quoties commissio & omissio opponuntur eidem virtuti & eodem modo; seu quod idem est: Quoties versantur circà eandem materiam sub eadem ratione formali, non differunt specie. *Exempli causâ.* Accipere seu detinere rem alienam; & non restituere rem alienam, non sunt peccata specie differentia; quia habent idem obiectum, & eandem rationem formalem obiecti. Et iuxtà hanc regulam intelligendus est D. Thomas hoc loco, cùm docet commissionem & omissionem non differre specie. Vel solùm voluit, peccata ex eo præcisè, quod sint commissionis & omissionis, non habere, vt specie differant, cùm possit commissio & omissio esse eiusdem speciei; quòd si inter-

dum differunt, id aliundè habent, vt ex dictis constat.

Obicies. Commissio & omissio sunt contrà diuersa præcepta; illa contrà negatiuum, hæc verò contrà affirmatiuum: Ergò non possunt non specie differre. *Respondeo.* Præcepta affirmatiua & negatiua tum distinguunt peccata specie, quandò nouas rationes malitiæ moralis afferunt obiecto; quod non fit, quandò commissio & omissio versantur circà eandem materiam sub eadem ratione formali.

Obicies secundò. Peccata per excessum & defectum differunt specie; vt docet D. Thomas articul. 8. Sed omnis commissio est per excessum, & omissio per defectum: Ergò semper specie differunt. *Respondeo* negando minorem; Potest enim & commissio esse per defectum; vt cùm quis sine debitâ attentione orat; & è contrà omissio per excessum; vt cùm quis amore delectabiliũ, aut odio insuauiũ, non comedit ad vitæ sustentationem necessaria. *Adde* peccata per excessum & defectum, quandò specie differunt, versari circà diuersas materias, aut circà eandem diuersâ ratione. Quod D. Thomas indicauit, cùm dixit esse diuersa eorum motiua; Nos autem volumus commissionem & omissionem esse circà eandem materiam sub eadem ratione.

Articvlo VII. *Vtrum conuenienter diuidatur peccatum, in peccatum cordis, oris & operis?* Conclvsio est affirmans. Quę diuisio peccatorum sumpta est ex D. Hieronymo in Ezech. cap. 43. & ex Magistro Sententiar. in 2. distinct. 42. *Pro cuius explicatione.*

Observa. Peccata cordis, oris & operis sumi posse bifariàm. *Vno modo*, vt singula sunt per se perfecta & consummata. Et sic peccatum cordis dicitur id, quod in ipso corde interiùs completur; cuiusmodi sunt odium Dei, vel proximi, hæresis, inuidia, ira, superbia, contemptus, auaritia, ambitio, iudicium temerarium. *Peccatum verò* oris dicitur id, quod in ore seu verbis consummatur; cuius generis sunt detractio, mendacium, periurium, falsum testimonium, conuitium, blasphemia. *Peccatum denique* operis dicitur id, quod opere externo perficitur; qualia sunt, furtum, latrocinium, homicidium, veneficium, proditio patriæ, fornicatio, stuprũ, adulterium, incestus, rapina, &c. *Altero modo* posśũt peccata hęc accipi, vt

peccata cordis vel oris ordinantur ad opus; quomodo sunt quædam veluti præparationes, initia, & caussæ eorum peccatorum, quæ quis opere ipso exequitur & consummat. Iuxtà quã distinctionem facilè intelligitur, an & quandò prædicta peccatorum genera inter se specie distinguantur. Peccata enim quæ in corde interiùs consummantur, specie differunt ab iis, quæ in ore aut opere consistunt, vtpotè à quibus obiecto & materiâ differunt. Sic ambitio, superbia, contemptus, odium, inuidia, quæ sunt peccata cordis, specie distinguuntur à contumeliâ, detractione, conuitio, periurio, mendacio, quæ verbo perficiuntur: Et à furto adulterio, homicidio; & quæ opere & facto perpetrantur. Quandò autem peccata cordis vel oris respectum & ordinem habent ad opus, quia sunt initia, caussæ & fontes malorum operum; tunc peccata cordis, vel oris à peccatis operis specie non differunt. Sic voluntas furandi eiusdem speciei est, cuius est furtum; & suadere alteri adulterium in eadẽ specie peccati est, in quâ adulterium ipso opere perpetratum repo nitur. *Ratio est.* Quia opus externũ est obiectum & materia sumptarum hoc secundo modo cogitationum & locutionum.

Articvlo VIII. *Vtrum superabundantia & defectus diuersificent species peccatorum?* Conclvsio est affirmans.

Vbi observa. Excessum & defectum in vitiis extremis considerari debere ex respectu & ordine ad obiectum virtutis, cui opponuntur; eò quòd contrà rectam rationem, ex materiâ virtuti subiectâ plus æquo quispiam sumat, aut minùs quàm debeat, vt ex cibo, potu, honoribus, diuitiis, lucro, &c.

Articvlo IX. *Vtrum peccata diuersificentur specie secundum diuersas circumstantias?* Conclvsio est. Quoties circumstantia habet rationem specialis motiui, tribuit operationi peculiarem speciem peccati; quandò autem plures sub eodem motiuo continentur, eadem manet omninò species.

DISPVTATIO VNICA.

Vtrum, quando vno actu duo præcepta violantur, duplex sit in tali actu malitia, an verò vna tantùm?

Sta-

STatvs Controuersiæ hoc exemplo declaratur. Tenetur aliquis certâ die ieiunare ex voto; occurrit eadem die vigilia alicuius Sancti; is si ieiunium soluat, quæritur, an duplici peccato se astringat, vno contrà voti à se facti religionem, altero contrà præceptum Ecclesiæ, quod in vigiliis Sanctorum ad ieiuniùm obligat? Nauarrus in manuali cap. 11. num. 4. duas affirmat in eiusmodi actu, quoties diuersis præceptis aduersatur, esse malitias, & sigillatim in confessione aperiendas. Caietanus hoc loco art. 6. vnam tantùm. *Pro decisione controuersiæ.*

Notandvm est. Præcepta bifariam distingui posse. *Primò* ratione præcipientium; quia videlicet plures sint, qui aliquid præcipiāt, aut vetent. Et hæc distinctio præceptorum accidentaria tantùm est, quia idem & ob eandem rationem à pluribus legislatoribus iuberi, aut prohiberi potest. *Secundò* distingui possunt ratione rei præceptæ; quandò videlicet aut diuersa omninò præcipiuntur, aut idem ex diuerso motiuo, seu fine proximo. Nam siuè res, quæ præcipitur sit distincta, siuè finis proximus, obquem pręcipitur, sit distinctus; distincta sunt præcepta; Et hæc distinctio præceptorum specifica est, & essentialis. *Hoc posito.*

Dico I. Quandò vno actu violantur duo præcepta primo modo; hoc est, ex solâ legislatorum diuersitate distincta, vnum duntaxat committitur peccatum. *Hinc* qui hominem interficit, tametsi delinquat contrà præceptum diuinum, Ecclesiasticum, & ciuile, vnum tātùm peccatum homicidij perpetrat; quia actum exercet intuitu eiusdem virtutis iustitiæ à Deo, & hominibus prohibitum. Vndè quandò præcepta sunt de eadem re, & sub eodem motiuo, actus, qui iis aduersatur, vnam & eandem specie malitiam continet. Et hoc videtur voluisse S. Thomas art. 6. ad 2. cùm docet vnicum esse peccatum, quod fit contrà plura præcepta; quia præcepta non distinguunt peccata.

Dico II. Quandò vno actu violantur duo præcepta secundo modo; Hoc est, ex obiecto, seu motiuo diuersa; duo committuntur peccata specie differentia. *Ratio est.* Nam quoties præcepta hoc modo distinguuntur, actus etiam diuersas habent oppositiones cum virtute, & naturâ rationali; ex quibus diuersa consurgit malitia moralis. *Hinc* is, qui tenetur ex voto ieiunare feriâ sextâ, si in eandem diem in-

cidat vigilia alicuius Sancti, quâ ieiunium Ecclesia præcipit, duo committit peccata, si ieiunium soluat: Vnum contrà temperantiam propter præceptum Ecclesiæ; alterum contra religionem propter votum; quorum diuersa sunt obiecta & motiua. Is etiam qui surripit rem alienam ex loco Sacro, vno actu duo cõmittit peccata specie differentia; quia duo præcepta violat ex obiecto & motiuo diuersa; vnum iuris naturalis, quo prohibetur acceptio rei alienę contrà iustitiam; & alterum legis Ecclesiasticæ, quo vetatur surreptio rei ex loco Sacro cõtrà religionem. Et sic de aliis.

QVAESTIO LXXIII.

De comparatione peccatorum ad inuicem.

DECEM SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas. *Vtrum omnia peccata sint connexa?* CONCLVSIO est. Non omnia peccata sunt connexa. Nam cum respiciant diuersa obiecta, nec aliquid sit, quod omnia inter se copulet, connexa esse non possunt. Neque enim, qui contrà vnum aliquod præceptum delinquit, contrà alia omnia peccat. Nec enim quisquis fur est, idem homicida, periurus, aut adulter est.

OBIICITVR illud Iacobi 2. *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Nam si is, qui vnum tantùm præceptum violat, reliquorum omnium reus est, planè sequitur peccata omnia inter se connexa & colligata esse. *Respondeo*, locum hunc variè exponi. Alij violatorem vnius præcepti ideò reum esse volunt omnium; quia perindè à beatitudine excidit, ac si omnia violâsset. Alij, quia charitatem amittit, à quâ tota lex pendet. Alij, quià DEVM offendit authorem omnis legis. Quod ex eo colligunt, quod subditur. *Qui dixit. Non mœchaberis, dixit, Non occides:* quasi sensus sit; Idem legislator est, qui præcipit non furandum, & non occidendum esse. Alij demùm in eo sensu accipiunt: Factus est omnium reus: Hoc est: Qui vnum præceptum legis transgreditur, factus est transgressor legis, qui vniuersam debebat implere. Nam in eo errore Pharisæi versabatur, vt existimarent,

rent, vnum aut alterum legis præceptum transgredi, non esse peccatum, quo DEVS offendatur, nisi omnia legis mandata violentur. Contrà quos scribit & testatur Apostolus; Eum, qui in vno offendit, omnium reum fieri; Quia vnum scilicet transgrediendo, non omnia implet & obseruat, quę tamen omnia implere & obseruare debebat. Harum expositionum quælibet sufficiens ad elidendam obiectionem est; postrema tamen reliquis videtur & melior, & textui accõmodatior.

ARTICVLO II. *Vtrum omnia peccata sint paria?* CONCLVSIO est negans, & de fide. Patet ex Scripturâ Sacrâ, quæ passim aliud peccatum alio grauius esse docet. Deuteronom. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Ezech. 9. *Iniquitas Israel & Iuda magna est nimis valdè.* Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ioannis 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Matth. 12. *Qui dixerit verbum in spiritum Sanctum, non remittetur ei in hoc sæculo, neq; in futuro.* 1. ad Corinth. 5. & alibi. *Probatur ratione.* Quia cùm multa ad peccatum concurrant, quæ faciunt ad grauitatem vel leuitatem peccatorum, non possunt omnia eodem modo, & æqualiter in omnibus peccatis reperiri. *Primò* quidem; quia non omnium peccatorum obiecta sunt æqualia; quo fit, vt peccata contrà DEVM sint grauiora, quàm quæ contrà proximum; & ex iis, quæ contrà proximum sunt, grauiora sunt ea, quæ lædunt vitam ipsius spiritualem, quàm quæ corporalem; & hæc grauiora, quàm quibus offenditur in bonis externis. *Deindè*, quia dispositio peccantis inæqualis etiam est, vt sciẽtia, libertas, affectus, &c. Quæ omnia ex subsequentibus fient illustriora.

ARTICVLO III. *Vtrum grauitas peccatorum attendatur secũdum obiecta;* CONCLVSIO est. Grauitas prima & præcipua peccatorum attenditur ex obiectis, ex quibus etiam peccatorum species sumuntur. Hinc peccata, quæ proximè contrà DEVM sunt, ex se grauiora iis sunt, quæ contrà homines admittuntur. Et sic de aliis.

ARTICVLO IV. *Vtrum grauitas peccatorum differat secundum dignitatem virtutum, quibus opponuntur?* CONCLVSIO est. Maiori & excellentiori virtuti maius vitium & peccatum directè & principaliter opponitur

Doctrina hæc conuenit cum doctrinâ articuli præcedentis. Nam peccata eò esse grauiora, quò maiori virtuti opponuntur, prouenit ab obiectis, ex quibus prima grauitas peccatorum secundum speciem attenditur.

Obiicies. I. D. Thomas infrà quæst. 84. art. 4. ad 1. apertè docet, necesse non esse principalia vitia opponi præcipuis virtutibus. Ergò videtur sibi ipsi esse contrarius. *Respondeo.* D. Thomam eo loco nomine peccatorum principalium non intelligere peccata grauiora; sed peccata capitalia, quæ septem communiter assignantur; dicuntur autem capitalia, quià ex illis alia originem ducunt. Legi potest Conradus in hunc articulum.

Obiicies II. D. Thomas 2. 2. quæst. 142. art. 3. docet peccatum intemperantiæ maius esse peccato timiditatis, cùm tamen timiditas opponatur fortitudini, quæ est virtus excellentior, quàm temperantia; cui opponitur peccatum intemperantiæ. Item 2. 2. quæst. 154. art. 3. ait fornicationem grauius peccatum esse, quàm furtum; & tamen furtum opponitur Iustitiæ, quæ præstantior est castitate, cui opponitur fornicatio. *Respondeo.* Peccata, quæ præstantioribus virtutibus aduersantur, semper ex obiecto & specie suâ grauiora esse iis, quæ sunt contrà virtutes minùs excellentes; ità vt quantumcunque hæc intrà ordinem & latitudinem speciei suę augeantur & crescant, nunquàm tamen ad grauitatem specificam illorum ascendant; quantumcunque enim species aliqua inferioris ordinis intrà rationem suam crescat; nunquam attingere potest speciem ordinis altioris, nedum illam transcendere & superare. Veruntamen ex accidenti & circumstantiis fieri potest, vt peccatum, quod ex specie suâ est minùs graue, maius ęstimetur altero, quod in specie suâ est grauius; quia licet grauitas essentialis præcipua sit illa, quæ sumitur ex obiecto; ea tamen quæ sumitur ex circumstantiis, tanti momēti esse potest, vt interdum plus censeatur valere ad augendum peccatum, quàm ea, quæ sumitur ex obiecto. Sic tametsi argentum ex specie & naturâ suâ ignobilius sit auro, ità vt quantumuis intrà ordinem speciei suę crescat & perficiatur; nunquàm possit attingere specificam perfectionem auri; potest tamen tanta esse copia argenti, vt quoad vsus hominum iudicetur melius exiguâ auri quantitate. *Ratio est.* Nam cùm ad constituendum actum bonum & virtuosum mul-

ta possint concurrere, ex quorum defectu vitietur, quoque plura eorum desunt, eò euadat etiam peior; fieri potest, vt actui virtutis perfectioris pauca admodum detrahantur; ac proindè vt exiguam contrahat malitiam; actui verò virtutis imperfectioris, mul ta detrahantur, multæ etiā accedant circumstantiæ malæ; ac proinde vt itá augeatur eius deformitas, vt secundum prudentem existimationem, cuius magna ratio habetur in negotio morali, superet malitiā illius. Legi potest Scotus in 2. dist. 4. qu. 1. & quodlib. 18. qu. 1.

Qvod si roges. Ex vitiis, quæ eidem virtuti opponuntur per excessum & defectum, vtrum sit ex naturâ suâ grauius? *Respondeo* cum Aristotele. 1. Ethic. cap. 6. & 7. Illud, quod magis tollit rectitudinē virtutis oppositæ. Quare cùm quędā virtutes sint, quę mouent hominē ad agendum; vt exempli caufsâ, liberalitas; aliæ quæ cohibent hominem ab agendo, vt humilitas; in illis grauius videtur peccatum per defectum; in his verò peccatum per excessum. Cuius rei indicium est, quòd eiusmodi peccata semper magis dissentanea sint virtuti, cui opponuntur.

Articvlo V. *Vtrum peccata carnalia sint minoris culpæ, quàm spiritualia?* Conclvsio est. Peccatum spirituale, si cætera sint paria, grauius est peccato carnali. Signanter ait D. Thomas, si cætera sint paria; quia fieri potest, vt peccatum spirituale quandoque vel ob leuitatem materiæ, vel defectum voluntarij, sit veniale tantùm.

Articvlo VI. *Vtrum grauitas peccatorū attendatur secundū caussā peccati?* Conclvsio I. est. Quātò fuerit maior caussa ex parte voluntatis, maius est peccatum. Conclvsio II. Quantò peior fuerit finis, tantò maius erit peccatum. Conclvsio III. Caussæ, quæ diminuunt iudicium rationis, vt ignorantia; vel quæ minuunt voluntarium, vt infirmitas, vis, aut metus, minuunt etiam rationem peccati.

Articvlo VII. *Vtrum circumstantia aggrauet peccatum?* Conclvsio est affirmans. De quâ suprà etiam quæst. 7. & 18. Nam eadem ratio est de peccato & malitiâ, quam ex circumstantiis augeri diximus. *Addo tantùm*; vt rectum feratur iudicium de peccatis, considerandam esse obligationem legis, quæ ex materiâ, verbis & pœnâ à lege definitâ colligi potest.

Articvlo VIII. *Vtrum grauitas peccati augeatur secundum maius nocumentum?* Respondet

D. Thom. septem cõclusionibus.

PRIMA est, Nocumentum, quod prouenit ex peccato, si sit præuisum & intentum, directè aggrauat peccatum. Vt patet in furto & homicidio. CONCLVSIO II. Nocumentum præuisum, sed nõ intentum auget quidem peccatum, sed solùm indirectè. Vt si quis, vt occidat inimicum, aut committat adulterium, transeat per segetes alienas, easque conculcet. CONCLVSIO III. Nocumentum nec præuisum nec intentum, si per accidens se habeat ad peccatum, non aggrauat directè peccatum. Vt si clericus venando incautè emittat sagittã, & occidat hominem. CONCLVSIO IV. Nocumentum si per se sequatur ex actu peccati, etiamsi nec intentum sit nec præuisum, directè aggrauat peccatum; quia quod per se sequitur ex peccato, pertinet quodammodo ad speciem illius peccati. CONCLVSIO V. Nocumentum, quod sibi ipsi infert qui peccat, si sequatur per accidens ex peccato, & non sit intentum nec præuisum, non aggrauat peccatum. Vt si quis currens, vt occidat inimicum, pedem, sibi lædat. CONCLVSIO VI. Nocumentum pœnæ, quod per se actum peccati consequi solet, si non sit præuisum, nec intentũ. non auget malitiam peccati; sed è contrà grauior malitia peccati est caussa grauioris pœnæ. CONCLVSIO VII. Fidelis, qui notitiam habet, huic vel illi peccato grauiores pœnas esse impositas, grauiùs videtur peccare, quàm si nesciret; quoniam maiores pœnas videtur contemnere, vt impleat voluntatem suam in peccando.

ARTICVLO IX. *Vtrum peccatum aggrauetur ratione personæ, in quam peccatur?* CONCLVSIO est affirmans, & clara ex textu.

ARTICVLO X. *Vtrum magnitudo personæ peccantis, aggrauet peccatum?* CONCLVSIO est affirmans & perspicua ex textu.

DISPVTATIO VNICA.

Vtrum circumstantia nocumenti, vel quæcunque alia debeat esse expressè, seu directè volita, vt tribuat speciem peccato; an satis sit, vt sit volita implicitè seu indirectè?

RATIO DVBITANDI est. Nam ex vnâ parte non videtur circumstantia posse tribuere speciẽ, nisi

nisi sit explicitè & directè volita; quia species peccatorum sumuntur ex diuersis motiuis; vt notat D. Thomas quæst. 72. art. 1. atqui motiua esse non possunt, nisi sint directè volita. Ex alterâ parte videtur sufficere ratio voluntarij impliciti seu indirecti. Malitia enim contrahitur absque eo, quod intendatur, cùm non possit esse per se vllo modo intenta; nemo quippe respiciens ad malum, quà malum, operatur; Ergò vt circumstantia mala tribuat peccato speciem, necesse non est, vt directè intendatur.

Variæ sunt sententiæ Theologorum, quibus omissis, præsentem controuersiam duabus assertionibus resoluo:

Dico I. In iis peccatis, quæ consummantur opere exteriori, vt circumstantia tribuat speciem actui, satis est, si sit volita implicitè & indirectè. *Hinc* vna eademq; est peccati species, siuè opus fiat ex certâ scientiâ, siuè ex ignorantiâ culpabili. *Exempli caussâ.* Eadem est sacrilegij malitia, siuè clericum scienter percutias, siuè ex ignorantiâ culpabili. Eiusdem speciei fornicatio, siuè scienter perpetretur, siuè ex ignorantiâ culpabili iuris naturalis. Idem intemperantiæ peccatum, siuè ieiunium sciens volensque frangas, siuè ex ignorantiâ culpabili legis humanæ. Et sic de aliis. *Ratio conclusionis est.* Quia malitia ex obiecto & circumstantiis primariè est in actu exteriori, & ex eo redundat in interiorem. Quarè cùm eadem sit exterior operatio, siuè ex ignorantiâ culpabili, siuè ex scientiâ fiat, necesse est, vt suam habeat malitiam, quam ex obiecto & circumstantiis accipit, absque eò, quòd eiusmodi obiecta & circumstantiæ directè intendantur, dummodo volita sint implicitè & indirectè.

Dico secundò. In iis peccatis, quorum malitia consummatur in actu interiori, cuiusmodi sunt odium, inobedientia, inuidia, scandalum, & similia; nunquàm circumstantia tribuit speciem actui, nisi sit directè & explicitè volita. *Hinc est*, vt, quanquàm omne peccatum mortiferum auertat à Deo; is tamen qui mortiferè peccat, non peccet peccato odij, nisi directè intendat peccare ex displicentiâ Dei. Et is, qui delinquit contrà legem principis; tametsi implicitè velit ei non obedire, nō committat speciale peccatū inobedientiæ, nisi præceptū principis expressâ intentione non parendi transgrediatur. Is etiam, qui suâ actione occasionem præbet

ruinę spirituali alterius, non peccet speciali peccato scandali, nisi directè intendat ruinam illius spiritualem. Similiter is, qui accepto beneficio offendit benefactorem suum, non se alliget speciali peccato ingratitudinis, nisi offensa procedat ex contemptu expresso beneficij accepti. Et sic de aliis. *Ratio conclusionis est.* Quia cùm huiusmodi peccata interiùs consummentur, malitia eorum consequitur affectum internum. Vndè esse non potest eadem malitia, nisi idem sit affectus. At non est idem affectus, nisi sit eadem ratio expresè mouens; neque enim eadem voluntas est, quâ directè ferimur in circumstantiam aliquam, & quâ ferimur indirectè; cùm hæc virtualis tantùm, illa verò actualis sit; Ergò nec eadem malitia. Vndè vt circumstantia aliqua peccatis iis peculiarem speciem tribuat, debet esse peculiari & expresso affectu volita. *Ex quibus constat ad rationem dubitandi initio propositam.*

QVAESTIO LXXIV.

De subiecto peccatorum.

DECEM SVNT QVAESTIONIS huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum voluntas sit subiectum peccati?* CONCLVSIO est affirmans. Quia omne peccatum est voluntarium; sed ratio voluntarij primarie est in voluntate: Ergò omne peccatum quatenùs voluntarium, est in voluntate.

ARTICVLO II. *Vtrum sola voluntas sit subiectum peccati?* CONCLVSIO est. Non solùm voluntas, sed omnes etiam illæ potentiæ, quæ moueri possunt à voluntate; sunt subiecta peccati. Tametsi enim omne peccatum, quà voluntarium est, in voluntate resideat; quatenùs tamen actus quidam est debitâ sibi rectitudine priuatus, sedem quoque habet in aliis facultatibus. Sic hæresis, vt est actus erroneus, in intellectu est; vt autem voluntaria, in voluntate.

ARTICVLO III. *Vtrum in sensualitate poßit esse peccatum?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO IV. *Vtrum in sensualitate poßit esse peccatum mortale?* CONCLVSIO est. Peccatum mortale in sensualitate esse non potest.

ARTICVLO V. *Vtrum peccatum poßit esse in ratione?* CONCLVSIO est Quædam peccata sunt in intellectu, tanquàm in subiecto, vt ignorantia, error, hæresis.

ARTICVLO VI. *Vtrum peccatum morosæ delectationis sit in ratione?* CONCLVSIO est. Peccatum morosæ delectationis in ratione est, quandò hæc non reprimit paßionis motum, quem ex iudicio deliberationis animaduertit illicitum, & inordinatum esse.

ARTICVLO VII. *Vtrum peccatum consensus in actum sit in ratione superiori?* CONCLVSIO est. Consensus in delectationem pertinet ad ratione͂ inferiorem; consensus verò in opus ad superiorem.

ARTICVLO VIII. *Vtrum consensus in delectationem sit peccatum mortale?* CONCLVSIO est. Cùm delectatio sequatur naturam sui obiecti, consensus in delectationem de obiecto malo mortaliter, est peccatum mortale.

ARTICVLO IX. *Vtrum in superiori ratione poßit esse peccatum veniale secundum quod est directiua virium inferiorum?* CONCLVSIO est affirmans. Quam probat D. Thomas. Quia consensus in actum peccati pertinet ad rationem superiorem, vt dictum est artic. 7. sed consensus in actum peccati venialis, est peccatum veniale; Ergò in superiori ratione potest esse peccatum veniale.

ARTICVLO X. *Vtrum in ratione superiori poßit esse peccatum veniale secundum seipsum?* CONCLVSIO est affirmans. Quam probat D. Thomas exemplo subiti motus infidelitatis, qui quoniam indeliberatus est, peccatum veniale est.

DISPVTATIO I.

An peccatum poßit esse in solâ sensualitate?

SENSVALITAS, vt notat D. Thom. 1. part. quæ. 81. art. 1. & Scholastici in 2. distin. 24. non est aliud, quàm appetitus sensitiuus, vt fertur in bona sensibilia proprio motu. Hoc est, vt

uetur in proprium obiectum non à voluntate, sed vel ab imaginatione, vel ab aliquâ potentiâ sensitiuâ. Appetitus enim teste Aristotele. 1. Politic. cap. 3. non obedit rationi modo seruili, sed modo politico; quia seipsum mouere potest independenter à voluntate, & huic interdum resistere. *Hinc dubitatur*: An ij motus sensualitatis, vt præueniunt vsum rationis, & independentes sunt à voluntate, sint peccata?

PRIMA SENTENTIA seu error Hæreticorum est; qui volunt omnes concupiscentiæ motus esse peccata mortalia, tametsi iustis ad pœnam non imputentur. *Probant primò* ex illo ad Roman. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legem.* Explicans deindè Apostolus, quod sit hoc peccatum, inquit: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Secundò.* Scriptura iubet nos quotidie à peccatis repurgari, ad Hebr. 11. ad Roman 6. 1. ad Corinth. 5. ad Coloss 3. At cottidiana illa peccata non videntur esse alia, nisi motus concupiscentiæ. *Tertiò.* Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contrà legem DEI. At motus concupiscentiæ sunt contrà legem DEI. *Non concupisces.* Exod. 20. Deuteron. 5. Ergò sunt peccata.

SECVNDA SENTENTIA est Caietani in art. 3. huius quæstionis; qui docet, motus appetitus sensitiui, etiam vt voluntati non subduntur, peccata esse; non quidem mortifera, sed tamen venialia. *Hanc sententiam probat primò* authoritate Diui Thomæ articul. 4. huius loci: Vbi docet in sensualitate posse esse peccatum veniale, non mortale; quod non potest intelligi nisi de sensualitate secundum se spectatâ. Vt enim subest motioni & dominio voluntatis, potest in eâ esse etiam peccatum mortale. *Secundò ratione.* Tametsi enim appetitus sensitiuus secundum se, & vt independens est à voluntate, non habeat tantam libertatem, quanta necessaria est ad peccatum mortale; habet tamen tantam, quanta sufficit ad veniale: Tum quia in appetitu sensitiuo constituuntur virtutes morales, quæ esse non possunt, nisi in potentiâ aliquam habente libertatem: Tum quia id apertè indicant Aristoteles. 1. Politicor. cap. 3. & Diuus Thomas hoc loco articulo primo, cùm docent appetitum sensitiuum obedire voluntati modo politico, qui aliquã videtur requirere libertatẽ.

TERTIA COMMVNIS ET VE-

RA THEOLOGORVM SENTENTIA est: Motus appetitus sensitiui, nisi subijciantur voluntati, nunquàm esse peccata nec mortalia, nec venialia. Ità magno consensu SS. Patres. Augustin. lib. de duabus animabus contrà Manich. cap. 11, & 12. lib. de nupt. & concupisc. cap. 23. Chrysost. homil. 19. ad populum. homil. 17. in Matth. Ambros. in psal. 4. Prosper. lib. 3. de vitâ contemplatiuâ cap. 4. & alij; qui negant motus concupiscentiæ peccata esse sinè consensu voluntatis. *Probatur ratione.* Non potest esse peccatum nisi sit voluntarium, ex Augustin. lib. 2. de libero arbitr. cap. 20. lib. 3. cap. 1. 17. 18. lib. de duab. animab. contrà Manich. cap. 11. 12. & alibi. At motus appetitus sensitiui, qui non subijciuntur voluntati, non sunt vllo modo voluntarij: Ergò nec peccata. Neque verum est, quod affirmat Caietanus, in appetitu sensitiuo esse quandam libertatem sufficientem ad peccatum veniale: Tum quia potentia non potest habere libertatem sufficientem ad peccandum, nisi moueatur à potentiâ cognoscitiuâ, quæ cognoscere possit rationem boni honesti, quod præstare non possunt sensus, à quibus mouetur appetitus sensitiuus: Tum quia appetitus sensitiuus eiusdem rationis est in brutis & hominibus; Vndè si in his haberet libertatem sufficientem ad peccandum, haberet etiam in brutis. Tum quia ij motus etiam in pueris, amentibus & dormientibus essent peccata. *Confirmatur.* Lex DEI non obligat ad impossibile. Matthæi 11. *Iugum meum suaue est.* 1. ad Corinth. 10. *Fidelis DEVS est, non patietur vos tentari suprà id, quod potestis.* 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Concil. Tridentinum sessione 6. capite 11. canone 18. Diuus Hieronymus lib. 3. contrà Pelag. Augustinus libro 2. de peccatorum meritis. capite 3. De naturâ & gratiâ. capite 43. At vitare motus concupiscentiæ, qui præueniunt consensum voluntatis, est impossibile. Ergò ad eos euitandos Lex DEI non obligat, ac proinde non sunt peccata. Vndè vt motus appetitus sensitiui peccata sint, necesse est, vt à voluntate pendeant. Id quod Matth. 5. indicatur iis verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Signanter inquit Euangelista: *In corde suo.* Quia non satis est motus sensualitatis ad pecandum, nisi aliquo

modo à corde, id est, à voluntate pendeat.

Obiicies. I. Hinc sequeretur, motum sensualitatis, quandò peccatum est, tantùm esse peccatum omissionis; quatenùs voluntas eum non reprimit, cùm potest & debet. *Respondeo.* Eiusmodi motū, cùm sit actus positiuus, non posse non esse peccatū cōmissionis; quāuis, vt vel explicitè vel interpretatiuè volitus sit, non habeat nisi à voluntate.

Obiicies II. Hinc etiam sequeretur, eiusmodi peccata non esse in sensualitate, sed potiùs in voluntate. *Respondeo.* Quamuis D. Bonauentura in 2. dist. 24. & Scotus ibid. quæst. 3. ea propriè & formaliter in voluntate ponant; probabilius tamen est, quod docet D. Thomas & Thomistæ, esse in sensualitate. Licet enim motus ij peccata non sint, nisi sint voluntarij; ipsi tamen, cùm adest ratio voluntarij, in se mali sunt & prohibiti. Quare cùm ipsi sint in sensualitate, in hac etiam erunt peccata. Vide August. lib. 6. contrà Iulian. cap. 3. & in psal. 35.

Rogabis. An doctrina hæc promiscuè vera sit, siuè ij motus sint peccata venialia, siuè etiam mortalia? *Respondeo.* Doctrinam hanc vniuersaliter esse intelligendam; quamuis peculiari ratione, cùm sunt peccata venialia, dicantur esse in sensualitate. Quia priusquàm accedat perfecta deliberatio rationis & consensus voluntatis, ipsa sensualitas est principale agens, & seipsam mouet. Quarè cùm antè plenam & perfectam deliberationem eius motus non sint nisi peccata venialia, hęc peculiari ratione tribuuntur sensualitati. Cùm verò adest perfectus consensus voluntatis, quia principale agēs dicitur voluntas, ei tribuuntur concupiscētiæ motus; quarè cùm tunc sint peccata mortalia, hæc peculiari ratione tribuuntur voluntatī. Atque id est, quod voluit D. Thomas art. 4. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad Primum. Concupiscentia eo loco dicitur peccatum non propriè, sed per metonymiam; vel quia effectus est peccati originalis; vel quia caussa est peccati actualis, vt explicat D. Augustin. lib. 1. de nuptijs & concupisc. cap. 23. & Concil. Trident. sess. 5. can. 5. de peccat. originali.

Ad Secundum. Iusti continuò purgari debent; quia ratione concupiscentiæ, quæ semper ad malum allicit; multa etiam sūt in iustis peccata venialia, quæ purganda sunt.

Ad Tertium. Vt actus, qui contrà legem Dei est, peccatum

sit,

ſit, debet eſſe voluntarius, quoniam ſine voluntate nec peccatum eſſe poteſt, nec tranſgreſsio legis. Itaque præcepto illo: *Non concupiſces*, non prohibetur, nè ſentiamus motus concupiſcentiæ, quod ſuprà induſtriam & vires hominis eſſe rectè docet Auguſtinus in lib. de ſpiritu & literâ. cap. vltim. & lib. 2. de nuptiis & concupiſcentiâ capite. 29. ſed nè motibus concupiſcentię conſentiamus, quod in hominis liberâ poteſtate eſt.

Ad Primvm Argvmentvm Secvndæ Sententiæ. D. Thomas art. 1. & 2. & in 2. diſt. 24. quæſt. 3. art. 2. apertè docet, nullum eſſe peccatum ſine voluntate. Quid verò art. 4. velit, ex dictis conſtat. Quo ſcilicet pacto peccatum veniale dicatur peculiariter eſſe in ſenſualitate.

Ad Secvndvm. Ductum à ratione. Negatur in appetitu ſenſitiuo aliquam eſſe libertatem. Dicuntur autem virtutes morales eſſe in eo, prout ſubeſt motioni & libertati voluntatis. Quâ verò ratione dicatur politicè obedire voluntati, conſtat ex initio diſputationis.

DISPVTATIO II.

Vtrum omnes concupiſcentiæ motus ità voluntati ſubijciantur, vt ſint peccata?

PRima Sententia eſt affirmans. Quam aliqui abſolutè veram cenſent, hoc argumento ducti; quia omnes concupiſcentiæ motus ità ſaltem voluntati ſubiiciuntur, vt ſinguli ab eâ præueniri, ac proindè impediri poſſint. Vndè ſi non impediantur, cùm impediri poſſint & debeant, neceſſe eſt, vt ſint voluntarij aliquo modo, & peccata. *Alij* ſententiam hanc limitant ad eos tantùm motus concupiſcentiæ, qui ex imaginatione vel apprehenſione ſurgunt; tales enim exiſtimant impediri poſſe & debere à voluntate. Eos autem qui oriuntur ex complexione naturali, cùm præueniri à voluntate nequeant, fatentur poſſe à culpâ eſſe immunes.

Altera et vera Sententia eſt; multos concupiſcentiæ motus eorum etiam, qui ex appre-

hensione surgunt, inuoluntarios esse; ac proindè sine peccato. *Cum quâ sententiâ.*

DICO I. Motus concupiscentiæ sæpè sunt peccata venialia; vel quia materia leuis est, cum pleno & perfecto consensu voluntatis; vel quia, si grauis sit materia, consensus voluntatis imperfectus est, & sine plenâ deliberatione. *Patet.* Nam eiusmodi motus aliquo modo voluntarij sunt & mali; & propter imperfectionem consensus, vel materiæ leuitatem non sunt peccata mortalia: Ergò venialia.

DICO II. Motus concupiscentiæ sæpè inuoluntarij sunt, ac proindè sine vllo peccato. Est expressa sententia D. Augustini, qui docet hoc motus ità naturales esse, vt pro illis non sit necesse dicere: *Et dimitte nobis debita nostra. Probatur.* Dæmon sæpè illudit imaginationi hominis & sensibus. Quare si ex istâ illusione sequantur motus concupiscentiæ, voluntarij esse non possunt. Ità D. Thom. in 2. distinct. 21. quæst. 1. art. 2. ad 1. & 1. part. quæst. 80. artic. 4. *Adde* Viros sanctissimos sensisse huiusmodi motus concupiscentiæ, vt de se ipso fatetur D. Hieronymus epistolâ ad Eustochium de S. Hilarione in eius vitâ. De S. Antonio Athanasius in eius vitâ. D. Paulus de seipso ad Rom. 7. & 2. ad Corinth. 12. quos non est probabile peccasse. *Ad fundamentum primæ opinionis respondetur.*

HOMO non potest, nec tenetur præcauere, ne eiusmodi motus concupiscentiæ insurgant; Id enim suprà eius industriam & & vires est; Potest tamen & tenetur, postquàm animaduertit insurrexisse, non consentire, eosque ità reprimere & coercere, ne voluntarij fiant & peccata.

DISPVTATIO III.

Vtrum in appetitu possit esse motus primo primus circà materiam peccati mortalis, qui aut non sit peccatum, aut sit peccatum tantùm veniale?

DISTINGVVNT Theologi motus appetitus in primò primos, & secundò primos. Primò primos appellant, qui omnem rationis vsum anteuertunt,

tunt, & ideò voluntarij non sunt; quia antè omnem rationis vsum nihil voluntarium esse potest: Secundò primi ij dicuntur, qui plenam quidem & perfectam deliberationem præueniunt; aliquem tamen & imperfectum rationis vsum consequuntur; vndè fit vt caueri & repelli possint. *Hoc posito.*

Dico I. Motus primo primi, cùm nullo modo sint voluntarij, peccata non sunt. *Ratio est.* Quia omne peccatum debet esse voluntarium.

Dico. II. Motus secundò primi, si sint circà materiam peccati, peccata sunt. *Ratio est.* Quia imperfectè saltem voluntati subiiciuntur, quatenùs imperfectum rationis vsum sequuntur; ac proindè impediri possint & debent; quamobrem nisi impediantur, culpâ vacare non possunt.

Dico III. Motus secundò primi, si sint circà materiam peccati quamuis etiam grauem, leuia peccata & venialia sunt. *Ratio est.* Quia procedunt ex imperfecto rationis vsu.

Rogabis: An eiusmòdi motus secundò primi sint peccata omissionis; an verò commissionis? Scotus & Almaynus volunt esse peccata omissionis; quia ideò tantùm peccata sunt, quoniam præuideri & repelli cùm possent, nec à ratione præuidentur, nec à voluntate repelluntur. Verius tamen est, quod alij sentiunt, esse peccata commissionis. *Ratio est.* Quia sunt actus positiui & mali, quamuis deformitatem moralem non habeant absque tacito saltem & implicito voluntatis consensu.

Disputatio IV.

Vtrum delectatio morosa de aliquâ re illicitâ sit peccatum mortale?

Revocandum hoc loco in memoriam est id, quod sub initium huius partis quæst. 4. articulo 1. diximus; Omnem delectationem ex aliquâ cognitione sequi, siuè hæc intellectus sit, siuè imaginationis, aut alterius sensus. Appellatur autem morosa, non à morâ temporis; sola enim duratio temporis non sufficit, vt delectatio

peccatum sit; sed à morâ plenæ aduertentiæ & considerationis; ità vt delectatio morosa sit eadē, quæ deliberata. Et quoniam deliberatio rationis momēto temporis absolui potest, ideò delectatio morosa tota potest in momento temporis consistere. Res enim per notitiam proposita & obiecta voluntati, vno temporis puncto placere potest, eiusque iucunditatem voluntas amplecti & acceptare. Quanquam frequentiùs delectatio soleat cum aliquâ etiam temporis morâ esse coniuncta. *Dubitatur igitur*, An eiusmodi delectatio, quæ ex re illicitâ & mortaliter malâ capitur, sit peccatum mortale? Nam si capiatur de re malâ, quæ tantùm habeat deformitatem peccati venialis, certum est, non esse nisi peccatum veniale.

Commvnis Theologorvm Sententia est: Delectationem morosam de opere illicito & mortali, esse peccatum mortale. Ità docent D. Thomas, Conradus, Caietanus & recentiores Thomistæ hoc loco, art. 8. Bonauent. in 2. distinct. 24. 2. part. distinct. art. 2, quæst. 2. Richard. artic. 4. quæst. 4. Dionys. Carthusian. quæst. 6. Scotus in 2. distin. 42. §. *Sequitur secundum*. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 13. artic. 3. dub. 3. Alexand. 2. part. qu. 109. memb. 11. Gerson Alphab. 38. lit. D. Antonin. 2. part. text. 5. cap. 1. §. 5. Syluester Verb. *Delectatio*. quæst. 1. Petrus de Soto lib. de institut Sacerdot. tractatu de discrimine peccatorum lect. 9. Medina Codice de restitut. quæst. 21. Nauarrus in summâ, cap. 16. num. 9. Durand. in 2. distin. 24. *Pro cuius explicatione*.

Notandvm est I. Duplicem esse affectum voluntatis: *Alter est*, quo volumus reipsâ consequi id, quod delectat, aut fugere, quod displicet; & hic dicitur affectus efficax: *Alter* verò consistit in simplici complacentiâ aut displicentiâ rei absque desiderio executionis. De priori & efficaci voluntate fatentur omnes eiusdem omninò malitiæ esse, cuius est opus ipsum, in quod fertur. Præsens dubitatio est de affectu simplicis delectationis & complacentiæ.

Notandvm II. Delectationem posse esse vel de ipso opere malo apprehenso, quando scilicet res ipsa cogitata delectat; vel de cogitatione mali operis; quandò scilicet cogitatio ipsa est obiectum, in quod delectatio fertur. Quas delectationes inter se distingui ex eo apparet; Fieri enim potest, vt cogitatio ipsa delectet; quia arguta, noua, subtilis,

inge-

ingeniosa & ad multas difficultates soluendas solerter inuenta sit, etiamsi res cogitata ob turpitudinem, aliasuè rationes malitię summoperè displiceat. Ità indicant apertè D. Thomas hoc loco art. 8. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 13. art. 3. & Doctores communiter. *His positis:*

Dico. I. Delectatio de solâ cogitatione operis mali non est per se mala. Ità D. Thomas hoc loco, & quæst. 15. de veritate. art. 4. *[illegible]tio est.* Quia cogitatio illa de [illegible]re malo non est mala: Ergò nec delectatio, quæ ex illâ capitur. *Antecedens probatur.* Tametsi enim malum sit appetere opus malum, non tamen malum est de eo cogitare; quia etiam cogitatio mali bona est, vt quæ in Deo reperitur, in quo quicquid est, necessariò bonum est. *Deindè,* quia fieri potest, vt aliquis teneatur cogitare de opere malo; vt cui ex officio incumbit docere, concionari, excipere confessiones: At nemo tenetur ad malum. *Consequentia patet.* Quia delectatio sequitur naturam operationis, ex quâ capitur, vt constat ex Aristotele. 1. Ethic. cap. 8. & 10. Ethic. cap. 4. & D. Thomâ. quæst. 15. de verit. art. 4. Ergò si hæc est bona, delectatio etiam erit bona. Dixi, *per se.* Quia per accidens potest etiam interdum esse mala, vel venialiter, si sit otiosa; vel etiam mortaliter, si sit periculum consentiendi in opus cogitatum, quod ex se mortale est.

Dico. II. Delectatio de opere cogitato, quod ex se peccatum mortale est, mala est & peccatum mortale. Et quidem si quis ità delectetur de opere cogitato, vt illud reipsâ etiam velit exequi, dubitatio esse non potest. Quia de fide est, non solùm opera externa esse peccata mortalia, sed etiam interna Sin verò delectetur de opere cogitato ità, vt nolit opus ipsum malum reipsâ exercere, sed tantùm delectari de eo velit, assertio nostra ità certa est, vt opposita errore non careat. Est enim communis doctrina Theologorum & SS. Patrum. Legi possunt Chrysostom. homil. 17. in Matth. explanans illud Matth. 5. *Audistis, quia dictum est.* &c. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 39. Bernardus lib. de interiori homine cap. 40. Augustin. lib. 12. de Trinitate. cap. 12. ab illis verbis. *Absit hoc credere. Hic quippè vna persona est, &c.* Ratio D. Thomæ est. Nam qui delectatur de opere malo cogitato, necessariò est affectus ergà opus illud malum; affectus autem ergà peccatum mortale, non potest non esse peccatum mortale.

Obiicies. Affici in opus malum, vt est in re, esse malum; non autem vt est in solâ cogitatione. *Respondeo.* Cùm idem sit opus, quod est in cogitatione, & quod est in re; & tantùm differant in modo essendi; delectatio autem non capiatur de modo essendi, sed de ipsomet opere, quod placet; si affectus in opus malum, vt est in re, malus est, etiam malus erit affectus in opus malum, vt est in cogitatione. *Quæ doctrina vt planiùs explicetur, sit:*

Dispvtatio V.

Quodnam debeat esse obiectum delectationis morosæ, vt sit peccatum mortale?

Prima Sententia est: Delectationem morosam tunc esse peccatum mortale, cùm est de obiecto seu opere vetito iure naturæ, non autem si vetitum sit tantùm lege positiuâ humanâ. *Fundamentum huius sententiæ est.* Quia quæ sunt contrà ius naturæ, sunt intrinsecè mala, ideò de illis delectari non possumus, nisi vt mala sunt, quod est peccatum mortale: Ea autem, quæ sunt contrà ius positiuum, non sunt intrinsecè mala; ideò si considerentur secundum suam naturam, quo modo mala non sunt, de iis delectari malum non est.

Secvnda sententia est, omnem delectationem de re prohibitâ sub peccato mortali, quacunque lege prohibeatur esse peccatum lethale. *Fundamentum est.* Quia peccata specificantur ab obiectis: Ergò si obiectum delectationis morosæ sit peccatum mortale, etiam ipsa delectatio erit peccatum mortale. *Pro resolutione difficultatis.*

Notandvm est I. Inter voluntatem efficacem, & voluntatem simplicis complacentiæ discrimen esse, quòd illa ità ordinetur ad opus, vt nisi vel timore, vel simili aliquâ caussâ impediatur, ad eius executionem reipsâ progressura sit; hæc verò in solâ operis delectatione sistat, sine desiderio eius efficiendi; vt accidit, cùm quis delectatur de opere præterito, vel de opere personę alterius. *Hinc* constat voluntatem simplicis complacentiæ inter eos actus esse collocandam, qui interiùs consummantur; efficacem verò inter eos, qui

ope

opere externo perficiuntur; de quo actuum discrimine suprà actum est.

Notandvm II. Ex hac differentiâ inter voluntatem efficacem seu rei faciendæ, & voluntatem simplicis complacentiæ seu delectationis, nasci, vt voluntas efficax malitiam sumat ab actu seu opere externo eiusque circumstantijs, siuè directè intendantur, siuè indirectè tantùm & implicitè, vt suprà vidimus; Voluntas verò simplicis complacentiæ seu delectationis non nisi volitæ sint directè & explicitè. Hac enim voluntate nolumus actum exteriorem existere; ac proindè non censemur velle omnes eius circumstantias, quas habet à parte rei, nisi eas directè intendamus; sed solùm de actu illo delectamur sub eo motiuo, quo nobis placet. Et quia fieri potest, vt nobis placeat iuxtà vnum motiuum, non verò iuxtà aliud; fit vt delectatio sumi poßit de aliquo actu iuxtà vnum motiuum, & non iuxtà aliud. Ex quo dignoscendum est, an & quandò delectatio morosa bona aut mala sit? *His positis:*

Dico. I. Iudicium de bonitate vel malitiâ delectationis morosæ ex actu, de quo capitur, præcisè ferri non potest. *Ratio est.* Nam fieri potest, vt actus aliquis malus non sit, & tamen delectatio de eo mala sit; itemque vt actus malus sit, delectatio verò de eo non mala. Ergò bonitas & malitia delectationis morosæ ex actu, de quo capitur, præcisè iudicari non potest. *Prima pars* antecedentis patet exemplo virginis, quæ vim & coactionem patitur; cuius pollutio, cùm non sit voluntaria, peccatũ non est, & tamen delectatio de ea peccatum est. *Secũda etiam pars constat.* Quia delectatio de bello iniusto, de duello, & similibus actibus potest sub aliquo motiuo, quatenùs scilicet mirâ quadam dexteritate, raro artificio, nouâ inuentione exercentur, immunis esse à peccato mortali; & tamen ij actus sunt peccata mortalia.

Obiicies. Hoc repugnare dictis superiore disputatione, vbi cum D. Thomâ & communi Theologorum sententiâ asseruimus, delectari de opere, quod peccatum mortale est, mortale peccatum esse. *Respondeo*; sensum assertionis illius declarabit assertio subsequens.

Dico. II. Vt cognoscamus, An delectatio sit peccatũ, & an mortale vel veniale sit, non tam considerandum est opus ipsum, de quo capitur delectatio, quàm motiuum, sub quo capitur. *Ratio assertionis est.* Nam opus ipsum

materiale eſt, quod delectat; motiuum verò ratio formalis, à quâ ſpecificari ſolent peccata, præſertim quæ conſummantur in actu interiori. Quarè cùm delectatio ſit actus, qui interiùs conſummatur, neceſſe eſt, vt malitiam ſumat à motiuo, ſub quo obiectum placet. Quo fit, vt delectatio de peccato mortali quocunque. quatenùs contrà DEVM eſt, peccatum mortale ſit; quia eſt ex motiuo odij DEI. Item delectatio de peccato mortali; quatenùs eſt contrà legem & præceptum ſuperioris, peccatum mortale eſt; quià eſt ex affectu & motiuo inobedientiæ. Item delectatio de morte alterius, vt de malo illius, peccatum mortale eſt; quia eſt ex motiuo odij & diſplicentiæ perſonæ; Et ſic de aliis. Quamobrem vniuerſaliter concludendum eſt, delectationem non ſumere ſuam malitiam ab opere externo quomodocunque conſiderato; ſed à motiuo, ſub quo opus externum affert delectationem. *Ex hac doctrinâ multa, quæ ad praxin & vſum quotidianum faciunt, colliguntur.*

COLLIGITVR I. Delectari de morte proximi cogitatâ, non eâ ratione, quâ eſt malum proximi; ſed ratione alicuius vtilitatis vel commodi, cum quo coniuncta eſt, non eſſe peccatum mortale; quia motiuum non eſt peccati mortalis.

COLLIGITVR II. Delectari de homicidiis, quæ contingunt in bello iniuſto vel ſingulari certamine propter aliquem bonum finem, & non ex diſplicentiâ perſonarum, non eſſe peccatum mortale. Quia motiuum huius delectationis non eſt malum. Et ſic de aliis.

COLLIGITVR III. Delectationem de obſcænis oſculis, tactibus, aliiſque actionibus venereis, ſemper eſſe peccatum mortale. *Ratio eſt.* Quia motiuum, ſub quo actus ij afferunt delectationem, ex ſe repugnat virtuti temperantiæ; Ergò delectatio etiam, quæ ſub motiuo illo capitur, repugnat virtuti temperantiæ; ac proindè peccatum mortale eſt. Et hæc fortè cauſſa fuit, vt aliqui exiſtimarent, delectationem de re prohibitâ iure naturali, vt eſt res venerea, eſſe malam; non autem de re prohibitâ iure poſitiuo; cuiuſmodi eſt eſus carnium in die prohibitâ. Id tamen vniuersè verum non eſt: vt patet exemplo furti, homicidij & ſimilium, de quibus tametſi iure naturali prohibitis, licet tamen delectari ob bonum aliquem finem, vt ex dictis conſtat.

COLLIGITVR IV. Curis, qui tenetur voto caſtitatis, ſi dele-

ctetur de re venereâ, peccet contrà votum castitatis; non autem peccet contrà votum, qui delectatur de esu carnium, quibus non vescendi voto se obligauit. Is enim, qui vouet se non comesturũ carnes, solùm vouet abstinentiam ab actu externo; ideò si de esu carnium tantummodò delectetur, non peccat contrà votum. At is, qui vouet absolutè castitatem, voto suo comprehendit etiam interiores delectationes; quoniam motiuum earum ex se immoderatum est, & repugnans castitati, quam vouit; ideò si delectetur de re venereâ, peccat contrà votum.

Colligitvr. V. Quoties motiuum, ratione cuius capitur delectatio de opere cogitato, deformitatem habet peccati mortalis, delectationem esse peccatum mortale; si verò deformitatem habet peccati tantùm venialis, delectationem esse peccatum veniale. *Ratio est.* Quia delectatio specificatur à motiuo; quarè ab eo sumere debet suam malitiam, & malitiæ mensuram

Colligitvr Vltimò. Id quod de delectatione ex opere malo cogitato dictum est, etiam de displicentiâ operũ bonorum, quandò ea sub præceptum cadunt, sentiendum esse. Semper enim attendendum motiuum est, ob quod displicent; & iuxtà eius rationem ferendum de displicentiæ qualitate iudicium.

Ad Fvndamentvm Primæ Sententiæ constat ex primâ assertione.

Ad Secvndæ Sententiæ fundamentum respondetur. Peccata specificari ex obiecto formali, non materiali; ideoque si motiuum, sub quo capitur delectatio sit peccati mortalis, etiam ipsa delectatio peccatum mortale est.

DISPVTATIO VI.

Vtrum si vidua delectetur de actu coniugij præterito, vel sponsa de futuro, peccet mortaliter?

Negant Palvdanvs, in 4. dist. 9. quæst. 3. art. 1. num. 9. & Angelius in summa. verb. *Cogitatio* num. 2. Cæteri & communiter affirmant. *Pro cuius resolutione controuersiæ.*

Præmitto, quod suprà monui in delectatione morosâ, vt quę affectu interiori consumma-

tur, non tam ad ſubſtantiam operis, quod delectat; quàm ad motiuum, ſub quo delectat, reſpiciendum eſſe, vt rectum de eâ feratur iudicium. Porrò triplex in actu coniugij præterito vel futuro ratio mouens ad delectationem ſeu bonitas apprehendi poteſt. Primò enim conſiderari poteſt vt actus matrimonij honeſtus. Secundò vt cauſſa alicuius commodi & vtilitatis. Tertiò vt voluptuarius & tactui conueniens. *Quo poſito:*

DICO PRIMÒ. Delectatio, quam vidua capit de actu coniugij præterito, vel ſponſa de futuro, vt delectabili & tactui conueniente, quibuſcunque circumſtantijs veſtiatur, peccatum mortale eſt. *Ratio eſt* Nam motiuum huius delectationis, nempè voluptas ſenſualis extrà ſtatum matrimonij, ità caſtitati repugnat, vt ſit obiectum formale peccati mortalis: Ergò etiam delectatio, quam in viduâ & ſponsâ, vtpotè extrà ſtatum matrimonij conſtitutis, mouet, ità caſtitati aduerſatur, vt excuſari à peccato mortali nequeat.

OBIICIES. Obiectum huius delectationis non eſt malum. Nam & præteritus coniugij actus fuit licitus, & futurus erit licitus: Ergò neque delectatio de ijs poteſt eſſe mala. *Reſpondeo.* Delectatio non ſumit malitiam ſuam ab actu externo, ſed à motiuo ſub quo actus exterior delectat; & quia motiuum iſtud, ſoluto aut nondum conſtante matrimonio, malum eſt; ideò ipſa etiam delectatio mala eſt.

DICO SECVNDÒ. Delectatio de actu coniugij præterito vel futuro, quatenùs in eo apprehenditur aliqua ratio honeſti aut vtilis, vt quia cauſſa fuit vel erit vitandæ fornicationis, ſuſcipiendæ prolis &c. licita & bona eſt. *Ratio eſt.* Quia motiuum huius delectationis licitum eſt & bonum.

QVÆRES. Quid ſentiendum ſit de delectatione ſenſuali, quam coniuges conſtante matrimonio capiunt extrà copulam, de copulâ coniugali cogitatâ? Nauarrus in ſummâ cap. 16. exiſtimat non minùs illicitam, & peccatum mortale eſſe, quàm in viduâ & ſponsâ. Communis tamen & vera ſententia eſt, non eſſe peccatum mortale, niſi periculum ſit pollutionis. *Ratio eſt.* Quia nec copula ipſa, quæ delectat, nec motiuum ſub quo delectat, nempè voluptas ſenſualis inter coniuges, conſtante matrimonio, peccatum mortale eſt; Ergò nec delectatio de tali copulâ. Tametſi eam à culpâ veniali non excuſem; vt quæ

debito

debito fine, ad quem actus coniugalis à naturâ ipsâ dirigitur, careat; nempè bono prolis per copulam coniugalem intento. Legi potest Sanchez. lib. 9 de Matrimonio disp. 44. à num. 3.

DISPVTATIO VII.

Vtrum delectatio de opere, quod aliàs peccatum mortale est, à peccato tamen ob ignorantiam inuincibilem excusatur, sit peccatum mortale?

CONTROVERSIAM HANC, cuius resolutio ex antecedentibus pendet, quatuor assertionibus breuiter expediam.

DICO PRIMÒ. Delectatio de opere excusato à culpâ lethali, si sub motiuo peccati mortalis capiatur, peccatum mortale est. Sic is, qui ex displicentiâ personæ delectatur de homicidio in ebrietate commisso, peccat mortaliter. Idem sentiendum est de eo, qui ob sensualitatem delectatur de pollutione præteritâ in somno. Et sic de aliis. *Ratio est.* Quia delectatio malitiam suam trahit à motiuo, vt ex dictis constat.

DICO SECVNDÒ. Non licet velle efficaciter aut procurare eiusmodi actum, qui, nisi propter ignorantiam aut defectum libertatis excusaretur, peccatum mortale esset; ceu sunt pollutio in somno, homicidium in ebrietate, & similes. *Ratio est.* Quia voluntas efficax sumit suam malitiam ab actu externo: Quarè si hic mortalis est, tametsi ob ignorationem aut defectum libertatis excusetur, etiam voluntas eius efficax peccatum erit. Nam ratio, quæ excusat actum externum à peccato, non excusat voluntatem eius efficacem; vt quæ scienter & liberè suscipitur. Idem de procuratione talium actuum, quæ non fit sinè voluntate efficaci, sentiendum est.

DICO TERTIÒ. Licet delectari de eiusmodi aliquo opere ob bonum aliquem finem, aut vtilitatem ex eo prouenientem. *Ratio est.* Quia licet ob bonum finem delectari de aliquâ actione, quæ reuerà peccatum est, vt suprà vidimus: Ergò multò magis de actione, quæ excusatur à peccato.

Dico qvarto. Licet etiam voluntate ſimplicis complacentiæ deſiderare eiuſmodi opus ob bonum aliquem finem. *Ratio eſt.* Quia affectus ſimplicis complacentiæ non ſumit ſuam malitiam ab actu externo, ſed à motiuo, vt ſæpè dictum eſt: Id ergò ſi eſt licitum, etiam deſiderium ſimplicis complacentiæ erit licitum.

Obiicies cum Medina. Non licet eiuſmodi actus procurare: Ergò nec deſiderare. *Reſpondeo* negando conſequentiam. Nam & mortem propriam deſiderare licet ob bonum aliquem finem, quam tamen procurare nullo fine licet. *Ratio diſcriminis eſt.* Procuratio ſumit malitiam ſuam ab actu externo; quarè ſi hic malus eſt, etiam procurare illum malum erit. At verò deſiderium ſimplicis complacentiæ, non ſumit ſuam malitiam ab actu externo, ſed à motiuo, vt dictum eſt.

Obiicies II. Delectari de pollutione ſecundum ſe eſt malum: Ergò delectari de eâ ob quemcunque finem erit malum. Nam quę ſecundum ſe mala ſunt, nullo bono fine honeſtari poſſunt. *Reſpondeo.* Natura delectationis, vt quæ interiori voluntatis actu conſummatur, ex motiuo ſeu fine, tanquàm formali obiecto ſuo, æſtimanda eſt. Vndè ſi ratio mouens ad delectationem, ſeu finis malus eſt, delectatio ſecundum ſe mala erit; ſin verò licitus & bonus, delectatio non erit ſecundum ſe mala & illicita. Diuerſa ratio actuum exteriorum eſt, qui ſi ſecundum ſe, hoc eſt, ex obiecto ſuo mali ſint, nullo fine accedente, quantumuis bono, honeſtari poſſunt. Quæ omnia ex ſuprà dictis conſtant.

DISPVTATIO VIII.

Qualis deliberatio requiratur, vt delectatio moroſa, aut quicunque motus voluntatis, peccatum mortale ſit?

Tria præcipuè ſunt, ex quibus æſtimari malitia motuum voluntatis debet. Deformitas obiecti: Conſideratio rationis: Et conſenſus voluntatis. De primo dictum hactenùs eſt; De duobus reliquis ſubindè etiam dicendum eſt. Et primùm quidem de ſecundo, qualis videlicet

licet deliberatio ex parte intellectus necessaria sit, vt motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit?

Prima Sententia est eorum, qui existimant sufficere deliberationem implicitam & virtualem; quæ tunc est, cùm ratio actu non considerauit id, de quo voluntas delectatur, malum esse, poterat tamen & debebat considerare. Ità Gerson Alphabeto 33. littera H. & Alphabeto. 24. *Probatur hæc sententia primò.* Vt opera externa sint peccata mortalia, satis est consideratio implicita & virtualis; nam si requireretur explicita, multi ab innumeris peccatis, quæ sine tali consideratione perpetrant, excusarentur. Ergò ad interiores etiam motus voluntatis, vt sint peccata mortifera, satis erit consideratio implicita & virtualis. *Secundò.* Aliàs quippe mortaliter nemo peccaret, nisi actu consideraret id, quod designat & facit, peccatum mortale esse. Hoc autem absurdum esse ex eo constat, quòd multi peccent mortaliter, qui quid sit peccatum mortale, aut in quo differat à veniali prorsùs ignorant.

Altera communis et vera sententia est; Vt delectatio aut motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit, necesse esse, vt formalis & expressa malitiæ consideratio antecesserit. Ità docent Alexander 2. part. quæst. 108. memb. 7. & 11. Bonauent. in 2. dist. 29. Albertus ead. dist. art. 13. Henric. quodlib. 6. quæst. 32. Angelus. Verb. *Cogitatio.* num. 2. Syluester Verb. *Delectatio.* quæst. 1. part. 4. Caietan. 2. 2. quæst. 88. art. 1. & in summâ. Verb. *Delectatio.* Armilla ibid. n. 1. Almayn. tract. 3. moral. cap. 24. D. Thomas 15. de verit. art. 4. ad 10. Petrus Sotus lib. de Institut. Sacerdotum, lect. 10. de discrimine peccatorum. Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 2 num. 5. & alij. *Probatur ratione generali.* Nam sine aduertentiâ rationis peccatum esse nō potest; quæ si imperfecta sit, vt si mens aut vehementi aliquâ passione; aut aliis modis ità impediatur & distrahatur, vt moraliter censeri possit caruisse facultate ad rem, de quâ delectatur, eiusque malitiam & turpitudinem sufficienter cognoscendam; motus voluntatis seu delectatio peccatum veniale erit; si verò perfecta sit aduertentia rationis, vt si plenè & planè intelligas id, quod agis, esse malum & illicitum; motus voluntatis seu delectatio morosa erit peccatum mortiferum. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primvm. Si desit formalis

& explicita aduertentia rationis; neque actus exterior, neq; interior peccatum mortale est. Tametsi rariùs inconsideratio hęc circà actus exteriores, quàm circà interiores eueniat.

Ad Secvndvm. Vt aliqua operatio peccatum mortale sit, necesse non est cognoscere discrimen inter mortale, & veniale; sed satis est plena & perfecta animaduertentia rei illicitæ & malæ. Qui enim cum hac cogitatione operatur, saltem se exponit pericu'o peccandi mortaliter, quod est peccatum mortale.

Dispvtatio IX.

Qualis consensus voluntatis requiratur, vt delectatio morosa, aut quicunq; motus appetitus peccatum mortale sit?

Consensvs volvntatis dvplex est: *Alter* expressus & formalis, quandò scilicet voluntas actu positiuo cōsentit. *Alter* tacitus & interpretatiuus; quandò voluntas actu quidem nec consentit nec dissentit, censetur tamen cōsentire ideò, quia cùm delectationem aut motum aliquem, planè ab intellectu animaduersum, sibique propositum & præsentatum vt illicitum, possit reprimere & coërcere, non reprimit aut refrænat. Quæritur ergò, vter ex his consensibus voluntatis ad peccatum mortale sufficiat, aut necessarius sit?

Prima Sententia est: Ad peccatum mortale non sufficere consensum interpretatiuum, sed necesse esse vt voluntas expresse & positiue consentiat, aut saltem sit periculum consensus expressi & positiui. Itaque iuxtà hanc sententiam excitatâ in appetitu delectatione turpi & obscœnâ, si ea voluntati placeat, erit peccatum mortale; si non placeat, tunc aut periculum est consensus in eam expressi & formalis; & sic nisi delectationem comprimat & repudiet, peccabit mortaliter; aut nullum imminet periculum consensus, & sic, tametsi in eâ perseueret, non tamen contrahit noxam peccati grauis & mortiferi. Ità docuerunt Angelus. Verbo. *Cogitatio.* nu. 2. Syluester Verb. *Delectatio morosa.*

§. magna tamen. Armilla Verb. *Cogitatio: n.* 13. Nauarr. in summâ. cap. 16. n. 9.

Secvnda et probabilior Sententia est: Vt delectatio aliqua aut motus appetitus, plenè à ratione animaduersus & obseruatus, peccatum mortale sit, sufficere consensum voluntatis tacitum & interpretatiuum. Ità D. Thomas hoc loco. art 6. Vbi voluntatem duplici modo peccare ait; Vel si illicitas passiones, imperet; Vel si easdem, cùm potest, non reprimat. Et alij communiter. *Ratio est.* Quia talis motus & delectatio illicita, & contrà castitatem est Ergò si voluntaria sit, peccatum mortale est: Eo ipso autem quòd reprimi potest & debet, nec tamen reprimitur, censetur voluntaria: Ergò. *Confirmatur.* Quia in aliis etiam peccatis sufficit ad mortale consensus interpretatiuus. Ergò etiam in istis.

Hinc Colligitvr. Eum, qui dat operam rei honestæ & licitæ, aut tali, ad quam peragendam ex officio obligatur, non peccare mortaliter, si surgentes indè in appetitu sensitiuo motus & delectationes non repellat, dummodò absit periculum consensus. Ità passim tradunt Doctores, confessarium non teneri vitare aut deserere functionem suam, nec studiosum studia sua, etiamsi indè eueniat, vt eiusmodi motus aut delectationes sentiant. *Ratio est.* Quia huiusmodi motus in iis casibus nec expresè, nec interpretatiuè voliti sunt, cùm non teneamur vitare actionem honestam & & debitam, vndè sequuntur. Vt enim sequantur, non indè prouenit, quia actio honesta & legitima, sit caussa per se eorum; sed solùm ex miseriâ naturæ per peccatum originale contractâ, quæ non est culpa sed pœna. Legi possunt Nauarr. loco allegato & Caietanus opuscul. 22.

Dixi: Si absit periculum consensus. Nam si moraliter censeatur periculum subesse, ita vt non confidat se fore satis firmum, tenetur potiùs actionem suam deserere. Non enim licet ob vllam caussam periculo peccandi se exponere, iuxtà illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

QVAESTIO LXXV.

De caußis peccatorum in generali.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum peccatum habeat caußam?* CONCLVSIO est. Cùm duo sint in peccato, actus & deformitas; voluntas carens directione regulæ caussat actum peccati per se, deformitatem verò per accidens.

ARTICVLO II. *Vtrum peccatum habeat caußam interiorem?* CONCLVSIO est. Duplex caussa interior peccati, hoc est, intra ipsum qui peccat, assignari potest. Vna proxima & immediata, nempè intellectus & voluntas: Altera remota & mediata, videlicet sensus & appetitus.

ARTICVLO III. *Vtrum peccatum habeat caußam exteriorem?* CONCLVSIO est. Caussa exterior mouens ad peccatum imperfectè possunt esse Dæmon, homo, & sensibilia externa; caussa verò sufficienter peccatum complens sola est voluntas.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccatum sit caußa peccati?* CONCLVSIO est. Potest vnum peccatum alterius peccati caussa esse secundum quoduis caussæ genus; sicut vnus actus humanus potest esse caussa alterius.

QVAESTIO LXXVI.

De caußis peccati in specie, & primò de ignorantiâ.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum ignorantia poßit esse caußa peccati?* CONCLVSIO est. Ignorantia remouens scientiam, quæ alias peccatum prohiberet, dicitur caussa peccati: quæ verò scientiam non remouet, quæ aliàs peccatum impediret, non est caussa peccati.

ARTICVLO II. *Vtrum ignorantia sit peccatum?* CONCLVSIO est. Ignorantia vincibilis earum

rerum,

rerum, quas quis scire tenetur peccatum est.

ARTICVLO III. *Vtrum Ignorantia excuset ex toto à peccato?* CONCLVSIO est. Ignorantia comitans, quæ non est caussa actus, non excusat à peccato; Ignorantia verò antecedens, quæ est caussa actus, excusat à peccato.

ARTICVLO IV. *Vtrum ignorantia diminuat peccatum?* CONCLVSIO est. Ignorantia vincibilis affectata non minuit, sed auget peccatum: Ignorantia verò non affectata, sed crassa & supina minuit peccatum.

DISPVTATIO I.

Vtrum ignorantia sit caussa peccati?

AD planiorem huius & subsequentium controuersiarum explicationem quædam de acceptione & diuisionibus ignorantiæ præmittenda sunt.

IGNORANTIA *primò* & latè sumitur pro negatione cuiuscunque notitiæ, etiam earum rerum, quæ sciri ab aliquo non possunt. Ità dicere solemus infantes nasci cum ignorantiâ. Hanc ignorantiam appellat D. Thomas art. 2. Nescientiam. Eamq; Dionysius 7. de cœlesti Hierarch. sub medium, & 6. de Ecclesiast. Hierarc. fatetur in Angelis esse, qui cùm multa ignorent, quæ scire non possunt, nescire potiùs, quàm ignorare ea dicuntur. *Secundò* & propriè ignorantia dicitur earum rerum esse, quæ cùm sciri & cognosci possint; reipsâ tamen non sciuntur & cognoscuntur, vt ibidem tradit D. Thomas.

ITA accepta Ignorantia variè diuiditur.

PRIMÒ In ignoranriam prauæ dispositionis; & Ignorantiam puræ priuationis. Ignorantia prauæ dispositionis est, error intellectus veritati contrarius. Vt cùm quis iudicat rem aliter esse, quàm est. Ignorantia verò puræ priuationis, non est cum iudicio aliquo erroneo; sed est mera ac nuda priuatio scientiæ. Vt si quis careat notitia alicuius rei, quam nosse potuit & debuit.

SECVNDÒ diuiditur Ignorantia in eam, quæ dicitur Ignorantia iuris; & eam quæ dicitur Ignorantia facti. Iuris est, cùm ignoratur lex, vel aliquid præceptum esse aut prohibitum. Vt si aliquis ineat contractum cum homine prodigo minorenni, aut furioso, ignorans eiusmodi conrractum iure prohiberi. Facti est, cùm ignoratur res ipsa, quę legi aut pro-

materiale est, quod delectat; motiuum verò ratio formalis, à quâ specificari solent peccata, præsertim quæ consummantur in actu interiori. Quarè cùm delectatio sit actus, qui interiùs consummatur, necesse est, vt malitiam sumat à motiuo, sub quo obiectum placet. Quo fit, vt delectatio de peccato mortali quocunque, quatenùs contrà DEVM est, peccatum mortale sit; quia est ex motiuo odij DEI. Item delectatio de peccato mortali; quatenùs est contrà legem & præceptum superioris, peccatum mortale est; quià est ex affectu & motiuo inobedientiæ. Item delectatio de morte alterius, vt de malo illius, peccatum mortale est; quia est ex motiuo odij & displicentiæ personæ; Et sic de aliis. Quamobrem vniuersaliter concludendum est, delectationem non sumere suam malitiam ab opere externo quomodocunque considerato; sed à motiuo, sub quo opus externum affert delectationem. *Ex hac doctrinâ multa, quæ ad praxin & vsum quotidianum faciunt, colliguntur.*

COLLIGITVR I. Delectari de morte proximi cogitatâ, non eâ ratione, quâ est malum proximi; sed ratione alicuius vtilitatis vel commodi, cum quo coniuncta est, non esse peccatum mortale; quia motiuum non est peccati mortalis.

COLLIGITVR II. Delectari de homicidiis, quæ contingunt in bello iniusto vel singulari certamine propter aliquem bonum finem, & non ex displicentiâ personarum, non esse peccatum mortale. Quia motiuum huius delectationis non est malum. Et sic de aliis.

COLLIGITVR III. Delectationem de obscænis osculis, tactibus, aliisque actionibus venereis, semper esse peccatum mortale. *Ratio est.* Quia motiuum, sub quo actus ij afferunt delectationem, ex se repugnat virtuti temperantiæ; Ergò delectatio etiam, quæ sub motiuo illo capitur, repugnat virtuti temperantiæ; ac proindè peccatum mortale est. Et hæc fortè caussa fuit, vt aliqui existimarent, delectationem de re prohibitâ iure naturali, vt est res venerea, esse malam; non autem de re prohibitâ iure positiuo; cuiusmodi est esus carnium in die prohibitâ. Id tamen vniuersè verum non est: vt patet exemplo furti, homicidij & similium, de quibus tametsi iure naturali prohibitis, licet tamen delectari ob bonum aliquem finem, vt ex dictis constat.

COLLIGITVR IV. Curis, qui tenetur voto castitatis, si delectetur

ctetur de re venereâ, peccet contrà votum castitatis; non autem peccet contrà votum, qui delectatur de esu carnium, quibus non vescendi voto se obligauit. Is enim, qui vouet se non comesturũ carnes, solùm vouet abstinentiam ab actu externo; ideò si de esu carnium tantummodò delectetur, non peccat contrà votum. At is, qui vouet absolutè castitatem, voto suo comprehendit etiam interiores delectationes; quoniam motiuum earum ex se immoderatum est, & repugnans castitati, quam vouit; ideò si delectetur de re venereâ, peccat contrà votum.

Colligitvr. V. Quoties motiuum, ratione cuius capitur delectatio de opere cogitato, deformitatem habet peccati mortalis, delectationem esse peccatum mortale; si verò deformitatem habet peccati tantùm venialis, delectationem esse peccatum veniale. *Ratio est.* Quia delectatio specificatur à motiuo; quarè ab eo sumere debet suam malitiam, & malitiæ mensuram

Colligitvr Vltimò. Id quod de delectatione ex opere malo cogitato dictum est, etiam de displicentiâ operũ bonorum, quandò ea sub præceptum cadunt, sentiendum esse. Semper enim attendendum motiuum est, ob quod displicent; & iuxtà eius rationem ferendum de displicentiæ qualitate iudicium.

Ad Fvndamentvm Primæ Sententiæ constat ex primâ assertione.

Ad Secvndæ Sententiæ fundamentum respondetur. Peccata specificari ex obiecto formali, non materiali; ideoque si motiuum, sub quo capitur delectatio sit peccati mortalis, etiam ipsa delectatio peccatum mortale est.

DISPVTATIO VI.

Vtrum si vidua delectetur de actu coniugij præterito, vel sponsa de futuro peccet mortaliter?

Negant Palvdanvs. in 4. dist. 9. quæst. 3. art. 1. num. 9. & Angelus in summa. verb. *Cogitatio* num. 2. Cæteri & communiter affirmant. *Pro cuius resolutione controuersiæ.*

Præmitto, quod suprà monui in delectatione morosâ, vt quæ affectu interiori consumma-

tur, non tam ad substantiam operis, quod delectat; quàm ad motiuum, sub quo delectat, respiciendum esse, vt rectum de eâ feratur iudicium. Porrò triplex in actu coniugij præterito vel futuro ratio mouens ad delectationem seu bonitas apprehendi potest. Primò enim considerari potest vt actus matrimonij honestus. Secundò vt caussa alicuius commodi & vtilitatis. Tertiò vt voluptuarius & tactui conueniens. *Quo posito:*

DICO PRIMÒ. Delectatio, quam vidua capit de actu coniugij præterito, vel sponsa de futuro, vt delectabili & tactui conueniente, quibuscunque circumstantijs vestiatur, peccatum mortale est. *Ratio est.* Nam motiuum huius delectationis, nempè voluptas sensualis extià statum matrimonij, ità castitati repugnat, vt sit obiectum formale peccati mortalis: Ergò etiam delectatio, quam in viduâ & sponsâ, vtpotè extià statum matrimonij constitutis, mouet, ità castitati aduersatur, vt excusari à peccato mortali nequeat.

OBIICIES. Obiectum huius delectationis non est malum. Nam & præteritus coniugij actus fuit licitus, & futurus erit licitus: Ergò neque delectatio de ijs potest esse mala. *Respondeo.* Delectatio non sumit malitiam suam ab actu externo, sed à motiuo sub quo actus exterior delectat; & quia motiuum istud, soluto aut nondum constante matrimonio, malum est; ideò ipsa etiam delectatio mala est.

DICO SECVNDÒ. Delectatio de actu coniugij præterito vel futuro, quatenùs in eo apprehenditur aliqua ratio honesti aut vtilis, vt quia caussa fuit vel erit vitandæ fornicationis, suscipiendæ prolis &c. licita & bona est. *Ratio est.* Quia motiuum huius delectationis licitum est & bonum.

QVÆRES. Quid sentiendum sit de delectatione sensuali, quam coniuges constante matrimonio capiunt extrà copulam, de copulâ coniugali cogitatâ? Nauarrus in summâ cap. 16. existimat non minùs illicitam, & peccatum mortale esse, quàm in viduâ & sponsâ. Communis tamen & vera sententia est, non esse peccatum mortale, nisi periculum sit pollutionis. *Ratio est.* Quia nec copula ipsa, quæ delectat, nec motiuum sub quo delectat, nempè voluptas sensualis inter coniuges, constante matrimonio, peccatum mortale est; Ergò nec delectatio de tali copulâ. Tametsi eam à culpâ veniali non excusem; vt quæ

debito fine, ad quem actus coniugalis à naturâ ipsâ dirigitur, careat; nempè bono prolis per copulam coniugalem intento. Legi potest Sanchez. lib. 9 de Matrimonio disp. 44. à num. 3.

DISPVTATIO VII.

Vtrum delectatio de opere, quod aliàs peccatum mortale est, à peccato tamen ob ignorantiam inuincibilem excusatur, sit peccatum mortale?

CONTROVERSIAM HANC, cuius resolutio ex antecedentibus pendet, quatuor assertionibus breuiter expediam.

DICO PRIMÒ. Delectatio de opere excusato à culpâ lethali, si sub motiuo peccati mortalis capiatur, peccatum mortale est. Sic is, qui ex displicentiâ personæ delectatur de homicidio in ebrietate commisso, peccat mortaliter. Idem sentiendum est de eo, qui ob sensualitatem delectatur de pollutione præteritâ in somno. Et sic de aliis. *Ratio est.* Quia delectatio malitiam suam trahit à motiuo, vt ex dictis constat.

DICO SECVNDÒ. Non licet velle efficaciter aut procurare eiusmodi actum, qui, nisi propter ignorantiam aut defectum libertatis excusaretur, peccatum mortale esset; ceu sunt pollutio in somno, homicidium in ebrietate, & similes. *Ratio est.* Quia voluntas efficax sumit suam malitiam ab actu externo: Quarè si hic mortalis est, tametsi ob ignorationem aut defectum libertatis excusetur, etiam voluntas eius efficax peccatum erit. Nam ratio, quæ excusat actum externum à peccato, non excusat voluntatem eius efficacem; vt quæ scienter & liberè suscipitur. Idem de procuratione talium actuum, quæ non fit sinè voluntate efficaci, sentiendum est.

DICO TERTIÒ. Licet delectari de eiusmodi aliquo opere ob bonum aliquem finem, aut vtilitatem ex eo prouenientem. *Ratio est.* Quia licet ob bonum finem delectari de aliquâ actione, quæ reuerâ peccatum est, vt suprà vidimus: Ergò multò magis de actione, quæ excusatur à peccato.

Dico qvartò. Licet etiam voluntate ſimplicis complacentiæ deſiderare eiuſmodi opus ob bonum aliquem finem. *Ratio eſt.* Quia affectus ſimplicis complacentiæ non ſumit ſuam malitiam ab actu externo, ſed à motiuo, vt ſæpè dictum eſt: Id ergò ſi eſt licitum, etiam deſiderium ſimplicis complacentiæ erit licitum.

Obiicies cum Medina. Non licet eiuſmodi actus procurare: Ergò nec deſiderare. *Reſpondeo* negando conſequentiam. Nam & mortem propriam deſiderare licet ob bonum aliquem finem, quam tamen procurare nullo fine licet. *Ratio diſcriminis eſt.* Procuratio ſumit malitiam ſuam ab actu externo; quarè ſi hic malus eſt, etiam procurare illum malum erit. At verò deſiderium ſimplicis complacentiæ, non ſumit ſuam malitiam ab actu externo, ſed à motiuo, vt dictum eſt.

Obiicies II. Delectari de pollutione ſecundum ſe eſt malum: Ergò delectari de eâ ob quemcunque finem erit malum. Nam quę ſecundum ſe mala ſunt, nullo bono fine honeſtari poſſunt. *Reſpondeo.* Natura delectationis, vt quæ interiori voluntatis actu conſummatur, ex motiuo ſeu fine, tanquàm formali obiecto ſuo, æſtimanda eſt. Vndè ſi ratio mouens ad delectationem, ſeu finis malus eſt, delectatio ſecundum ſe mala erit; ſin verò licitus & bonus, delectatio non erit ſecundum ſe mala & illicita. Diuerſa ratio actuum exteriorum eſt, qui ſi ſecundum ſe, hoc eſt, ex obiecto ſuo mali ſint, nullo fine accedente, quantumuis bono, honeſtari poſſunt. Quæ omnia ex ſuprà dictis conſtant.

DISPVTATIO VIII.

Qualis deliberatio requiratur, vt delectatio moroſa, aut quicunque motus voluntatis, peccatum mortale ſit?

Tria præcipuè ſunt, ex quibus æſtimari malitia motuum voluntatis debet. Deformitas obiecti: Conſideratio rationis: Et conſenſus voluntatis. De primo dictum hactenùs eſt; De duobus reliquis ſubindè etiam dicendum eſt. Et primùm quidem de ſecundo, qualis videlicet

licet deliberatio ex parte intellectus necessaria sit, vt motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit?

PRIMA SENTENTIA est eorum, qui existimant sufficere deliberationem implicitam & virtualem; quæ tunc est, cùm ratio actu non considerauit id, de quo voluntas delectatur, malum esse, poterat tamen & debebat considerare. Ità Gerson Alphabeto 33. littera H. & Alphabeto. 24. *Probatur hæc sententia primò.* Vt opera externa sint peccata mortalia, satis est consideratio implicita & virtualis; nam si requireretur explicita, multi ab innumeris peccatis, quæ sine tali consideratione perpetrant, excusarentur. Ergò ad interiores etiam motus voluntatis, vt sint peccata mortifera, satis erit consideratio implicita & virtualis. *Secundò.* Aliàs quippe mortaliter nemo peccaret, nisi actu consideraret id, quod designat & facit, peccatum mortale esse. Hoc autem absurdum esse ex eo constat, quòd multi peccent mortaliter, qui quid sit peccatum mortale, aut in quo differat à veniali prorsùs ignorant.

ALTERA COMMVNIS ET VERA SENTENTIA est; Vt delectatio aut motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit, necesse esse, vt formalis & expressa malitiæ consideratio antecesserit. Ità docent Alexander 2. part. quæst. 108. memb. 7. & 11. Bonauent. in 2. dist. 29. Albertus ead. dist. art. 13. Henric. quodlib. 6. quæst. 32. Angelus. Verb. *Cogitatio.* num. 2. Syluester Verb. *Delectatio.* quæst. 1. part. 4. Caietan. 2. 2. quæst. 88. art. 1. & in summâ. Verb. *Delectatio.* Armilla ibid. n. 1. Almayn. tract. 3. moral. cap. 24. D. Thomas 15. de verit. art. 4. ad 10. Petrus Sotus lib. de Institut. Sacerdotum, lect. 10. de discrimine peccatorum. Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 2 num. 5. & alij. *Probatur ratione generali.* Nam sine aduertentiâ rationis peccatum esse nō potest; quæ si imperfecta sit, vt si mens aut vehementi aliquâ passione; aut aliis modis ità impediatur & distrahatur, vt moraliter censeri possit caruisse facultate ad rem, de quâ delectatur, eiusque malitiam & turpitudinem sufficienter cognoscendam; motus voluntatis seu delectatio peccatum veniale erit; si verò perfecta sit aduertentia rationis, vt si plenè & planè intelligas id, quod agis, esse malum & illicitum; motus voluntatis seu delectatio morosa erit peccatum mortiferum. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Si desit formalis

& explicita aduertentia rationis; neque actus exterior, neq; interior peccatum mortale est. Tametsi rariùs inconsideratio hęc circà actus exteriores, quàm circà interiores eueniat.

AD SECVNDVM. Vt aliqua operatio peccatum mortale sit, necesse non est cognoscere discrimen inter mortale, & veniale; sed satis est plena & perfecta animaduertentia rei illicitæ & malæ. Qui enim cum hac cogitatione operatur, saltem se exponit periculo peccandi mortaliter, quod est peccatum mortale.

DISPVTATIO IX.

Qualis consensus voluntatis requiratur, vt delectatio morosa, aut quicunq; motus appetitus peccatum mortale sit?

CONSENSVS VOLVNTATIS DVPLEX EST: *Alter* expressus & formalis, quandò scilicet voluntas actu positiuo cōsentit. *Alter* tacitus & interpretatiuus; quandò voluntas actu quidem nec consentit nec dissentit, censetur tamen cōsentire ideò, quia cùm delectationem aut motum aliquem, planè ab intellectu animaduersum, sibique propositum & præsentatum vt illicitum, possit reprimere & coërcere, non reprimit aut refrænat. Quæritur ergò, vter ex his consensibus voluntatis ad peccatum mortale sufficiat, aut necessarius sit?

PRIMA SENTENTIA est: Ad peccatum mortale non sufficere consensum interpretatiuum, sed necesse esse vt voluntas expresse & pòsitiue consentiat, aut saltem sit periculum consensus expressi & positiui. Itaque iuxtà hanc sententiam excitatâ in appetitu delectatione turpi & obscœnâ, si ea voluntati placeat, erit peccatum mortale; si non placeat, tunc aut periculum est consensus in eam expressi & formalis; & sic nisi delectationem comprimat & repudiet, peccabit mortaliter; aut nullum imminet periculum consensus, & sic, tametsi in eâ perseueret, non tamen contrahit noxam peccati grauis & mortiferi. Ità docuerunt Angelus. Verbo. *Cogitatio.* nu. 2. Syluester Verb. *Delectatio morosa*

§. magna tamen. Armilla Verb. *Cogitatio: n.* 13. Nauarr. in summâ. cap. 16. n. 9.

Secvnda et probabilior Sententia est: Vt delectatio aliqua aut motus appetitus, plenè à ratione animaduersus & obseruatus, peccatum mortale sit, sufficere consensum voluntatis tacitum & interpretatiuum. Ità D. Thomas hoc loco. art. 6. Vbi voluntatem duplici modo peccare ait; Vel si illicitas passiones, imperet; Vel si easdem, cùm potest, non reprimat. Et alij communiter. *Ratio est* Quia talis motus & delectatio illicita, & contrà castitatem est Ergò si voluntaria sit, peccatum mortale est: Eo ipso autem quòd reprimi potest & debet, nec tamen reprimitur, censetur voluntaria: Ergò. *Confirmatur.* Quia in aliis etiam peccatis sufficit ad mortale consensus interpretatiuus. Ergò etiam in istis.

Hinc Colligitvr. Eum, qui dat operam rei honestæ & licitæ, aut tali, ad quam peragendam ex officio obligatur, non peccare mortaliter, si surgentes indè in appetitu sensitiuo motus & delectationes non repellat, dummodò absit periculum consensus. Ità passim tradunt Doctores, confessarium non teneri vitare aut deserere functionem suam, nec studiosum studia sua, etiamsi indè eueniat, vt eiusmodi motus aut delectationes sentiant. *Ratio est.* Quia huiusmodi motus in iis casibus nec expresè, nec interpretatiuè voliti sunt, cùm non teneamur vitare actionem honestam & & debitam, vndè sequuntur. Vt enim sequantur, non indè prouenit, quia actio honesta & legitima, sit caussa per se eorum; sed solùm ex miseriâ naturæ per peccatum originale contractâ, quæ non est culpa sed pœna. Legi possunt Nauarr. loco allegato & Caietanus opuscul. 22.

Dixi: Si absit periculum consensus. Nam si moraliter censeatur periculum subesse, ita vt non confidat se fore satis firmum, tenetur potiùs actionem suam deserere. Non enim licet ob vllam caussam periculo peccandi se exponere, iuxtà illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

rerum, quas quis scire tenetur peccatum est.

ARTICVLO III. *Vtrum Ignorantia excuset ex toto à peccato?* CONCLVSIO est. Ignorantia comitans, quæ non est caussa actus, non excusat à peccato; Ignorantia verò antecedens, quæ est caussa actus, excusat à peccato.

ARTICVLO IV. *Vtrum ignorantia diminuat peccatum?* CONCLVSIO est. Ignorantia vincibilis affectata non minuit, sed auget peccatum: Ignorantia verò non affectata, sed crassa & supina minuit peccatum.

DISPVTATIO I.

Vtrum ignorantia sit caussa peccati?

AD planiorem huius & subsequentium controuersiarum explicationem quædam de acceptione & diuisionibus ignorantiæ præmittenda sunt.

IGNORANTIA *primò* & latè sumitur pro negatione cuiuscunque notitiæ, etiam earum rerum, quæ sciri ab aliquo non possunt. Ità dicere solemus infantes nasci cum ignorantiâ. Hanc ignorantiam appellat D. Thomas art. 2. Nescientiam. Eamq; Dionysius 7. de cœlesti Hierarch. sub medium, & 6. de Ecclesiast. Hierarc. fatetur in Angelis esse, qui cùm multa ignorent, quæ scire non possunt, nescire potiùs, quàm ignorare ea dicuntur. *Secundò* & propriè ignorantia dicitur earum rerum esse, quæ cùm sciri & cognosci possint; reipsâ tamen non sciuntur & cognoscuntur, vt ibidem tradit D. Thomas.

ITA accepta Ignorantia variè diuiditur.

PRIMÒ In ignorantiam prauæ dispositionis; & Ignorantiam puræ priuationis. Ignorantia prauæ dispositionis est, error intellectus veritati contrarius. Vt cùm quis iudicat rem aliter esse, quàm est. Ignorantia verò puræ priuationis, non est cum iudicio aliquo erroneo; sed est mera ac nuda priuatio scientiæ. Vt si quis careat notitia alicuius rei, quam nosse potuit & debuit.

SECVNDÒ diuiditur Ignorantia in eam, quæ dicitur Ignorantia iuris; & eam quæ dicitur Ignorantia facti. Iuris est, cùm ignoratur lex, vel aliquid præceptum esse aut prohibitum. Vt si aliquis ineat contractum cum homine prodigo minorenni, aut furioso, ignorans eiusmodi contractum iure prohiberi. Facti est, cùm ignoratur res ipsa, quę legi aut pro-

hibitioni subiacet. Vt si aliquis contrahat cum prodigo aut furioso, ignorās eum, cum quo contrahit, prodigum esse, aut furiosum. Et hæc ignorantia aut potest esse facti totius, aut circumstātiæ tantùm alicuius, vel effectus ex facto subsecuti.

Tertio diuiditur Ignorantia, in Antecedentem, Comitantem, & Consequentem. De quâ diuisione satis actum est suprà quæ. 6.

Qvarto diuiditur Ignorantia in Inuincibilem, & Vincibilem. Inuincibilis est, quæ adhibitâ diligentiâ vinci & depelli non potest; aut si potest, non tamen debet. Vt si quis contractum initurus cum alio dubitet an illicitus sit, aut vsurarius; & iudicium de ea re doctorum virorum exquirat, ab iisque responsum ferat, non esse vsurarium, tametsi reuerâ vsurarius sit; is dicitur habere ignorantiam inuincibilem; quia adhibitâ diligentiâ, quam poterat & tenebatur adhibere, eam superare & repellere non potuit. Et hanc Ignorantiam appellant Iurisconsulti iustam seu probabilem; quià bonâ fide & absque culpâ contrahitur. Vincibilis verò ignorantia est, quæ adhibito diligenti studio vinci abiicique potest & debet. Non enim sufficit, vt superari & repelli aliquâ ratione possit, sed ad eam abiiciendam & profligandam etiam obligatio esse debet. Et hæc à Iureconsultis vocari solet iniusta seu improbabilis; eòquòd malâ fide contrahatur, eamque iura & canones improbent. Vndè fit, vt ignorantia inuincibilis sit inuoluntaria; quoniam deponi aut non potest, aut non debet: Vincibilis verò sit voluntaria; quia deponi potest & debet.

Vltimò Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectatam, & crassam. Affectata dicitur illa, quam quis directè intendit & procurat. Vt si quis, vt legem ignoret, datâ & destinatâ operâ, eā nec vult legere, nec audire, nec inquirere, iuxtà illud Ps. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Et Iob 22. *Recede à nobis, scientiā viarum tuarum nolumus.* Crassa seu supina est illa quâ quis ob culpabilem & latam negligentiam ignorat ea, quæ scire debet. Ita eam definit Nauarr. c. 23. n. 44. & alij. Quæ ideò dicitur crassa, quia ex desidiâ nascitur; quoniam qui crassi sunt & pingues, solent plerumque esse desides & pigri: Dicitur supina, qualis solet esse in iis, qui supinè dormientes nihil curant. Vndè patet ignorantiam affectatam esse directè & expressè voluntariam; Crassam verò indirectè tantùm & implicitè. *His præmissis.*

Dico I. Ignorantia sæpè est

caussa peccati. Ità docet D. Augustinus in Enchirid. cap. 81. & Magister ex Scripturâ sacrâ Leuit. 4. Psal. 75. Actor. 3. ad Rom. 10. 1. ad Timoth 1. *Ratio est.* Nam sæpè euenit, vt aliquis peccet, eò quòd ignoret id, quod agit, peccatum esse, alioqui non peccaturus. Quod est, ignorantiam esse caussam peccati. Non quidem per se, cùm sit priuatio, sed per accidens tanquàm remouens impedimentum peccati, nempe scientiam, quæ si adesset, peccatum impediret & prohiberet.

Dico II. Ignorantia est pœna peccati. Ità docet D. August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. 19. 20. Beda in cap. 10. Lucæ & alii. *Ratio est.* Quoniam propter peccatum originale homo priuatus est scientiâ; quarè cùm ignorantia sit priuatio scientiæ, erit pœna peccati.

DISPVTATIO II.

Vtrum ipsa ignorantia in se sit peccatum, an verò solùm ratione negligentiæ adiunctæ?

PRIMA SENTENTIA est Durandi in 2. distinct. 22. quæst. 2. Cordub. lib 2. quæst. 6. Syluestri Verbo. *Ignorantia.* quæst. 3. Conradi & Caietani hoc loco. Qui docent, Ignorantiam non esse peccatum secundum se, sed effectum & pœnam peccati; totum autem peccatum consistere in negligentiâ sciend & addiscendi ea, quæ quis scire tenetur. *Probant.* primò authoritate D. Thomæ art. 2. huius loci, vbi apertè docet ignorantiam esse peccatum propter negligentiam. *Secundò.* Peccata non opponuntur habitibus, sed actibus. Nam peccatum consistit in priuatione rectitudinis debitæ actui. At ignorantia opponitur scientiæ, quę est habitus, non actus. Ergò ipsa secundum se non est peccatum. *Tertiò.* Scientia non est virtus moralis, sed materia virtutis: Ergò nec ignorantia vitium est morale, sed materia vitij. *Quartò.* Ignorantia semper est in homine ignorante, etiam dum dormit; Ergò si secundùm se est peccatum, homo semper etiam dormiens peccabit. *Vltimò* Magis opponitur virtuti priuatio gratiæ, quàm ignorantia; sed priuatio gratiæ non est peccatum, Ergò neque ignorantia.

tur, non tam ad substantiam operis, quod delectat; quàm ad motiuum, sub quo delectat, respiciendum esse, vt rectum de eâ feratur iudicium. Porrò triplex in actu coniugij præterito vel futuro ratio mouens ad delectationem seu bonitas apprehendi potest. Primò enim considerari potest vt actus matrimonij honestus. Secundò vt caussa alicuius commodi & vtilitatis. Tertiò vt voluptuarius & tactui conueniens. *Quo posito:*

Dico Primò. Delectatio, quam vidua capit de actu coniugij præterito, vel sponsa de futuro, vt delectabili & tactui conueniente, quibuscumque circumstantijs vestiatur, peccatum mortale est. *Ratio est* Nam motiuum huius delectationis, nempè voluptas sensualis extrà statum matrimonij, ità castitati repugnat, vt sit obiectum formale peccati mortalis: Ergò etiam delectatio, quam in viduâ & sponsâ, vtpotè extra statum matrimonij constitutis, mouet, ità castitati aduersatur, vt excusari à peccato mortali nequeat.

Obiicies. Obiectum huius delectationis non est malum. Nam & præteritus coniugij actus fuit licitus, & futurus erit licitus: Ergò neque delectatio de ijs potest esse mala. *Respondeo.* Delectatio non sumit malitiam suam ab actu externo, sed à motiuo sub quo actus exterior delectat; & quia motiuum istud, soluto aut nondum constante matrimonio, malum est; ideò ipsa etiam delectatio mala est.

Dico Secundò. Delectatio de actu coniugij præterito vel futuro, quatenùs in eo apprehenditur aliqua ratio honesti aut vtilis, vt quia caussa fuit vel erit vitandæ fornicationis, suscipiendæ prolis &c. licita & bona est. *Ratio est.* Quia motiuum huius delectationis licitum est & bonum.

Quæres. Quid sentiendum sit de delectatione sensuali, quam coniuges constante matrimonio capiunt extrà copulam, de copulâ coniugali cogitatâ? Nauarrus in summâ cap. 16. existimat non minùs illicitam, & peccatum mortale esse, quàm in viduâ & sponsâ. Communis tamen & vera sententia est, non esse peccatum mortale, nisi periculum sit pollutionis. *Ratio est.* Quia nec copula ipsa, quæ delectat, nec motiuum sub quo delectat, nempè voluptas sensualis inter coniuges, constante matrimonio, peccatum mortale est; Ergò nec delectatio de tali copulâ. Tametsi eam à culpâ veniali non excusem; vt quæ

debito

debito fine, ad quem actus coniugalis à naturâ ipsâ dirigitur, careat; nempè bono prolis per copulam coniugalem intento. Legi potest Sanchez. lib. 9 de Matrimonio disp. 44. à num. 3.

DISPVTATIO VII.

Vtrum delectatio de opere, quod aliàs peccatum mortale est, à peccato tamen ob ignorantiam inuincibilem excusatur, sit peccatum mortale?

CONTROVERSIAM HANC, cuius resolutio ex antecedentibus pendet, quatuor assertionibus breuiter expediam.

DICO PRIMÒ. Delectatio de opere excusato à culpâ lethali, si sub motiuo peccati mortalis capiatur, peccatum mortale est. Sic is, qui ex displicentiâ personæ delectatur de homicidio in ebrietate commisso, peccat mortaliter. Idem sentiendum est de eo, qui ob sensualitatem delectatur de pollutione præteritâ in somno. Et sic de aliis. *Ratio est.* Quia delectatio malitiam suam trahit à motiuo, vt ex dictis constat.

DICO SECVNDÒ. Non licet velle efficaciter aut procurare eiusmodi actum, qui, nisi propter ignorantiam aut defectum libertatis excusaretur, peccatum mortale esset; ceu sunt pollutio in somno, homicidium in ebrietate, & similes. *Ratio est.* Quia voluntas efficax sumit suam malitiam ab actu externo: Quarè si hic mortalis est, tametsi ob ignorationem aut defectum libertatis excusetur, etiam voluntas eius efficax peccatum erit. Nam ratio, quæ excusat actum externum à peccato, non excusat voluntatem eius efficacem; vt quæ scienter & liberè suscipitur. Idem de procuratione talium actuum, quæ non fit sinè voluntate efficaci, sentiendum est.

DICO TERTIÒ. Licet delectari de eiusmodi aliquo opere ob bonum aliquem finem, aut vtilitatem ex eo prouenientem. *Ratio est.* Quia licet ob bonum finem delectari de aliquâ actione, quæ reuerâ peccatum est, vt suprà vidimus: Ergò multò magis de actione, quæ excusatur à peccato.

Dico qvartò. Licet etiam voluntate simplicis complacentiæ desiderare eiusmodi opus ob bonum aliquem finem. *Ratio est.* Quia affectus simplicis complacentiæ non sumit suam malitiam ab actu externo, sed à motiuo, vt sæpè dictum est: Id ergò si est licitum, etiam desiderium simplicis complacentiæ erit licitum.

Obiicies cum Medina. Non licet eiusmodi actus procurare: Ergò nec desiderare. *Respondeo* negando consequentiam. Nam & mortem propriam desiderare licet ob bonum aliquem finem, quam tamen procurare nullo fine licet. *Ratio discriminis est.* Procuratio sumit malitiam suam ab actu externo; quarè si hic malus est, etiam procurare illum malum erit. At verò desiderium simplicis complacentiæ, non sumit suam malitiam ab actu externo, sed à motiuo, vt dictum est.

Obiicies II. Delectari de pollutione secundum se est malum: Ergò delectari de eâ ob quemcunque finem erit malum. Nam quę secundum se mala sunt, nullo bono fine honestari possunt. *Respondeo.* Natura delectationis, vt quæ interiori voluntatis actu consummatur, ex motiuo seu fine, tanquàm formali obiecto suo, æstimanda est. Vndè si ratio mouens ad delectationem, seu finis malus est, delectatio secundum se mala erit; sin verò licitus & bonus, delectatio non erit secundum se mala & illicita. Diuersa ratio actuum exteriorum est, qui si secundum se, hoc est, ex obiecto suo mali sint, nullo fine accedente, quantumuis bono, honestari possunt. Quæ omnia ex suprà dictis constant.

DISPVTATIO VIII.

Qualis deliberatio requiratur, vt delectatio morosa, aut quicunque motus voluntatis, peccatum mortale sit?

Tria præcipuè sunt, ex quibus æstimari malitia motuum voluntatis debet. Deformitas obiecti: Consideratio rationis: Et consensus voluntatis. De primo dictum hactenùs est; De duobus reliquis subindè etiam dicendum est. Et primùm quidem de secundo, qualis videlicet

licet deliberatio ex parte intellectus necessaria sit, vt motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit?

PRIMA SENTENTIA est eorum, qui existimant sufficere deliberationem implicitam & virtualem; quæ tunc est, cùm ratio actu non considerauit id, de quo voluntas delectatur, malum esse, poterat tamen & debebat considerare. Ità Gerson Alphabeto 33. littera H. & Alphabeto. 24. *Probatur hæc sententia primò.* Vt opera externa sint peccata mortalia, satis est consideratio implicita & virtualis; nam si requireretur explicita, multi ab innumeris peccatis, quæ sine tali consideratione perpetrant, excusarentur. Ergò ad interiores etiam motus voluntatis, vt sint peccata mortifera, satis erit consideratio implicita & virtualis. *Secundò.* Aliàs quippe mortaliter nemo peccaret, nisi actu consideraret id, quod designat & facit, peccatum mortale esse. Hoc autem absurdum esse ex eo constat, quòd multi peccent mortaliter, qui quid sit peccatum mortale, aut in quo differat à veniali prorsus ignorant.

ALTERA COMMVNIS ET VERA SENTENTIA est; Vt delectatio aut motus aliquis voluntatis peccatum mortale sit, necesse esse, vt formalis & expressa malitiæ consideratio antecesserit. Ità docent Alexander 2. part. quæst. 108. memb. 7. & 11. Bonauent. in 2. dist. 29. Albertus ead. dist. art. 13. Henric. quodlib. 6. quæst. 32. Angelus. Verb. *Cogitatio.* num. 2. Syluester Verb. *Delectatio.* quæst. 1. part. 4. Caietan. 1. 2. quæst. 88. art. 1. & in summâ. Verb. *Delectatio.* Armilla ibid. n. 1. Almayn. tract. 3. moral. cap. 24. D. Thomas 15. de verit. art. 4. ad 10. Petrus Sotus lib. de Institut. Sacerdotum, lect. 10. de discrimine peccatorum. Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 2 num. 5. & alij. *Probatur ratione generali.* Nam sine aduertentiâ rationis peccatum esse nō potest; quæ si imperfecta sit, vt si mens aut vehementi aliquâ passione; aut aliis modis ità impediatur & distrahatur, vt moraliter censeri possit caruisse facultate ad rem, de quâ delectatur, eiusque malitiam & turpitudinem sufficienter cognoscendam; motus voluntatis seu delectatio peccatum veniale erit; si verò perfecta sit aduertentia rationis, vt si plenè & planè intelligas id, quod agis, esse malum & illicitum; motus voluntatis seu delectatio morosa erit peccatum mortiferum. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Si desit formalis

& explicita aduertentia rationis; neque actus exterior, neq; interior peccatum mortale est. Tametsi rariùs inconsideratio hęc circà actus exteriores, quàm circà interiores eueniat.

Ad Secundum. Vt aliqua operatio peccatum mortale sit, necesse non est cognoscere discrimen inter mortale, & veniale; sed satis est plena & perfecta animaduertentia rei illicitæ & malæ. Qui enim cum hac cogitatione operatur, saltem se exponit periculo peccandi mortaliter, quod est peccatum mortale.

Dispvtatio IX.

Qualis consensus voluntatis requiratur, vt delectatio morosa, aut quicunq; motus appetitus peccatum mortale sit?

Consensvs volvntatis dvplex est: *Alter* expressus & formalis, quandò scilicet voluntas actu positiuo cōsentit. *Alter* tacitus & interpretatiuus; quandò voluntas actu quidem nec consentit nec dissentit, censetur tamen cōsentire ideò, quia cùm delectationem aut motum aliquem, planè ab intellectu animaduersum, sibique propositum & præsentatum vt illicitum, possit reprimere & coërcere, non reprimit aut refrænat. Quæritur ergò, vter ex his consensibus voluntatis ad peccatum mortale sufficiat, aut necessarius sit?

Prima Sententia est: Ad peccatum mortale non sufficere consensum interpretatiuum, sed necesse esse vt voluntas expresse & positiue consentiat, aut saltem sit periculum consensus expressi & positiui. Itaque iuxtà hanc sententiam excitatâ in appetitu delectatione turpi & obscœnâ, si ea voluntati placeat, erit peccatum mortale; si non placeat, tunc aut periculum est consensus in eam expressi & formalis; & sic nisi delectationem comprimat & repudiet, peccabit mortaliter; aut nullum imminet periculum consensus, & sic, tametsi in eâ perseueret, non tamen contrahit noxam peccati grauis & mortiferi. ità docuerunt Angelus. Verbo. *Cogitatio.* nu. 2. Syluester Verb. *Delectatio morosa.*

§. magna tamen. Armilla Verb. *Cogitatio: n.* 13. Nauarr. in summâ. cap. 16. n. 9.

Secvnda et probabilior Sententia est: Vt delectatio aliqua aut motus appetitus, plenè à ratione animaduersus & obseruatus, peccatum mortale sit, sufficere consensum voluntatis tacitum & interpretatiuum. Ità D. Thomas hoc loco, art 6. Vbi voluntatem duplici modo peccare ait; Vel si illicitas passiones, imperet; Vel si easdem, cùm potest, non reprimat. Et alij communiter. *Ratio est.* Quia talis motus & delectatio illicita, & contrà castitatem est Ergò si voluntaria sit, peccatum mortale est: Eo ipso autem quòd reprimi potest & debet, nec tamen reprimitur, censetur voluntaria: Ergò. *Confirmatur.* Quia in aliis etiam peccatis sufficit ad mortale consensus interpretatiuus. Ergò etiam in istis.

Hinc Colligitvr. Eum, qui dat operam rei honestæ & licitæ, aut tali, ad quam peragendam ex officio obligatur, non peccare mortaliter, si surgentes indè in appetitu sensitiuo motus & delectationes non repellat, dummodò absit periculum consensus. Ità passim tradunt Doctores, confessarium non teneri vitare aut deserere functionem suam, nec studiosum studia sua, etiamsi indè eueniat, vt eiusmodi motus aut delectationes sentiant. *Ratio est.* Quia huiusmodi motus in iis casibus nec expresśè, nec interpretatiuè voliti sunt, cùm non teneamur vitare actionem honestam & & debitam, vndè sequuntur. Vt enim sequantur, non indè prouenit, quia actio honesta & legitima, sit caussa per se eorum; sed solùm ex miseriâ naturæ per peccatum originale contractâ, quæ non est culpa sed pœna. Legi possunt Nauarr. loco allegato & Caietanus opuscul. 22.

Dixi: Si absit periculum consensus. Nam si moraliter censeatur periculum subesse, ita vt non confidat se fore satis firmum, tenetur potiùs actionem suam deserere. Non enim licet ob vllam caussam periculo peccandi se exponere, iuxtà illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

rerum, quas quis scire tenetur peccatum est.

ARTICVLO III. *Vtrum Ignorantia excuset ex toto à peccato?* CONCLVSIO est. Ignorantia comitans, quæ non est caussa actus, non excusat à peccato; Ignorantia verò antecedens, quæ est caussa actus, excusat à peccato.

ARTICVLO IV. *Vtrum ignorantia diminuat peccatum?* CONCLVSIO est. Ignorantia vincibilis affectata non minuit, sed auget peccatum: Ignorantia verò non affectata, sed crassa & supina minuit peccatum.

DISPVTATIO I.

Vtrum ignorantia sit caussa peccati?

AD planiorem huius & subsequentium controuersiarum explicationem quædam de acceptione & diuisionibus ignorantiæ præmittenda sunt.

IGNORANTIA *primò* & latè sumitur pro negatione cuiuscunque notitiæ, etiam earum rerum, quæ sciri ab aliquo non possunt. Ità dicere solemus infantes nasci cum ignorantiâ. Hanc ignorantiam appellat D. Thomas art. 2. Nescientiam. Eamq; Dionysius 7. de cœlesti Hierarch. sub medium, & 6. de Ecclesiast. Hierarc. fatetur in Angelis esse, qui cùm multa ignorent, quæ scire non possunt, nescire potiùs, quàm ignorare ea dicuntur. *Secundò* & propriè ignorantia dicitur earum rerum esse, quæ cùm sciri & cognosci possint; reipsâ tamen non sciuntur & cognoscuntur, vt ibidem tradit D. Thomas.

ITA accepta Ignorantia variè diuiditur.

PRIMÒ In ignorantiam prauæ dispositionis; & Ignorantiam puræ priuationis. Ignorantia prauæ dispositionis est, error intellectus veritati contrarius. Vt cùm quis iudicat rem aliter esse, quàm est. Ignorantia verò puræ priuationis, non est cum iudicio aliquo erroneo; sed est mera ac nuda priuatio scientiæ. Vt si quis careat notitia alicuius rei, quam nosse potuit & debuit.

SECVNDÒ diuiditur Ignorantia in eam, quæ dicitur Ignorantia iuris; & eam quæ dicitur Ignorantia facti. Iuris est, cùm ignoratur lex, vel aliquid præceptum esse aut prohibitum. Vt si aliquis ineat contractum cum homine prodigo minorenni, aut furioso, ignorans eiusmodi contractum iure prohiberi. Facti est, cùm ignoratur res ipsa, quæ legi aut pro-

caussa peccati. Ità docet D. Augustinus in Enchirid. cap. 81. & Magister ex Scripturâ sacrâ Leuit. 4. Psal. 75. Actor. 3. ad Rom. 10. 1. ad Timoth 1. *Ratio est*. Nam sæpè euenit, vt aliquis peccet, eò quòd ignoret id, quod agit, peccatum esse, alioqui non peccaturus. Quod est, ignorantiam esse caussam peccati. Non quidem per se, cùm sit priuatio, sed per accidens tanquàm remouens impedimentum peccati, nempe scientiam, quæ si adesset, peccatum impediret & prohiberet.

DICO II. Ignorantia est pœna peccati. Ità docet D. August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. 19. 20. Beda in cap. 10. Lucæ & alij. *Ratio est*. Quoniam propter peccatum originale homo priuatus est scientiâ; quarè cùm ignorantia sit priuatio scientiæ, erit pœna peccati.

DISPVTATIO II.

Vtrum ipsa ignorantia in se sit peccatum, an verò solùm ratione negligentiæ adiunctæ?

PRIMA SENTENTIA est Durandi in 2. distinct. 22. quæst. 2. Cordub. lib 2. quæst. 6. Syluestri Verbo. *Ignorantia*. quæst. 3. Conradi & Caietani hoc loco. Qui docent, Ignorantiam non esse peccatum secundum se, sed effectum & pœnam peccati; totum autem peccatum consistere in negligentiâ sciend & addiscendi ea, quæ quis scire tenetur. *Probant*. primò authoritate D. Thomæ art. 2. huius loci, vbi apertè docet ignorantiam esse peccatum propter negligentiam. *Secundò*. Peccata non opponuntur habitibus, sed actibus. Nam peccatum consistit in priuatione rectitudinis debitæ actui. At ignorantia opponitur scientiæ, quę est habitus, non actus. Ergò ipsa secundum se non est peccatum. *Tertiò*. Scientia non est virtus moralis, sed materia virtutis: Ergò nec ignorantia vitium est morale, sed materia vitij. *Quartò*. Ignorantia semper est in homine ignorante, etiam dum dormit; Ergò si secundùm se est peccatum, homo semper etiam dormiens peccabit. *Vltimò* Magis opponitur virtuti priuatio gratiæ, quàm ignorantia; sed priuatio gratiæ non est peccatum, Ergò neque ignorantia.

SECVNDA SENTENTIA est Alexandri 2. part. quæst. 112. memb. 1. in corpore, & ad 3. Bonauent. in 2. dist. 22. art. 2. quæst. 2. in corpore. & ad Rom. 1. 2. 3. Alberti artic. 7. Richard. art. 2. quæst. 2. Marsilij in 2. quæst. 15. art. 2. conclus. 1. 2. & seqq. Almayni tract. 1. moral. cap. 4. & aliorum, qui docent ignorantiam secũdum se esse peccatum, quandò est earum rerum, quas quis scire tenetur. *Pro resolutione difficultatis.*

NOTANDVM EST: Aliud esse, aliquem actum esse peccatum secundum se; & aliud imputari operanti ad culpam. Ad primum satis est, si actus non sit conformis cum rectâ ratione; Ad secundum verò vltrà requiritur, vt liberè fiat; sicut ex iis patet, quæ suprà dicta sunt circà Quæst. 18. *Hoc posito.*

DICO I. Ignorantia, cùm est earum rerum, quas quis scire tenetur, est peccatum secundum se, & non tantùm ratione negligentiæ. *Probatur.* Omissio alicuius præcepti obligantis, secundum se peccatum est, vt inductione constat: Ergò ignorantia earum rerum, quas quis scire tenetur, cùm sit omissio scientię, ad quam habendam ex præcepto obligamur, secundum se, peccatum est.

DICO II. Negligentia sciendi ea, quæ quis scire tenetur, ideò peccatum est, quia illa ignorare peccatum est. *Probatur.* Quia in omnibus aliis præceptis, negligentia in adimplendis iis ideò est peccatum, quia non adimplere peccatum est. Ergò idem dicendum est de præcepto sciendi.

DICO III. Ignorantia non imputatur homini ad culpam, nisi propter negligentiam. *Probatur.* Nam si adhibeatur diligentia ad scienda ea, quæ quis scire tenetur, ignorantia est inuincibilis; ac proindè imputari ad culpam non potest. Ergò vt imputetur ad culpam, necesse est, vt ex negligentiâ proficiscatur. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. D. Thomas ideò asserit ignorantiam esse peccatum propter negligentiam, quia ab eâ habet, vt sit voluntaria, & imputetur ad culpam.

AD SECVNDVM. Ignorantia, quæ peccatum est, non est priuatio habitus scientiæ, sed actus illius, qui poterat & debebat esse in intellectu.

AD TERTIVM. Scientia, quandò est earum rerum, quas quis scire tenetur, non tantùm materia virtutis, sed virtus etiam est. Vt patet in fide, prudentiâ &c.

Quarè ignorantia etiam, quandò est earum rerum, quas quis scire tenetur, vitium erit & peccatum.

AD QVARTVM. Ignorantia tunc peccatum est, quandò actus scientiæ potest & debet inesse intellectui. Id quod non accidit in somno.

AD VLTIMVM. Priuatio gratiæ, non est priuatio alicuius operationis ad quam exercendam homo obligetur, ideò ipsa peccatum non est, præcepta enim non sunt de habitibus, sed de actibus. At verò ignorantia est priuatio actus, ad quem ex præcepto obligamur, vt ex dictis constat.

DISPVTATIO III.

An & quandò ignorantia sit peccatum speciale?

EX dictis liquet, Ignorantiam, vt peccatum sit, & ad culpam imputetur, debere esse vincibilem, & earum rerum, quas quis scire tenetur. Eorum autem, ad quorum cognitionem homo obligatur, quædam ad actionem referuntur; vt sunt ea, quæ pertinent ad proprium officium exercendum, & ad vitam rectè instituendam; quædam verò ita in speculatione posita sunt, vt ad operationem nullo modo referantur; vt sunt mysteria nostræ fidei. De vtrisque difficultas est, quandò eorum ignorantia peccatum mortale sit?

DICO I. Ignorantia earum rerum, quas quis scire tenetur, cùm hæ proximè & immediatè ordinantur ad operandum, non est peccatum speciale, nec habet malitiam distinctam à malitiâ prauæ electionis. Ità qui ex culpabili ignorantiâ dici ieiunij, transgreditur præceptum ieiunandi, non peccat nisi peccato intemperantiæ: Et qui culpabiliter ignorans rem esse alienam, eam accipit & consumit, non alio peccato se obstringit nisi iniustitiæ. Et sic de aliis. *Ratio est.* Quia ad eiusmodi rerum notitiam non alio præcepto obligamur, quàm quo præcipitur bona electio: Ergò illius priuatio non debet habere malitiam distinctam à malitiâ prauæ electionis.

DICO SECVNDÒ. Ignorantia earum rerum, quarum cognitio ratione sui præcipitur, & non ratione alterius operationis, ad quam ordinentur, peccatum speciale est, & oppositam virtuti

ſpeciali, quę in talium rerum cognitione conſiſtit. Vt eſt ignorātia myſteriorum fidei, quę opponitur virtuti fidei. *Ratio eſt*. Quia ſpeciale præceptum eſt de rebus fidei credendis: Ergò qui eas culpabiliter ignorat, peccat contrà ſpeciale præceptum fidei, quo tenetur credere.

QVAESTIO LXXVII.

De cauſsâ peccati ex parte appetitus ſenſitiui, in octo articulos diuiſa.

QVAEST. LXXVIII.

De cauſsâ peccati, quæ eſt malitia, in quatuor articulos diuiſa.

IN duabus hiſce quæſtionibus nihil occurrit, quod commentationem deſideret. Legi poteſt textus.

QVAESTIO LXXIX.

De cauſsis exterioribus peccati.

QVATVOR SVNT quæſtionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrū Deus ſit cauſſa peccati?* CONCLVSIO eſt negans & de fide.

ARTICVLO II. *Vtrum actus peccati ſit à Deo?* CONCLVSIO eſt. Actus peccati, quatenùs entitas quædam poſitiua eſt, à DEO eſt. Eſt de fide. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

ARTICVLO III. *Vtrum Deus ſit cauſſa excæcationis & indurationis?* CONCLVSIO eſt. DEVS cauſſa eſt indurationis per accidens, & tanquàm remouens prohibens. De hac re ſatis diximus in materiâ de prędeſtinatione & reprobatione.

ARTICVLO IV. *Vtrum excæcatio & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem eius, qui excæcatur & obduratur?* CONCLVSIO eſt. DEVS conſequente voluntate peccata electorum, vt quibus omnia cooperantur in bonum, ad Rom. 8. ordinat ad eorum ſalutem; reproborum verò ad pœnam & ſupplicium.

DISPVTATIO VNICA.

Quare peccatum non sit à DEO?

SVPPONO, quod nisi ferali & Caluinianâ impietate negari non potest; DEVM nullo modo esse aut dici posse caussam seu authorem peccati. Ità vno consensu docent Orthodoxi omnes, & est inconcussa doctrina fidei; quam ideò cesso aut vberiùs persequi, aut pluribu firmare argumentis; quòd in eius confirmationem, & contrarij erroris detestationem, non tantùm scriptura sacra, Concilia, Patres & ratio; sed sensus etiam communis, ac ipsa demùm rerum natura, quæ omnem à conditore suo impietatem procul arcendā esse etiam pueris commonstrat, summo ardore conspirent. Legi possunt Melchior Can. lib. 2 de locis. cap. 4. Soto lib. 1. de naturâ & gratiâ cap. 17. & 18. Vega lib. 2. super Concil. Trident. cap. 14. Bellarminus tomo. 4. controuers. 2. controuersiâ generali lib. 2. de statu peccati. Becanus 2 part. scolast. Theolog. tractatu. 2. cap. 6. Et in opusculo de authore peccati. & alij. Verùm in assignandâ ratione, cur scilicet, cùm DEVS sit caussa operationis illius, cui annexa & coiuncta est malitia peccati, ita vt tota illa operatio sit à DEO, non minùs quàm à libero arbitrio creato, vitium tamen & deformitas ipsius actionis non DEO, sed tantum arbitri creato tribuatur, magna & celebris difficultas est, quam vt soluerent Theologi, in varias discessère opiniones, quarum potiores tantùm referemus

PRIMA SENTENTIA est Capreoli in 2. dist. 37. qu. vnicâ. Ferrar. 3. contrà Gentes cap. 71. quam sequitur Gregor. de valentia disp. 6. qu. 9 punct. 1. Hi docent actionē non esse malam & peccatum, quatenùs est à causâ efficiente, sed quatenùs est à causâ deficiente. Cùm ergò DEVS non sit caussa vllo modo deficiens, sed tantùm efficiens operationis illius, quæ mala & peccatum est, ideò peccatū nullo modo in DEVM, sed tantùm in caussam creatam, vt quæ sola potest in agendo deficere, referendum est. *Hæc sententia* itâ nudè posita difficultati non satisfacit. *Nam* actio illa, ad quā DEVS simul & creata caussa concurrūt, aut ideò mala & peccatum est, quia est à causâ, quæ potest deficere; aut quia est à causâ, vt actu deficit. Primum dici non potest,

Indè enim sequeretur, omnes actiones humanas esse malas & & peccata; quia omnes sunt à caussâ, quæ potest deficere. Si secundum asseratur, cùm caussa actu deficiens idem, sit quod caussa actu peccans; dicere ideò actionem aliquam peccatum esse, quia est à caussâ deficiente; est dicere ideò peccatũ esse, quia est peccatũ, quæ aperta est nugatio. *Deindè.* Vt caussa secunda dicatur in agendo deficere satis est, si producat actum illum, ad quem defectus & malitia consequitur; sed eundem etiam producit DEVS: Ergò etiam DEVS erit caussa deficiens; ac proindè author peccati; aut reddenda ratio est, quamobrem caussa secunda producendo talem actum deficiat, non autem deficiat caussa prima eundem producendo.

SECVNDA SENTENTIA est aliorum, qui docent ideò DEVM non esse authorem & caussam peccati, quià licet concurrat ad actionem illam, quæ est peccatum; non tamen concurrit vt caussa particularis, sed vt vniuersalis; quatenùs præbet influxum quendam indifferentem, & communem actioni bonę & malæ, qui deindè determinatur à caussâ creatâ & particulari ad hanc vel illam actionem; ex cuius determinationis vi sequitur defectus in actione; Vndè actio non habet à concursu DEI, quòd sit mala, sed à concursu hominis; ac proindè non DEVS, sed homo tantùm caussa & author peccati est. *Huic tamen sententiæ obstat.* Nam tametsi concursus DEI in actu primo consideratus indifferens sit ad actus bonos & malos; consideratus tamen in actu secundo indifferens esse non potest; sicut indifferens non est operatio ipsa peccati; quæ vt à DEO pendet, dicitur concursus DEI; qui cùm non minùs determinatus sit, quàm concursus hominis, DEVS ratione illius (si verum est opinionis huius fundamentum) non minùs caussa erit peccati, quàm homo.

TERTIA SENTENTIA est, Scoti in 2. distinct. 37. quæst. 1. §. *Ad solutionem istorum*; quem sequuntur nonnulli recentiores, qui dicunt: Eandem quidem operationem esse à DEO & ab homine; eã tamen ideò peccatum esse, vt est ab homine, nõ autem peccatum esse, vt est à DEO; quia homo tenetur eam non efficere; DEVS autem non tenetur eam non efficere. *Hæc etiam sententia reiicitur. Primùm*, quia sunt aliquæ actiones ex se & intrinsecè malæ, & quas ideò tenemur euitare, quia malæ sunt. Vndè peior est earum mali-

tia, quàm obligatio ad eas euitandas, ac proindè ratio, cur malæ & peccata sint, non est, quia teneamur eas, non exercere; sed è contrà ratio, cur eas teneamur non exercere, est, quia malæ & peccata sunt. Eiusmodi sunt odium Dei, Mendacium, blasphemia, periurium, idololatria & similes, quæ ex se repugnant rationibus & attributis diuinis, à quibus, vt à regulâ, per essentiam sibi identificatâ, nec Deo deuiare licet. Vndè non minor, immò arctior in Deo videtur esse obligatio ad eiusmodi actiones non efficiendas, quàm in creaturâ; ac proindè ratio, quā authores huius sententiæ assignant, ad constituendum discrimen inter DEVM, & voluntatem creatam, cur huic peccati malitia tribuatur, non autem DEO, non videtur subsistere. *Deindè*, si quid probat hæc ratio, potiùs ostendit DEVM non peccare, quàm non esse authorem & caussam peccati. Agere enim contrà obligationem, peccare potiùs est, quàm esse authorem & caussam peccati. Quāquàm enim duo hæc; peccare scilicet, & esse caussam seu authorem peccati, reipsâ semper coniungi existimem; formaliter tamen longè diuersa sunt. Id quod contrario exemplo actionum meritoriarum constat. DEVS enim author & caussa est omnis meriti nostri; & tamen ipse non meretur, nec merita nostra ad præmium ei imputantur. Ità non idem formaliter est, authorem peccati esse, & peccare. Vndè nouatores æui nostri, tametsi DEVM faciant authorem & caussam peccati; non tamen audent asserere DEVM peccare.

QVARTA & reliquis probabilior sententia est: DEVM ideò non esse authorem & caussam peccati, tametsi concurrat ad producendum actum peccati; quia non concurrit ad illius productionē, vt caussa moralis; sed tantùm vt caussa naturalis; Et quia peccatum secundum rationem peccati non à causâ naturali, sed tantùm à morali procedit, fit, vt peccatum quatenùs peccatum est, in DEVM, vt authorem seu caussam reuocari non possit. Ità docent Melchior Canus lib. 2. locor. Theolog. cap. 4. & in relect. de Sacrament. part. 4. post 5. Conclus. Sotus lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 18. Vasquez Disput. 129. cap. 7. *Pro cuius sententiæ explicatione:*

NOTANDVM est. I. Peccatum formaliter esse priuationem quandam moralem, vt ex supradictis quæst. 18. constat; ac proindè non sequi ex naturâ ipsius actus secundum suam entitatem

 physicam,

Physicam, sed secundum esse morale, vt loco citato notat D. Thomas; & ex eo patet, quod nullus actus est peccatum, nisi moralis sit, & liberè fiat.

Notandvm II. Hinc colligi, malitiam peccati non posse prouenire nisi à caussâ morali. Nam caussæ proportionandę sunt effectibus. Caussa autem moralis illa est, quæ ità liberè ad operationem concurrit, vt tribuat operationi esse liberum & morale, in quo fundatur malitia moralis. Ex his efficax ratio sumitur pro asserenda veritate Catholicâ, quæ talis est.

Is tantvm Author & caussa peccati est, à quo actus peccati, vt à causâ morali procedit: At nulla actio mala à Deo hoc modo procedit, sed tantùm à voluntate creatâ: Ergo non Devs, sed tantùm volũtas creata author & caussa peccati est. Maior ex dictis patet. *Minor probatur.* Nam illa dicitur esse caussa moralis, quæ ità operationem efficit, vt ei tribuat esse morale & liberum; in quo fundatur ratio peccati, & malitia moralis. Devs autem, etiamsi liberè concurrat ad actum peccati, eâ libertate, quâ ab æterno decreuit concurrere cũ caussis secundis ad earum operationes; is tamen actus non sortitur esse morale & liberum à libertate Dei, sed tantùm à libertate caussæ creatæ. Nam actus ad extrà sortiuntur rationem liberi & moralis per denominationem extrinsecam à libertate existente in suâ causâ creatâ; Id est, ex eo solùm, quòd eliciantur à voluntate habente libertatem, cùm actum illum elicit: Ab eâ quippe libertate, quâ voluntas creata in se & formaliter est libera; actus extrinsecè est, & denominatur liber. *Patet exemplo* actuum, qui fiunt ab amente vel ebrio, Ad eos enim eadem libertate concurrit Devs, quâ concurrit ad actus, qui fiunt ab homine rationis compote, vel sobrio; & tamen actus facti ab amẽte, vel ebrio non sunt morales & liberi: Ergò actus caussarum creatarum non sortiuntur esse morale & liberum ab eâ libertate, quâ ad illos concurrit Devs; ac proindè non procedunt à Deo, vt à causâ morali.

Obiicitvr. I. Si esse morale & liberum in actu peccati non est à Deo; Ergò aliqua entitas est in actu producto, quæ non sit à Deo, quod concedi non debet. *Respondeo.* Esse liberum & morale, non est aliqua entitas aut ratio realis in ipso actu; sed est tantùm denominatio extrinseca à libertate & modo operandi arbitrij creati, ideò formaliter à solâ causâ creatâ prouenit. Mirum autem non

eſt, aliquam denominationem extrinſecam prouenire à cauſsâ creatâ & modo operandi illius, quæ à cauſsâ primâ, eiuſque operandi modo non proueniat.

Obiicitvr. II. Si ideò Devs non eſt author & cauſſa peccati, qui non tribuit actui peccati eſſe liberum & morale, in quo ratio peccati & malitia fundatur, conſequens eſt, vt nec author & cauſſa ſit operis boni & meritorij; quia non tribuit illi eſſe liberum & morale in quo ratio bonitatis & meriti fundatur; ac proindè eodem modò ſe habebit Devs reſpectu operis boni, & mali, vt vtriuſque cauſſa ſit ſecundum eſſe naturale tātùm. *Reſpondeo.* Verum quidē eſt, vtrumq; actum hominis ſiuè malum, ſiuè bonū, vt formaliter (formalitate denominationis extrinſecæ) liber & moralis ſit, habere à ſolo arbitrio creato, eiuſque operandi modo, vt ex dictis conſtat. Veruntamen quia Devs, præterquàm quòd ad ſubſtantiam & eſſe naturale actus boni concurrit, etiam ad illū benè & meritoriè efficiendum auxilio, conſilio, ſuaſione, & præcepto mouet creatam voluntatem; fit vt Devs author & cauſſa ſit actus boni, etiam vt liberè & moraliter à creatâ voluntate prodit; non quòd tribuat actui eſſe liberum & morale in genere cauſſæ formalis (quomodo à ſolâ libertate arbitrij creati liber & moralis extrinſecè denominari poteſt) ſed in genere cauſſæ efficientis, quatenùs ad eum mouet ſuadendo, conſulendo, præcipiendo &c. Quòd ſatis eſt, vt dicatur cauſſa moralis operis boni & meritorij, ac proindè author bonitatis & meriti. Diſpar ratio actus mali eſt, ad quem nullâ ratione mouet, ſed tantùm phyſicè concurrit Devs, & quoad ſubſtantiam operationis; ex quo concurſu operatio nullomodo contrahit eſſe liberum & morale; ac proindè nec vt mala & peccatum ſit.

QVAESTIO LXXX.

De caußâ peccati ex parte Diaboli.

QVATVOR SVNT quæſtionis huius articuli.

Articvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum Diabolus ſit homini directè cauſſa peccandi?* Con-

clvsio est. Diabolus non est caussa peccati hominis directè & sufficienter, sed solùm per modum suadentis.

Articvlo II. *Vtrum diabolus possit inducere ad peccandum interiùs instigando?* Conclvsio est. Dæmon potest inducere ad peccandum, non quidem interiùs voluntatem mouendo, sed excitando in appetitu passionem, variasque rerum species cogitationi obiiciendo.

Articvlo III. *Vtrum diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum?* Conclvsio est. Dæmon, nisi à Deo reprimeretur, posset perturbatione sensuum ità rationis vsum impedire, vt necessitatem inferret homini faciendi id, quod aliàs peccatum esset, vt homicidium, adulterium &c. non tamen necessitatem peccandi; quia sinè vsu rationis & libertate voluntatis peccatum esse non potest.

Articvlo IV. *Vtrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli?* Conclvsio est. Diabolus occasionaliter & remotè est caussa omnium peccatorum nostrorum, quatenùs induxit primum hominem ad peccandum; directè autem seu proximè non est caussa omnium peccatorum nostrorum.

QVAESTIO LXXXI.

De caussâ peccati ex parte hominis. Et primùm de peccato originali.

QVINQVE SVNT quæstionis huius articuli.

ARticvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum primum peccatum primi parẽtis traducatur per originem in posteros?* Conclvsio est. Certum & de fide est, primũ peccatum primi parentis transire in posteros.

Articvlo II. *Vtrum etiam alia peccata primi parentis vel proximorum parentum traducãtur in posteros?* Conclvsio est negans. Cuius rationem assignat. Quia cætera peccata sunt tantùm personalia, & ideò in posteros non redundant.

Articvlo III. *Vtrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines?* Conclvsio D. Thomæ est. Omnes homines, vno eximio Christo

Do-

Domino, ex Adamo descēdentes contrahunt peccatum originale. Vndè omnes indigent redemptione, quæ est per Christum.

ARTICVLO IV. *Vtrum si aliquis ex humanâ carne formaretur miraculosè, contraheret peccatum originale?* CONCLVSIO est negans. Quia non descenderet ex Adamo communi sanguinis propagatione.

ARTICVLO V. *Vtrum si Adam non peccasset, Eua peccante, filij originale peccatum contraherent?* CONCLVSIO est Adamo non peccante, si Euâ peccasset, filij non contraherent peccatum originale: è conuerso autem Euâ non peccante, si Adam peccasset, filij contraherent peccatum originale.

QVAESTIO LXXXII.

De originali peccato quantum ad suam essentiam.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum originale peccatum sit habitus?* CONCLVSIO est. Originale peccatum est habitus, non quidem quo potentia inclinetur ad operandum, quemadmodum scientia & virtutes dicuntur habitus; sed sicut quædam inordinata naturæ dispositio, quâ homo malè se habet: Sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio, per quam soluitur æqualitas illa, in quâ consistit ratio sanitatis.

ARTICVLO II. *Vtrum in vno homine sint multa originalia peccata?* CONCLVSIO est. In vno homine est vnum tantùm peccatum originale.

ARTICVLO III. *Vtrum originale peccatum sit concupiscentia?* CONCLVSIO est. Peccatum originale materialiter est concupiscentia; formaliter verò est defectus iustitiæ originalis.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccatum originale sit æqualiter in omnibus?* CONCLVSIO est. Peccatum originale æquale est in omnibus.

QVAESTIO LXXXIII.

De subiecto peccati originalis.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum originale peccatum sit magis in carne, quam in anima?* CONCLVSIO est. Peccatum originale nullo modo potest esse in carne, tanquàm in subiecto, sed tantum in animâ.

ARTICVLO II. *Vtrum peccatum originale sit per prius in essentia animæ, quàm in potentiis?* CONCLVSIO est. Anima secundū essentiam suam est primum subiectum peccati originalis.

ARTICVLO III. *Vtrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quàm alias potentias?* CONCLVSIO est affirmans. Quia Iustitia originalis cuius priuatio est peccatum originale, prius respiciebat voluntatem, quàm alias potentias.

ARTICVLO IV. *Vtrum præfatæ potentiæ sint magis infectæ, quàm aliæ?* CONCLVSIO est. Potentia generatiua, Concupiscibilis, & Sensus tactus magis infectæ sunt, quàm reliquæ potentiæ. *Ratio D. Thomæ est.* Quoniam hæ potentiæ præ aliis concurrunt ad prolis generationem; ac proindè etiam ad prolis infectionem.

DISPVTATIO I.

An detur aliquod peccatum originale ab Adamo traductum in posteros?

NEGAT Pelagius, teste Augustino lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 18. & 20. & cum eo Anabaptistæ, referente Philippo Melanchthone in locis communibus de baptismo infantum. Qui error suaderi potest subsequentibus argumentis. *Primò.* Non est consentaneum bonitati & iustitiæ diuinæ, vt filij odio habeantur propter parentes. Ezechi. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* At si posteri traherēt peccatum originale ab Adamo, DEVS odio haberet

filios

filios propter parentem. Ergò. *Secundò.* Omne peccatum debet esse voluntarium: Atqui nihil est in paruulis recèns natis, quod sit vllo modo voluntarium: Ergò nihil etiam, quod habeat rationem peccati. *Tertiò.* Peccatum Adami, priusquàm liberi nascerentur, pœnitentiâ fuit expiatum & abolitum: Ergò nihil ex eo remansit, quod possit in posteros transire. *Quarto.* Quicquid in filios manat à parentibus, non aliâ vi & virtute manat, quàm seminis: At nulla vis est in semine, per quam transfundi possit peccatum. Nam propria peccati sedes est anima; satis vero perspicuum est, nullam esse in semine virtutem, quæ aliquid efficiat in animâ, cùm hæc à solo Deo creetur. Ergò. *Quintò.* Vbi lex non est, præuaricatio esse non potest, Ad Roman. 4. ac proindè nec peccatum. Atqui infantes recèns nati, cùm careant vsu rationis, non sunt capaces legis & præcepti. Ergò nulla potest in iis esse præuaricatio, ac proindè nec peccatum.

His tamen non obstantibus vera, Catholica & diuinâ fide tenenda sententia est: Per peccatum Adami, non solùm mortem corporalem, & alias huius vitæ ærumnas deriuari in posteros; sed etiam culpam & peccatum, ratione cuius sunt filii iræ, inimici Dei, & rei æternæ damnationis. Definita est hæc veritas in Conciliis, Mileuitano can. 2. Arausic. can. 2. Toletano. 11. can. 12. & Tolet. 6. can. 77. Ab Innocent. 1. in epist. 25. & 26. A Leone. 1. epist. 22. post medium. a Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali. *Probatur authoritate Scripturæ Sacræ.* Ad Roman. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerũt.* Quibus verbis significat Apostolus, omnes Adæ posteros peccatum originale ex Adamo trahere, & incurrere. Hoc testimonio vrget Pelagianos D. Augustin. lib. de natura & grat. c. 39. & lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 9. & 12. & lib. 4. contra duas epistolas Pelagij c. 4.

Respondent Pelagiani, quos sequitur Erasmus annotatione in hunc locum D. Pauli; peccatum per vnũ hominẽ intrasse in hunc mundum non propagatione, sed imitatione; quia scilicet Adam omnibus dedit peccati exemplum & formam. Huic tamen euasioni verba Pauli manifestè obstãt. *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum intrauit.* Nam si loqueretur de ingressu per imitationẽ, potius dicere debuerat, per diabolũ pecca-

tum intraſſe in hunc mundum iuxtà illud ſapient. 2. *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum omnes, qui ſunt ex parte illius*; vt rectè argumentatur contra Pelag. Auguſt. lib. 1. de pecca. merit. c. 9. *In quo omnes peccauerũt, &c.* quibus verbis cõprehendit etiam infantes, qui peccare imitando non potuerunt. *Deniq;* Apoſtolus ſeipſum ſatis clarè explicat ad Epheſ. 2. Dum inquit: *Eramus naturâ* (non imitatione) *filij iræ.* Legi poteſt D. Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 9. & lib. 2. cap. 10. tomo 7. contrà Iulian. lib. 6. cap. 4. & ſerm. 14. de verb. Apoſtoli.

Eandem veritatem etiam alia Scripturæ teſtimonia ſtabiliunt. 2. ad Corinth. cap. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ergò omnes mortui ſunt.* Mortuos Apoſtolus appellat eos, qui ſunt obſtricti peccato, quod ſpiritualem animæ vitã adimit. Id quod ſequentia verba indicãt: *Vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Atqui Chriſtus etiam mortuus eſt pro paruulis; Ergò & ij peccato obſtricti erant. Legi poteſt Auguſtinus libro ſexto contrà Iulianum. cap. 4. Iob. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu, qui ſolus es?* Et ibidem iuxtà lectionem LXX. *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* Quo teſtimonio vtitur Auguſtinus in Pſal. 50. Et auctor librorum hypognoſticõn apud Auguſtinum lib. 5. ad probandum peccatum originale Pſalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* Quo loco communiter vtuntur Patres, ad peccatum originis comprobandum. *Quod ſi roges:* cur Dauid dixerit; *In iniquitatibus & peccatis* cùm in vno homine non ſit niſi vnum peccatum originale? *Reſpondeo.* In textu Hebraico vtrumque efferri in numero ſingulari: *In iniquitate.* Et, *In peccato.* Septuaginta verò interpretes yſi ſunt numero multitudinis, vt indicarent forte peccatum hoc originem & cauſſam eſſe multorum.

Accedit communis & conſtans antiquorum patrum conſenſus, quorum teſtimonia referunt Bellarminus lib. 4. de ſtatu peccati cap. 6. Gregorius de Valentia in primam ſecundæ. quæſt. 11. punct. 1. Azorius lib. 4. Inſtit. moral. cap. 25. quæſt. 3. Vaſquez hoc loco. diſput. 130. num. 18. & 19. & alij.

Ratio orthodoxæ veritatis eſt. Quia ſemper viguit in Eccleſiâ conſuetudo baptizandi

infantes. At baptismus est ad tollendum peccatum: Tum quia scriptura inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ* &c. Tum quia baptizati dicuntur mori peccato, vt in nouitate vitæ ambulent: Tum quia dicuntur mundari per lauacrum regenerationis. Ergò datur in paruulis peccatum; non actuale, igitur originale. *Confirmatur.* Circumcisio, cui baptismus successit, vel erat ad purgandum originale peccatum, vel ad significandam eius purgationem, vt omnes fatentur. Ergò est aliquod peccatum originale. *Confirmatur. 2. Mors est stipendium peccati.* Ad Rom. 6. Ergò vbicunque mors est, ibi etiam peccatum. Sed moriuntur etiam infantes; Ergò in illis etiam est peccatum. *Confirmatur.* 3. Christus pro omnibus, etiam infantibus, mortem subijt. 2. ad Corinth. 5. At mortuus est pro iniustis & impijs. Rom. 5. 1. Petr. 3. Ergò in infantibus etiam est iniustitia & peccatum. *Ad argumenta Pelagianorum suprà adducta respondetur.*

Ad I. In quolibet homine ab Adamo per seminalē generationē descendente (nisi speciali Dei priuilegio præseruetur) est proprium peccatum originale, quo verè & formaliter constituitur peccator, filius iræ, & Deo odibilis.

Ad. II. Ad peccatum actuale requiritur consensus propriæ voluntatis, siuè expressus, siuè virtualis: Ad peccatum verò originale sufficit voluntas aliena; non enim est peccatum actionis, sed naturæ.

Ad III. Ex Adami peccato semel commisso orta est in posteris obligatio contrahendi peccatū originale. Fuit enim peccatum capitis, ac proindè in omnia membra diffusum. Vndè omnes naturali viâ ab Adamo propagati peccato originali inquinantur. Neque refert Adamum, priusquàm filios procrearet, pœnituisse peccati sui, eiusque remissionem à Deo obtinuisse. Fuit enim pœnitentia illa non capitis; sed personæ singularis; ac proindè culpam quidem Adami, vt hæc personalis erat & proprio voluntatis actu suscepta, deleuit; obligationē tamen contrahendi peccatum originale, & carendi iustitiâ originali non remouit. Huius enim tollendæ vim & virtutem sola Christi merita obtinent. *Breuiter.* Adam peccauit vt caput generis humani; ac proindè in ipso omnes homines: Non pœnituit vt caput (iam enim dignitate capitis exciderat) sed vt persona singularis; vndè pro se tantùm, non autem pro posteritate satisfecit.

Ad IV. Ad traductionem peccati originalis non necesse est, vt semen vim habeat agendi in animam; sed satis est decisum esse à naturâ vitiatâ, iuxtà ea, quæ inferiùs dicemus.

Ad V. Lex illa, quæ data fuit Adamo in paradiso de non comedendo fructu, cùm data illi fuerit, vt capiti generis humani, etiam ad posteros pertinuit. Vndè transgrediente legem Adamo, eius etiam præuaricatores facti sunt posteri. Ad Rom. 5. *In quo* (nempè Adamo) *Omnes peccauerunt.* Quæ omnia in progressu subindè clariùs patebunt.

DISPVTATIO II.

In quo consistat ratio peccati originalis?

In Hac Controversia, quæ obscura & difficilis est, varij sunt, quà errores hæreticorum, quà sententiæ catholicorum.

Primvs Error est Matthiæ Illyrici in libello de peccato originali. Vbi asserit, peccatum originale esse ipsam substantiam naturæ humanæ, ità post peccatum à diabolo transformatam, vt cùm anteà esset essentialis imago Dei, nunc sit viua & substantialis imago diaboli. *Argumentum eius est.* Quicquid est difforme legi, est peccatum: At ipsa substantia naturæ humanæ per peccatum corruptæ est difformis legi; Ergò ipsa substantia naturæ humanæ est & peccatum. Hunc errorem seu veriùs insaniam, refutat copiosè & eruditè Gregor. de Valent. Tom. 2. disp. 6 generali. quæst. 12. puncto vnico. Bellarminus de statu peccati. lib. 5. cap. 1. 2. & 3. Et damnatur à Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali. can. 5. Argumentum Illyrici prorsùs futile est. Nam ipsa substantia naturæ humanæ in se non est difformis legi, sed est subiectum operationis, seu defectus à lege deuiantis.

Secvndvs Error est communis Lutheranorum & Caluinistarum; qui docent peccatum originale esse concupiscentiam, seu naturalem inclinationem ad malum. *Fundamentum* huius erroris sumitur ex ijs scripturæ locis, in quibus concupiscentia peccatum appellatur. ad Roman. 6. 7. 8. & ad Hebreos 11. Hunc etiam errorem damnat Concilium

Tridentinum sessione 5. de peccato originali can. 5. His verbis: *Si quis per IESV CHRISTI Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* At certum est, non tolli concupiscentiam & fomitem, vt ibidem Concilium fatetur. Ergò concupiscentia & fomes non potest esse peccatum originale. Sic etiam Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 28. & 29. lib. 1. de nupt. & concupiscentiis cap. 23. & 25. & lib. contrà Iulian. cap. 5 & 7 contrà 2. epistolas Pelag. cap 13. planè affirmat concupiscentiam, cùm remanet in renatis, non esse peccatum. Et peccata omnia, etiam originale, in baptismo verè deleri. *Ad fundamentum erroris respondetur.* Concupiscentiam in scripturâ non ideò appellari peccatum, quia ipsa verè & propriè peccatum sit; sed quia à peccato est, & ad peccatum inclinat. vt definit Concilium Tridentinum loco allegato; & disertim notat Augustinus lib. 1. de nupt. & concupiscen. cap. 13. Et Ambrosius in illud ad Roman. 7. *Sed quod habitat in me peccatum &c.* Id quod rectè vrget & prosequitur Roffensis contrà Lutherum. Vberiorem huius erroris confutationem desiderans, legat Bellarminum loco citato capite 4. & sequentibus. Nunc quid sentiant Catholici videamus.

Tertia Sententia est Alberti Pighij controuersiâ. 1. De peccato originis. & Ambrosij Catharini opusc. de lapsu hominis cap. 6. & 8. qui existimant peccatum originale non esse aliud, quàm ipsum actuale peccatum Adami, quo ipse formaliter constitutus sit peccator; posteri verò per imputationem. Vndè inferunt frustrà peccatum hoc diuidi in plura, vt singulis singula conueniant; sed vno & eodem omnes peccatores constitui. *Fundamentum huius sententiæ est.* Quia sinè vsu rationis & libertate voluntatis non potest esse peccatum. In pueris autem nec est rationis vsus, nec libertas voluntatis; Ergò peccatum in ijs esse non potest; ac proindè peccatores dici non possunt nisi à peccato, quod fuit in primo parente. Hæc sententia damnatur à Concilio Tridentino session. 5. can. 3. vbi definitur, peccatum originis transfusum esse in posteros *non imitatione,*

sed verâ propagatione; inesse omnibus, & esse vnicuiq; proprium, Id autem quod formaliter est in solo Adamo, nec potest verâ propagatione in alios transfundi, nec inesse omnibus, nec vnicuique esse proprium. Neque satisfaciunt, qui dicunt, peccatum transfundi ratione pœnarum, quarum caussa est. Concilium enim distinguit peccatum originale à pœnis, &, vt distinctum, transfundi ait in posteros. *Deindè*, si Concilium de pœnis tantùm loqueretur, nihil statuisset contrà Hæreticos. Nam & ipsi fatentur pœnas transfundi in posteros, negant autem transfundi peccatum. *Tertiò*. Concilium inquit, peccatum originale verè tolli & remitti per baptismum; & remitti non idem esse, quod non imputari. At si peccatum originale nihil aliud esset, nisi peccatum Adami posteris imputatione attributum, remitti illud nihil aliud esset, quam non ampliùs imputari. *Demùm*, Paulus ad Rom. 5. originale peccatum comparat iustitiæ, quàm à Christo per spiritualem regenerationem accipimus: At iustitia, quam per regenerationem accipimus, non est illa eadem numero, quæ fuit in Christo, sed est iustitia vnicuique propria; Ergò peccatum originale debet vnicuique etiam esse proprium. *Ad fundamentum sententiæ respondetur*. Ad peccatum actuale requiri libertatem propriæ voluntatis; non autem ad peccatum originale, quod quâ ratione voluntarium sit, ex infrà dicendis constabit.

QVARTA SENTENTIA est Gregorij in 2. dist. 30. quæst. 2. art. 1. Gabriel. q 2. art. 1. & art. 2. conclus. 6. Henrici quodlib. 2. quæst. 11. Occam quodlib. 2. q. 11. & quodlib. 1. quæst. 21. Alexandri part. 2. quæst. 105. membr. 4. Holcot quæst. de imputabilitate peccati, ad primum principale. Guilielmi Parisiens. tractat. de Vitiis & peccatis. cap. 2. & 4. *Hi authores* existimant, peccatum originale esse morbidam quādam animæ qualitatem, à corruptione & morbo carnis prouenientem. Nam duas esse volunt in homine qualitates morbidas: *Vnam* in carne, quam caro & semen Adami, vel contagioso halitu Serpentis, vel vetiti pomi venenositate contractam in posteros cōmuni proseminatione diffundant. *Alteram* in animâ, quæ à morbidâ qualitate carnis generetur. Quippè putant authores huius sententiæ, animam in ipso momēto, quo carni iungitur, itâ eius consortio infici, & corrūpi, vt corrumpi & infici solet liquor

pretiosus

pretiosus, dum infunditur vasi olido & impuro. Primam qualitatē negant esse peccatū; quia caro peccati capax non est: alteram vero existimant esse propriè & formaliter peccatum originale; vt quæ animam ream faciat æternæ damnationis. *Huius sententiæ* aliud fundamentum non est, quàm quòd authores eius reliquas existiment minus esse probabiles. Eam tamen communi consensu Schola Theologorum reiicit. *Primò* enim quod de halitu serpentis, & cibi virulentiâ affertur, nisi metaphoricè intelligatur, quià scilicet peccatum ex suggestione serpentis ortum sit, planè fabulosum est. *Deindè*, vt demus esse eiusmodi qualitatem morbidam in carne, quomodo ex illâ in animam alia quædam similis deriuabitur, cùm corpus in animam spiritualem agere nequeat? quomodo, si qualitas positiua est, poterit esse peccatum? quomodo DEVS, qui author & caussa est omnis entis positiui, non erit author & caussa peccati?

AT DICES. Augustinus lib. 5. contrà Iulianum apertè docet; animam in corpore, tanquàm in vitiato vase corrumpi. *Respondeo.* Animam in corpore vitiari, quia dum corpori infunditur & vnitur, contrahit peccatum originale, à quo inficitur & inquinatur modo inferiùs explicando.

POSTREMA COMMVNIS ET VERA SENTENTIA est; Peccatum originale formaliter esse priuationem iustitiæ originalis. Ità docent D. Anselmus lib. de conceptu virginali cap. 26. vbi sic inquit: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam suprà posui, factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem.* S. Thomas quæst. 82. art. 2. & 3. Caietan. & Conradus ibid. Sotus lib. 1. de naturâ & gratiâ cap. 9. Scotus in 2. dist. 32. §. *quoad primum.* Bonauent. in 2. dist. 30. art. 2. quæst. 1. Richardus art. 4. quæst 1. & alij. Qui omnes in eo conueniunt, rationem formalem peccati originalis positam esse in priuatione iustitiæ originalis. *Pro cuius sententiæ explicatione.*

NOTANDVM est. I. Hominem in statu innocentiæ, priusquàm peccaret, duo habuisse. *Primò* mens illius iusta & sancta erat, Deoque intimo amicitiæ vinculo cohærens. *Deindè* sensus in illo & vires inferiores ità rectæ rationi subiiciebantur, vt nunquàm à præscripto eius deflecterent. Primum formaliter habuit à gratiâ gratum faciente. Hæc enim est, quæ mentem hominis

ſanctificat & Deo vnit. De ſecundo controuerſia eſt, vndenàm oriatur? ab eodemnè habitu gratiæ gratum facientis, an aliundè? Miſſis aliorum opinionibus probabilius exiſtimo, non prouenire ab aliquo habitu, ſed à ſpeciali concurſu Dei. Peculiari enim Dei prouidentiâ factum eſt, vt quamdiu mens hominis eſſet in gratiâ, & peccati expers, tamdiu ſenſus & vires inferiores illius rectæ rationi ad nutum, & ſine omni contradictione obedirent. Itaque ſubiectio iſta virium inferiorum in primo homine coniuncta quidem erat cum habitu gratiæ gratum facientis, vt quamdiu ſic maneret, etiam illa retineretur; non tamen formaliter, aut effectiuè proueniebat ab habitu gratiæ gratum facientis; ſed à ſpeciali regimine & concurſu prouidentiæ diuinæ ità hominem moderantis & ducentis, vt quamdiu mens & voluntas illius coniuncta Deo eſſet per gratiam & charitatem, nunquàm ſentiret aut experiretur in potentiis inferioribus aliquid repugnans rectæ rationi.

Notandvm eſt. II. Hinc colligi, iuſtitiam originalem non eſſe habitum reipsà diſtinctum ab habitu gratiæ gratum facientis. Nam cùm ſubiectio illa virium inferiorum reſpectu rectæ rationis non prouenerit ab aliquo habitu, ſed à ſpeciali concurſu Dei, iuſtitia verò originalis ex communi Theologorum ſententiâ ſit habitus; prouenire non potuit à iuſtitiâ originali, tanquàm à cauſsâ formali, aut efficiente; quanquàm Dei prouidentiâ & voluntate iuſtitiæ originali, quādiu hæc manſura erat, indiuiduè coniungebatur. Efficitur ergò, vt iuſtitia originalis non alium effectum habuerit, quem formaliter præſtaret, quàm ſanctificationem mentis, eiuſque cum Deo vnionem; qui cùm ſit formalis effectus gratiæ gratum facientis, fit, vt vnus idemque habitus ſit iuſtitiæ originalis, & gratia gratum faciens. Itaque vtrumque quidem comprehendit iuſtitia originalis; nempè & habitum gratiæ gratum facientis, & regimen illud prouidentiæ diuinæ; ſed diuerſo modo. Nam habitum gratiæ gratum facientis comprehendit, vt ſibi identificatum: Regimen verò prouidentiæ diuinæ, quo vires inferiores rectæ rationi ad nutum ſubdebantur, tanquàm donū quoddam actuale Dei, ſibi quamdiu permanſura erat, indiuiduo nexu ac vinculo ſociatum.

Notandvm eſt III. Iuſtitiam originalem fuiſſe Adamo non

pro se tantùm, sed & pro posteris tributam & communicatam; itá vt retentâ per obedientiam, in posteros transfundenda esset; amissâ verò per peccatum, etiam posteri essent destituendi. Idque non ex naturâ iustitiæ ipsius, vt quam nihil prohibuit soli pro se Adamo communicari; sed ex pacto & ordinatione DEI. *Hinc colliges*, defectum iustitiæ originalis in infantibus esse veram priuationem; quia est carentia formæ, quæ iis poterat & debebat inesse. *His positis.*

DICO. Peccatum originale formaliter est priuatio iustitiæ originalis. *Patet* ex Conciliis Arausicano. 2. can. 2. & Trident. sess. 5. de peccato originali. can. 2. Quibus locis peccatum originale appellant mortem animæ. At mori animam nihil aliud est, quàm priuari gratiâ sanctificante, quæ est vita animæ, & idem formaliter cum Iustitiâ originali. *Probatur ratione.* Peccatum originale est id, quo animæ infantium iniustæ sunt, & habitualiter auersæ à DEO: sed priuatio iustitiæ originalis est, quæ eas iniustas facit, & à DEO habitualiliter auertit; sicuti iustitiæ originalis formalis effectus est, iustum constituere & ad DEVM habitualiter conuertere; Ergo peccatum originale formaliter est priuatio iustitiæ originalis.

OBIICITVR PRIMO. Per baptismum tollitur peccatum originale: sed non tollitur priuatio iustitiæ originalis. Nam posteri Adami etiam post baptismum manent priuati iustitiâ originali: Ergò peccatum originale non potest esse priuatio iustitiæ originalis. *Missâ responsione* Scoti, Durandi, & aliorum, qui existimantes iustitiam originalem esse habitum reipsâ distinctum ab habitu gratiæ gratum facientis, negant remanere in baptizatis priuationem iustitiæ originalis; eò quòd iustitia originalis posteris Adami, suscepto baptismo, ampliùs non debeatur; sed defectum eius, qui remanet, esse puram meramque negationem. *Respondeo.* Sicut per baptismum restituitur posteris Adami gratia habitualis & iustificans, ac proindè tollitur eius priuatio; itá etiam restituitur id, in quo formaliter posita erat iustitia originalis; vt quæ essentialiter vnus idemque habitus est cum gratiâ iustificante; ac proindè posteri Adami, suscepto baptismo, non manent ampliùs priuati aut destituti eo, in quo posita erat essentialis ratio iustitiæ originalis,

(quanquàm quia non viâ originis, sed vi & virtute meritorum Christi per baptismum recipitur, denominationem originalis vltrà non sortitur) Nec refert non restitui beneficium illud subiectionis virium inferiorum, quo rectæ rationi perfectè obediebant; id enim non pertinebat ad essentiam iustitiæ originalis; sed ei extrinsecâ tantùm Dei ordinatione coniungebatur; ac proindè eius priuatio, vt quæ in carne est & potentiis inferioribus, non peccatum originale, sed pœna peccati originalis est.

Obiicies II. Priuatio iustitiæ originalis, sicuti cuiuscunque etiam doni supernaturalis, est effectus & pœna peccati: Ergò ipsa non est peccatum. *Respondeo.* Priuatio iustitiæ originalis, quam paruuli descendentes ab Adamo contrahunt, relata ad ipsos paruulos, non est effectus aut pœna peccati; quia nulla in ipsis culpa antecedit, quæ eam promereatur; sed est verè & propriè peccatum originale; quià est mors animæ auersio à Deo. &c. Relata verò ad actuale peccatum Adami, potest dici effectus & pœna; quatenùs actuali peccato Adami factum est, vt posteri digni essent priuatione iustitiæ originalis. Neque absurdum est peccatum actuale caussam esse peccati habitualis.

Obiicies III. Priuatio iustitiæ originalis est à Deo: Sed peccatum à Deo esse non potest: Ergò priuatio iustitiæ originalis non est peccatum. *Respondeo.* Priuationem iustitiæ originalis non esse peccatum, nisi quatenùs voluntaria & moralis est; quo modo non est à Deo; quià Devs non est caussa tribuens esse voluntarium & morale, vt suprà vidimus; sed à voluntate primi parentis, qui sibi & posteris iustitiam originalem voluntariâ præuaricatione perdidit, iuxtà ea, quæ subsequenti disputatione dicemus. Vt autem à Deo est; quatenùs scilicet Deus subtrahit influxum suum, quo iustitia originalis conseruabatur; hoc modo non est culpa aut peccatum; sed pœna peccati actualis Adæ; vt rectè notat D. Thomas infrà qu. 85. art. 5. in corpore.

Obiicies. IV. In Adamo & Euâ fuit priuatio iustitiæ originalis; in quibus tamen non fuit peccatum originale: Ergò peccatum originale non consistit in priuatione iustitiæ originalis. *Respondeo.* Priuatio iustitiæ originalis in Adamo & Euâ fuit cõtracta proprio & personali actu; non autem per originem & propagationem accepta; ideò in iis fuit quidem peccatum actuale,

relictum videlicet ex peccato actuali, quamdiu hoc pœnitentiâ non expiarunt; personale tamen, nō originale. Idem de iis iudicium est, qui post susceptum baptismum peccant mortaliter; tametsi enim priuentur gratiâ habituali & sanctificante, in quâ formaliter posita erat iustitia originalis; non tamen denuò peccatum originale contrahunt; quia priuatio illa proficiscitur à proprio & personali actu voluntatis.

Obiicies qvintò. D. Thomas quæst. 82. art. 2. in corpore apertè docet, priuationem iustitiæ originalis esse caussam peccati originalis. Ergò ipsa non potest esse peccatum originale; quia idem non potest esse caussa sui ipsius. *Respondeo.* D. Thomam loqui de caussâ intrinsecâ & formali, vt priuatio iustitiæ originalis sit, quæ hominem formaliter peccatorem constituit: Atqui caussam formalē nihil prohibet cum effectu suo identificari. Itâ Caietanus in illum locum. Vera ergò & tenenda descriptio peccati originalis est, vt sit: *Priuatio iustitiæ originalis debita, in posteros communi sanguinis propagatione ab Adamo deriuata.*

DISPVTATIO III.

Vtrum peccatum originale sit verè & propriè peccatum?

Ratio dvbitandi est. Nam omne peccatum debet esse voluntarium. At priuatio iustitiæ originalis, in quâ consistere diximus peccatum originale, non est paruulis voluntaria. Ergò non est verè & propriè peccatum. *Pro resolutione controuersiæ.*

Notandvm est primò. Primum hominem à Deo creatum fuisse rectum & iustum; cumque constitutum fuisse principem & caput totius generis humani, cum hoc pacto & & lege, vt si præceptum obseruaret de non comedendo ex arbore vetitâ, iustitiam originalem sibi & posteris conseruaret; sin præceptum transgrederetur, eandem sibi & posteris amitteret. Intercessisse tale pactum inter Devm & Adamum, tametsi aliqui ambigant; tamen probari potest. Nam vt peccatū Adæ ad posteros pertineret, non satis fuit, Adamum fuisse principium &

parentem posterorum; sic enim omnia eius peccata trãsitura erant ad posteros. Neque id oriri potuit ex lege naturali. Hanc enim intuẽti non apparet maior ratio, cur hoc peccatum potiùs, quàm alia in posteros redundarent. Debuit ergò ex aliquâ positiuâ lege & pacto Dei prouenire, vt peccatum Adæ ad posteros pertineret; sicut ex eodem pacto ad eos pertinuisset præcepti obseruatio; ita vt si Adam præceptũ Dei de non edendo ex arbore scientiæ boni & mali obseruasset, & ipse iustitiam originalem retineret, & eandẽ ad posteros transmitteret; sin verò preceptum violaret, & ipse & posteri iustitia orinali priuarentur Ob id Oseę 6. dicitur. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me:* vt notant Hieronym. in illum locum, & August. de baptismo paruulorum tom. 1. c. 11. in illud. *In quo omnes peccauerunt.*

Notandum est. II. Deum iustissimè potuisse eiusmodi pactum & legem statuere, non expectato consensu posterorum. *Primò* ratione supremi dominij, quod in omnes habet, quo potest pro suâ voluntate leges hominibus imponere. *Secundò.* Quia eius obseruatio in commodum & vtilitatem generis humani cessura erat. *Tertiò.* Quia cùm iustitiam originalem generi humano non deberet; sed eam gratuitò & ex liberalitate donaturus esset. potuit donare eam quacumque voluit conditione. *Quartò.* Quia eiusmodi pactum non potuit prudenter ab homine repudiari: Tum quia facilè erat impletu: Tum quia Adam instructus erat scientiâ perfectissimâ, dono iustitiæ originalis, aliisque supernaturalibus, quibus ad eius obseruationem iuuabatur: Tum quia nulla erat in eo carnis & sensuum rebellio, quâ ad præcepti transgressionem sollicitaretur: Tum quia præmium si præcepto obediret, propositum erat magnum, supplicium, si præuaricaretur, exiguum; nempè vt ipse & posteri priuarentur donis supernaturalibus, quæ negari iustissimè potuissent etiam non peccantibus. *His positis*

Dico. I. Peccatum orginale est verè & propriè peccatum. Constat primum ex Concil. Arausic. 2. can. 2. vbi sic definit: *Si quis dixerit soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanũ transiisse*

fuisse testatur, iniustitiam Deo dabit,&c. Vbi cum distinguat Concilium mortem corporis à morte animæ eò, quòd mors corporis non sit peccatum, sed pœna peccati; mors autem animæ sit peccatum, planè indicat peccatum originale habere veram rationem peccati. *Deindè* ex Triden. sess. 5. Can. 5. Vbi definit per baptismum tolli *totum id, quod veram & propriam habet rationem peccati*; ac proindè supponit esse aliquid ante baptismum in paruulis, quod propriam habeat rationem peccati. Idem magno consensu docent sancti Patres. *Ratio est.* Id enim, cui pœna debetur, habet veram & propriam rationem culpæ, siquidem à culpâ oritur reatus pœnæ; sed peccato originali debetur pœna; nam, teste D. Paulo, *stipendium peccati mors est*, & propter peccatum originale excludimur à gloriâ: Ergò peccatum originale veram & propriam habet rationem culpæ. Legi potest author de Ecclesiasticis dogmatibus c. 38.

DICO II. Peccatum originale voluntarium est non propriâ voluntate paruulorum, sed voluntate alienâ primi parentis; qui cū iustitiam originalem pro se & posteris, DEI pacto & ordinatione accepisset, eam sibi & posteris voluntariâ præuaricatione amisit. Hanc rationem voluntarij sufficere, vt defectus iustitiæ & sanctitatis, quæ ex pacto & ordinatione Dei poterat & debebat in posteros trāsfundi ab Adamo, peccatum originale sit, docent cū cōmuni sentētiâ Theologorum author libri de Ecclesiasticis dogmatibus apud August. cap. 22. & Augustin. concione ad Catechumenos contrà Iudæos c. 2. & lib. 1. retract. c. 13. & 15. & lib. 6. contrà Iulian. c. 3. & colligitur ex Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali can. 2. vbi ait: *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, quam perdidit, sibi soli & non nobis perdidisse, anathema sit.* Vbi cùm affirmet, & sibi & nobis illam perdidisse, satis indicat, ità voluntati illius fuisse commissam, vt in posteros esset transfundenda; alioqui sibi tantùm, non nobis illam perdidisset. *Ex dictis.*

SEQVITVR. I. Peccatum originale non minùs verè peccatum esse, quàm sit peccatum actuale; Tametsi enim minùs sit voluntarium (vtpotè alienâ voluntate tantùm) & specie distinctum à peccato actuali; ratio tamen peccati, quæ generica & communis est, non minùs verè

Adamo naſcuntur, contrahant peccatum originale? *Circa primum punctum.*

FVERVNT, qui exiſtimarent, aut totam cuiuſque poſterorum ſubſtantiam, aut partem ſaltem ſubſtantiæ fuiſſe in Adamo; eáque tranſeunte in poſteros, tranſire etiam peccatum originale. *Hæc ſententia* planè abſurda eſt: Tum quia incredibile eſt, aliquā ſubſtantiam, aut ſubſtantiæ partem indiuiduam, quæ fuit in Adamo, ità potuiſſe diffundi in poſteros, vt ex eâ ſinguli participarent: Tum quia peccatum originale eſt in animâ, quæ non traducitur ab Adamo in poſteros, ſed à Deo creatur: Tum quia intelligi non poteſt, quomodo peccatum, quod non eſt in ſubſtantia corporea, per eam traduci poſſit: Tum quia Adam expiato iam & abolito per pœnitentiā peccato, ac proindè iuſtus & à peccato liber, filiós genuit. *Hinc*

DICO I. Nulla pars ſubſtantiæ, quæ fuit in Adamo, eadē numero reperitur in omnibus poſteris; dicuntur tamen omnes fuiſſe in Adamo ſecundum corpulentam ſubſtantiam; quia carnem accipiunt propagatam ex Adamo. Ità D. Thomas in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. & q. 4. de malo cap. 5. & lib. 4. contrà gent. cap. 52. *Prima pars* concluſionis patet ex dictis. *Altera probatur.* Quia debent poſteri aliquo modo fuiſſe in Adamo. Alius autem modus excogitari non poteſt, quàm quòd carnem acceperint ex eo propagatam. Ità intelligendus eſt Auguſt. lib. 12. de Geneſi ad literam. cap. 20. cùm ait, nos ſecundum corpulentam ſubſtantiam, & rationem ſeminalem fuiſſe in Adamo.

DICO II. Vt aliquis contrahat peccatum originale, non ſatis eſt, vt ſecundum corpoream ſubſtantiam fuerit in Adamo. *Probatur.* Chriſtus ſecundum corpoream ſubſtantiam fuit in Adamo, iuxtà illud ad Roman. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem* Sed Chriſtus nec contraxit, nec potuit contrahere peccatum originale: Ergò ad contrahendum peccatum originale non ſatis eſt, ſecundum corpoream ſubſtantiam fuiſſe in Adamo.

DICO III. Vt aliquis contrahat peccatum originale, neceſſe eſt, vt ſecundum rationem ſeminalem; hoc eſt, ordinariâ viâ generationis naturalis, quæ maris & fœminæ commixtionem requirit, ab Adamo deſcendat. Ità Anſelmus lib. de concept. virginali c. 9. & 10. Auguſt. lib. 10. ſuper Geneſ. cap. 20. D. Thomas

hoc loco artic. 4. & communiter Theologi. *Ratio est.* Ii enim soli censentur proprij & naturales esse Adæ filij, qui ab eo naturali viâ generationis propagantur. Et hæc caussa est, cur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 1. & lib. 1. de nupt. cap. 24. & lib. 5. contrà Iulianum cap. 9. affirmet, concupiscentiam esse, quæ peccatum originale traducit; non quòd concupiscentia carnalis sit vera caussa peccati originalis, neque enim caro animam inficit; sed quia peccatum originale transmitti non potest nisi per naturalem generationem, in quâ post lapsum primi hominis concupiscentia vehementer & inordinatè viget; vt rectè notant Scotus & D. Thomas. *Hinc* peccatum originale in Christo esse non potuit; Eius enim conceptio ac generatio non humana fuit & seminalis; sed altior longè, & diuinitùs facta, opere & virtute Spiritus Sancti; ità vt Christus sit ἀπάτωρ, id est, sine patre secundum humanitatem; sicut est ἀμήτωρ, id est, sine matre secundum Deitatem. Similiter si quis ex carne, aut alia parte hominis ab Adamo descendentis miraculosè efformaretur à Deo, is non contraheret peccatum originale; quia non descenderet ab Adamo ordinariâ & naturali viâ generationis, vt rectè D. Thomas quæst. 81. art. 4. docet.

Dico IV. Modus, quo peccatum originale traducitur in posteros, ex dictis ità colligitur.

Cum primus parens ex pacto & ordinatione Dei iustitiã originalem pro se & posteris ex se naturaliter propagandis, ità acceperit; vt si præceptum de non comedendo ex arbore vetitâ obseruaret, eam non tantùm pro se conseruaret, sed & in posteros suos transmitteret; sin verò præceptum illud trãsgrederetur, eandem & sibi & posteris amitteret; eo ipso quòd præceptum transgressus est, & comedit de fructu vetito, iustitiam originalem sibi & posteris suis perdidit. Vnde quotquot ex Adamo per naturalẽ maris & fœminæ generationẽ descendunt, cum defectu iustitiæ originalis nascuntur; qui cùm sit defectus formæ debitæ, nõ potest non esse vera priuatio iustitiæ originalis; in quâ quoniam formaliter peccatũ originale consistit, necesse est, vt, quotquot posterorũ naturali viâ generationis ab Adamo descẽdunt, (nisi quis singulari Dei priuilegio, iuxtà ea, quæ subsequente puncto dicemus, eximatur) peccatum originale cõtrahant. *Quo fit*, vt ineptè

Iuli-

Iulianus apud Augustinum lib. 2. de nuptiis & cocupiscentiâ. cap. 27. & 28. sciscitetur: *per quam rimulam peccatum originale in mundum irrepserit?* Et sapienter Augustinus respondeat; frustrà quæri latentem rimulam, vbi apertissima pateat ianua, dicente Apostolo ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit &c.* Et hæc de puncto primo.

CIRCA SECVNDVM. Vna occurrit difficultas de beatissimâ Virgine: *An etiam ipsa contraxerit peccatum originale?* Partem affirmantem tenet D. Thomas in 1. 2. quæstion. 81. art. 3. Negantem sequitur Scotus in 3. distinctione 3. De quâ re quoniam ex professo agendum erit in tertiâ parte, quæstione 27. pauca hic & breuiter subijciemus.

NOTANDVM est: Aliud esse, peccasse in Adamo; Et aliud, contrahere peccatum originale. Tunc posteri in Adamo peccârunt, quandò ipse actuali voluntate præceptum de non comedendo fructu vetito trasgressus est; nam cùm ex pacto & ordinatione DEI caput esset & princeps totius generis humani, modo suprà explicato; voluntas eius reputata fuit voluntas omnium ex eo naturaliter propagandorum. Hinc factum est, vt omnes quotquot ex eo proseminandi erant, vnà cum naturâ inducerent debitum & necessitatem incurrendi peccati originalis; idque reipsâ etiam incurrunt, nisi si quis speciali DEI gratiâ præueniatur. Tunc verò posteri peccatum originale contrahunt, quandò anima cuiusque corpori suo infunditur; nempè in ipso conceptionis seminalis momento. Vndè patet discrimen inter vtrumque. Nam illud peccatum actuale fuit, & morali æstimatione omnibus posteris imputatum; hoc verò habituale, & in vnoquoque posterorum reipsâ inhærens ac proprium. *Hoc posito:*

DICO. I. Etiam Beata Virgo in Adamo peccauit; ac proindè debitum incurrēdi peccati originalis ex eo traxit. Hæc conclusio statuitur contrà Ambros. Catharinum; estque adeò certa, vt opposita sententia non immerito erroris postuletur. *Probatur I.* ex scripturâ sacrâ. Ad Rom. 3. *Omnes peccauerunt & egent gratiâ DEI.* Ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Vbi Paulus absolutè affirmat, omnes peccauisse in Adamo, & ideò eguisse redemptione. 2. ad Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Sed certum est Christum

mortuum esse pro beatâ Virgine, aliàs non fuisset redempta merito Christi; Ergò certum est B. Virginem fuisse mortuam, saltem in Adamo 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Christo omnes viuificabuntur.* Sicut ergò B Virgo in Christo vitam habuit, ità & in Adam fuit mortua. *Secundo ratione.* Adam non tantùm pro aliis posteris, sed & pro B. Virgine iustitiam originalem accepit; Ergò eam voluntariâ præuaricatione amittens, non tantùm aliis posteris, sed & B. Virgini amisit, ac proindè non tantùm alij posteri, sed & B Virgo in Adamo peccauit, & ex eo debitum incurrendi peccati originalis traxit

Dico Secvndo. B. Virgo peccatum originale reipsâ non contraxit, sed fuit speciali Dei priuilegio præseruata; quia videlicet ex merito Christi redemptoris in ipso conceptionis suæ momento gratiam sanctificantem accepit; quę non potest cum peccato originali consistere. De quâ re fusiùs in 3. parte. quæstione 27.

Ex Dictis in totâ hac de peccato originali materiâ.

Colligitvr I. Quid dicendum sit ad illam quæstionem: Vtrum, si Adam non peccasset, peccante Euâ, posteri contraxissent peccatum originale? Aliqui affirmant. Alij & veriùs negant. *Ratio est.* Solus Adamus constitutus est caput & princeps totius generis humani, & ei commissa iustitia originalis, quam ad posteros transmitteret. Ergò solo eo peccante posteri amissuri erant iustitiam originalem, in cuius priuatione consistit peccatum originale. *Nec obstat* illud Ecclesiast. 25. *A muliere initium peccati, & per eam omnes moriuntur.* Sensus enim est, à muliere peccatum incepisse, & ab eâ inductum Adamum ad peccandum; ob cuius peccatum posteri contrahunt peccatum originale.

Colligitvr. II. Filios, si qui geniti fuissent ab Adamo, antequam peccaret, ipso deinde peccante, non fuisse contracturos peccatum originale. Nepotes verò ab hisce nascituros, illud fuisse contracturos. *Primum patet.* Quia peccatum originale non transfunditur nisi per generationem; At in filios ante peccatum genitos non potuit per generationem amplius transfundi. *Secundum probatur* Nam nepotes vere essent per generationem propagati ab Adamo peccatore iam facto, cui lex imposita erat; vt ipso peccante, posteri amitterent iustitiam originalem.

Colligitvr. III. Tametsi Adamo non peccante, posteri geniti fuissent in iustitiâ originali & gratiâ; non tamen in eâ fuissent confirmati. Tum quia eiusmodi confirmatio ex nullo fundamento colligi potest: Tum quia sicut Adam peccando posteris necessitatem imposuit solùm nascendi in peccato, non autem in eo permanendi, cùm ab eo solui & liberari posśint; ità non peccando imposuisset necesśitatem solam nascendi in iustitiâ & gratiâ; non autem in eâ permanendi, cùm ab eâ posśint excidere & deficere. Ità D. Thomas in 2. dist. 20. quæst. 2. art. 3. ad 5. qu. 5. de malo art. 4. ad 8. & quodlib. 5. qu. 5. art. 1.

Colligitvr. IV. Peccatum originale esse in voluntate, tanquàm in subiecto. Hæc enim per peccatum formaliter auersa est à Deo. An verò proximè & immediatè sit in eâ, aut potiùs in essentiâ animæ, pendet ex aliâ quæstione: Scilicet, an gratiâ, cuius priuatio est peccatum originale, sit in essentiâ animæ. De quâ re alibi. Quæ subsequentibus duabus quæstionibus tradit D. Thomas, satis perspicua sunt ex textu.

QVAESTIO LXXXVI.

De Maculâ peccati.

DVO SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARticvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum peccatum causset aliquam maculam in animâ?*

Conclvsio est affirmans. Constat pasśim ex scripturâ sacrâ. Deuteron. 32. *Peccauerunt ei & non filij eius in sordibus.* Iosue. 22. *Vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Ecclesiast. 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine maculâ.* Ierem. 2. *Maculata es in iniquitate tua corã me.* Matth. 15. *Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Apocal. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hinc est, vt ij, quibus peccata remittuntur, dicantur in scripturâ ablui, & mundari. Esaiæ. 4. *Si abluerit dominus sordes filiarum Sion.* Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Actor. 22. *Ablue peccata tua.* 1. ad Corinth. 6.

Abluti estis, sanctificati estis. Et 2. ad Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento.*

ARTICVLO. II. *Vtrum macula maneat in animâ post actum peccati?* CONCLVSIO est affirmans. Quia post actum peccati homo verè & propriè dicitur peccator, quousque ei peccatum remittatur: Ergò verè & propriè maculatus. *Hinc*, Luc. 7. dicitur de Mariâ Magdalenâ; *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Matth. 9. de Publicanis: *Peccatores discumbebant cum IESV.* Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum, &c* Quos non semper actu peccasse, perspicuum est.

CIRCA HOS ARTICVLOS non exigua inter Theologos lis est, quid sit macula ista, quæ præterito actu peccati manet in animâ peccatoris? Missâ opinione Scoti, quam referunt & refutant Vasquez hoc loco disp. 139. cap. 1. & 2. & Azorius instit moral. lib. 4. cap. 24 quæsito 3. Existimant Thomistæ recentiores secuti Dominicum Sotum in 4. distinction. 15. quæstione 1. articulo 2. maculam peccati nihil aliud esse, quàm priuationem gratiæ habitualis. Quæ sententia in eo sensu intellecta quòd priuatio gratiæ relicta ex actu peccati verè animam maculet, eamque constituat peccatricem & habitualiter auersam à DEO; non est improbanda. Cùm enim gratia sit nitor, ornatus & pulchritudo animæ, eius priuatio non potest non esse macula & deformitas, quæ, vt voluntaria ex actu præterito peccati, veram rationem obtinet peccati habitualis. Veruntamen quia hæc sententia strictior est, quàm vt omnem rationem maculæ, in quâ peccator, transeunte actu peccati, dicitur manere, complectatur; nam & peccatum veniale maculam relinquit in anima, quam tamen non priuat gratiâ habituali; Et quia ad declarandam macularum, vt alia maior aut grauior sit aliâ, inæqualitatem non est sufficiens; nam fieri potest, vt ex duobus equali gratiâ habituali instructis, vnus grauiori peccato mortali se obstringat; ac proindè vt maiorem peccati maculam contrahat; alter verò minùs graue peccatum lethale perpetret, ac proindè vt minor sit in eo macula peccati; in quibus tamen æqualis est gratiæ priuatio. *Hinc* alij & vniuersaliùs docent, maculam peccati propriè denominationem esse, ab actu peccati præterito: ità vt id, vndè homo est & denominatur peccator & maculatus, sit ipse actus peccati; qui tametsi

metsi physice & actu non maneat, quia supponitur transijsse; manet tamen moraliter & habitu, quamdiu non retractatur; hoc est, quamdiu eius expiandi manet in peccatore obligatio.

Ex hac Sententia facilè intelligitur, quomodo omne peccatum animam maculet; grauiùs aut leuius, pro mensurâ, conditione & qualitate materiæ, & circumstantiarum.

QVAESTIO LXXXVII.

De Reatu pœnæ.

OCTO SVNT QVAESTIones huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum reatus pœnæ sit effectus peccati?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO II. *Vtrum peccatum possit esse pœna peccati?* CONCLVSIO est. Peccatum per se non potest esse pœna peccati, sed tantùm per accidens.

ARTICVLO III *Vtrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ?* CONCLVSIO est affirmans & de fide Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Marci. 9. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Ratio est. Culpa in inferno, vbi pœnitentiæ locus non est, æternùm duratura est, Ergò & pœna.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccato debeatur pœna infinita secundum quantitatem?* CONCLVSIO I. est. Peccato mortali ratione auersionis, quæ in eo est, debetur pœna damni infinita obiectiuè; nempè amissio boni infiniti. CONCLVSIO II. Peccato mortali ratione conuersionis, quæ in eo est, respondet pœna sensus finita.

ARICVLO V. *Vtrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ?* CONCLVSIO est. Peccato mortali, quod pugnat cum fine charitatis debetur pœna æterna; Veniali autem peccato secundum se, quod fini charitatis non aduersatur, non debetur pœna æterna.

ARTICVLO VI. *Vtrum reatus pœnæ remaneat post peccatum?* CONCLVSIO est. Remotâ maculâ potest manere reatus non pœnæ simpliciter, sed eius, quæ auferri satisfactione potest.

ARTICVLO VII. *Vtrum omnis pœna sit propter culpam?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO VIII. *Vtrum aliquis puniatur pro peccato alterius?* CONCLVSIO I est. Si sermo

sit de pœnâ voluntariè assumptâ, quæ non est simpliciter pœna, sed satisfactoria, vnus punitur aliquandò pro peccato alterius. CONCLVSIO II. Si loquamur de pœnâ pro peccato inflictâ, prout sortitur rationem pœnæ, vnusquisque solùm punitur pro peccato suo. CONCLVSIO III. Si sermo sit de pœnâ, quæ habet rationem medicinæ, vnus punitur nonnunquàm pro peccato alterius.

DISPVTATIO I.

Vtrum peccatum possit esse pœna alterius peccati?

CONTROVERSIA est de propriâ & formali ratione peccati; an videlicet peccatū, quà peccatum est, possit esse pœna peccati alterius?

PARS AFFIRMANS videtur subsequentibus argumentis suaderi posse. *Primò* authoritate Scripturæ Sacræ. Psal. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem.* Ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos DEVS in reprobum sensum.* Ex quibus locis clarè cōstat vnum peccatū induci propter aliud, ac proinde pœnam esse alterius. *Secundò.* Testimoniis S.S. Patrum. Augustin. lib. 5. contrà Iulianum. cap. 5. vbi sic ait: *Crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed & vitiorū incrementa.* lib. 1 confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & sic est, vt omnis animus inordinatus pœna sit sibi* Gregori, homil. 11. Super Ezechiel. vbi inquit: *Peccatum enim, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & caussa peccati, aut peccatum & pœna peccati; aut peccatum simul, & caussa, & pœna peccati. Tertiò* ratione. Priuatio boni vtilis & delectabilis potest subire rationem pœnæ; Ergo & priuatio boni honesti seu moralis, in qua consistit ratio formalis peccati.

PARTEM NEGANTEM sequitur maior & melior pars Theologorum; D. Thomas & Thomistæ hoc loco, Antisiodorens. lib. 2. tractatu 30. cap. 5. quæst. 5. Alexand. 1 part. quæst. 40 memb. 2. in solut. 3. & 5. & alij. *Pro cuius sententiæ explicatione.*

NOTANDVM est: In peccato, quod existimari posset esse pœna alterius, quatuor considerari posse: *Primò* ea, quæ peccatum antecedunt; vt sunt permissio

peccati

peccati & subtractio gratię efficacis. *Secundo.* Ea, quæ actū peccati comitantur; vt labor, molestia, difficultas. *Tertiò* quæ peccatum subsequuntur: Vt tristitia, anxietas, remorsus conscientiæ. *Quartò* ipsum peccatum. *Quo posito.*

Dico I. Ea, quæ peccatum antecedunt, possunt esse pœna peccati prioris. Nam, vt in materiâ de reprobatione ostendimus, Devs iustissimè permittit aliquē subinde ruere, quia iam anteà grauiter peccauit; eique specialia gratiæ suæ dona denegat; quia acceptis sufficientibus aut vti noluit, aut malè etiam fuit vsus. Huc faciunt illa Scripturæ testimonia ad Rom. 1. *Commutauerunt veritatem in mendacium, & seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori. Propterea tradidit illos DEVS in passiones ignominiæ.* Et infrà: *Sicut non probauerunt DEVM habere in notitiâ, tradidit illos DEVS in reprobum sensum.* Et 2. Thess 2. *Eò quod charitatem veritatis non receperūt, vt salui fierent, ideò mittet illis DEVS operationem erroris.* Et Psalm. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Legi potest D. Gregorius in illud Ezec. cap 3. *Si conuersus iustus, &c.* Vbi, *Hoc*, inquit, *cum tremore nobis considerandum est, quòd iustus & omnipotens DEVS, cùm irascitur præcedentibus peccatis. permittit, vt cæcata mens etiam in alta delabatur.* Et D. Augustin. lib. de bono perseuerantiæ. cap. 6. & lib. contrà Iulian. cap. 3. de grat. & lib. arbit. cap. 21. Et lib. 20. de ciuitate Dei. cap. 19. & alibi

Dico II. Ea, quæ actum peccati comitantur, vt labor, molestia, difficultas; vel quæ peccatum subsequuntur vt tristitia, anxietas, infamia, remorsus conscientiæ, possunt esse pœna peccati. In hac conclusione omnes conueniunt. Hæc enim sunt, quibus homo ob peccatum affligitur. De pœnâ comitante loquitur Scriptura Sacra Sapient. 5. *Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* De subsequente, 1. Machab. cap. 6. *Reminiscor malorum, quæ feci, &c. Et ecce pereo tristitiâ.* Psal. 82. *Imple facies eorum,* (impiorū scilicet) *ignominiâ.* Leuitici cap. 26. *Dabo pauorem in cordibus eorum &c. Terrebit eos sonitus folij sonantis.* Hinc illa D. Augustini sententia lib. 1. confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus.*

Dico III. Peccatum, quà formaliter peccatum est, non potest esse pœna alterius peccati. *Probatur primò.* Pœna est, quæ compensat delictum; At deformitas

vnius peccati nō compensat, sed potiùs auget & cumulat deformitatem peccati alterius. Ergò peccatum ratione deformitatis suæ, hoc est, quatenùs formaliter peccatum est, non potest esse pœna peccati alterius. *Deindè.* Pœna respectu infligentis illam, habet rationem vltionis, teste Aristotele. 1. Rhetor. cap. 10. Sed nullus iustus iudex vlciscitur transgressionem legis suæ, & iniuriam sibi illatam, aliâ transgressione & iniuriâ contra se; Ergò vna transgressio legis non potest esse pœna transgressionis alterius. *Tertio.* DEVS est auctor pœnæ, quæ peccato debetur: sed non est author peccati, quà peccatum est, Ergò peccatum, quà peccatum est, non potest esse pœna peccati. *Demùm.* Omnis pœna, quam peccatum meretur, est obiectum iustitiæ vindicatiuæ, ac proindè licitè potest à iudice intendi; sed peccatum sub ratione malitiæ moralis, seu quatenùs peccatū est, nō potest vllo modo licitè intēdi: Ergò nō potest vllo modo esse obiectū iustitiæ vindicatiuæ; ac proinde nec pœna peccati alterius. *Ad argumenta pro parte affirmante allata respondetur.*

AD PRIMVM ET SECVNDVM. Scriptura & Patres loquuntur iuxtà sensum primæ & secundæ assertionum; vt vnum peccatum sit pœna alterius non ratione sui, quatenùs formaliter peccatum est; sed ratione subtractionis gratiæ, aut effectuum.

AD TERTIVM. Disparem valdè rationem esse eius priuationis, quæ formaliter peccatum est, & aliarum, quæ peccata non sunt, probant argumenta tertiæ assertionis.

DISPVTATIO II.

Quæ pœna debeatur peccato mortali?

Multis veterum erroribus, quos referunt Alphonsus de Castro. lib. de hæres. Verb. *Infernus*, & Bellarmin. tractat. de purgat. Controuersiam hanc quatuor assertionibus resoluo.

DICO I. Peccato mortali duplex pœna debetur, vna damni, quæ consistit in carentiâ visionis beatificæ, seu exclusione à regno cœlorū; & altera sensus, quę posita est in cruciatu & torturâ ignis infernalis. Vtriusque clara mentio est in Scripturâ Sacrâ. *Pœnæ damni.* 1 Corinth. 6. *Iniqui regnum DEI non possidebunt.* Ad Heb. 12. *Pacem sequimini cum hominibus & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit DEVM.* Matth. 13. *Cum vi-*

de[illegible]

derit is Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei: Vos autem expelli foras. & alibi. *Pœnæ vero sensus* Matt. 13. *Eos, qui faciunt iniquitatē mittent in caminum ignis; ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternū.* Ioan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittēt, & ardet.* Marci 9. 1. Corinth. 3. Apocal. 14. &c. Rationem vtriusque pœnæ exhibet D. Thomas. art. 4. Nam sicuti duo sunt in peccato mortali auersio à Deo, & conuersio ad creaturam; ita sua vtrique pœna respondet; auersioni quidem pœna damni. Aequū enim est, vt qui se voluntariè à Deo auertit ita maneat à Deo segregatus, vt nunquàm eius conspectu perfruatur. Conuersioni vero pœna sensus. Quippe decēs est, vt qui se inordinatè ad creaturam conuertit gloriam aut delectationem ex eâ contra præscriptum rectæ rationis quærens, à creaturâ etiam affligatur, iuxtà illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Dico II. Vtraque pœna erit æterna. Est de fide. Matth. 25. & Marci 9. Vbi peccatores dicuntur ituri in ignem æternum Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Apoc. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* & cap. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum,* &c. *Ratio est.* Quamdiu manet culpa, tamdiu etiam manere debet pœna; sed in eo, qui lethali peccato obstrictus moritur, culpa perpetuò duratura est; quia in eo se statu posuit, in quo nunquàm potest pro culpâ satisfacere; Ergò pœna etiam perpetuò duratura est.

Obiicies. Scriptura Sacra misericordiam Dei passim prædicat, Psal. 76. *Non obliuiscetur misereri DEVS.* & Psal. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Ergò non videtur Devs peccatori statuisse pœnam perpetuò duraturam; alioqui omnem ei misericordiam præcidisset. *Respondeo:* Scripturam, vbi Dei misericordiā commendat, vel loqui de hac vitâ, in quâ locus est pœnitentiæ: Vel si testimonia illa ad damnatos etiam extendenda sunt, in iis etiā elucet misericordia diuina; quia citrà cōdignum puniuntur.

Dico III. Vtraq; pœna intrinsecè & simpliciter finita est. *Probatur.* Et primò quidem de pœnâ sensus; quæ cùm caussetur à creaturâ finitâ; & recipiatur in creaturâ finitâ, non habet, vndè accipiat infinitatem intrinsecam & extensiuam. *Deinde*

de pœnâ damni. Eſt enim priuatio viſionis beatificæ : ſed viſio beatifica intrinſecè & ſimpliciter finita eſt; Ergò etiam eius priuatio; quia quantitas priuationis ex formâ, quâ priuat, expendenda eſt.

Dico IV. Pœna damni dici poteſt infinita extrinſecè & ſecundum quid. Quia eſt priuatio viſionis beatificæ, quæ cùm verſetur circà obiectum infinitum, finito tamen modo apprehenſum; priuatio eius eſt etiam priuatio obiecti infiniti. Vndè infinitas hæc appellari ſolet obiectiua.

DISPVTATIO III.

Quæ pœna debeatur peccato veniali?

PRIMÒ certum eſt, Peccato veniali deberi aliquam pœnã, quæ vel in hac vitâ, vel in alterâ perſoluenda eſt. Quià iuſtitia DEI exigit, vt nullũ delictum maneat impunitum.

SECVNDÒ certum eſt, Peccatum veniale impedire ad tempus aſſecutionem beatitudinis; quia verè hominem inquinat; ac proindè à regno Dei, quouſque expietur, retrahit, iuxtà illud Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Tota difficultas eſt; An peccato veniali debeatur pœna æterna?*

PARS AFFIRMANS videtur ſubſequentibus argumentis ſuaderi poſſe. *Primò*. Peccatum veniale maius malum eſt quolibet malo pœnæ : Ergò poſitâ quauis pœnâ, maiorem etiam meretur, ac proinde infinitam; quæ infinitas cùm nequeat eſſe intenſiua, pœna peccato veniali debita erit infinita extenſiuè, ac proindè æterna. *Secundò*. Minus malum eſt puniri pœnâ æternâ ſenſus, quàm vel ad breue tempus priuari viſione beatificâ: ſed peccatum veniale meretur priuationem viſionis beatificæ ſaltem ad breue tempus: Ergò multò magis pœnam æternam ſenſus. *His non obſtantibus.*

Dico I. Peccato veniali per ſe non debetur pœna æterna. Eſt communis ſententia Theologorum. *Patet* ex Scripturâ Sacrâ. Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio : qui autem dixerit fratri ſuo. Racha, reus erit conſilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Vbi ex tribus iracundiæ peccatis, tertium tantùm dicitur pœnâ æternâ dignum, ac proindè mortale. Et

Matth.

Matth. 12. dicuntur quædam peccata esse, quæ neque in hac vitâ remittuntur, neque in aliâ. *Hinc colligunt Theologi*, quædam peccata esse, quæ in aliâ vitâ remitti possunt. Ea esse non possunt nisi venialia; Ergò pœna, quam merentur, non est æterna. Legi potest Bellarmin. de statu peccati libro primo. *Ratio est*. Peccata venialia non dissoluunt amicitiam cum DEO; quia non priuant hominem gratiâ & charitate; sed possunt in homine iusto simul cum gratiâ consistere. prouerb. 24. *septies in die cadit iustus*. Et Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Ergò nec perpetuam merentur conspectus diuini priuationem. *Argumenta pro contrariâ parte allata facilè dissoluuntur*.

PRIMVM. Tametsi enim culpa sit maius malum, quàm quæuis pœna, quia est ordinis alterius; potest tamen pœna ità crescere, vt secundum moralem æstimationem proportionetur culpæ; sicut licet aurum ex naturâ & specie suâ pretiosius sit argento; potest tamen tanta argenti esse copia, vt iuxtà moralem æstimationem exæquet valorē auri.

SECVNDVM. Priuatio visionis beatificæ ad breue tempus non est grauior pœna, quàm sit pœna sensus æterna; Nam quamuis sit priuatio summi boni; eius tamen grauitatem temporalem alterius pœnæ æternitas iuxtà moralem æstimationem facilè compensat.

DICO. II. Peccatum veniale, coniunctum cum mortali apud inferos punitur pœnâ æternâ. Non quòd peccatum veniale ex se pœnam æternam mereatur; sed quia is inferni status est, vt in eo nulli satisfactioni locus sit. Possunt quidem damnati satis pati, non autem satisfacere. Omnis quippè satisfactio innititur acceptationi diuinę; opera autem damnatorum non sunt Deo accepta. Ecclesiast. 34. Esaię. 1. 1. Corinth. 13. Ergò nec satisfactoria. Aequum autem est, vt quamdiu, aliquis non satisfacit, tamdiu pœnam sustineat. Vt prorsùs verum sit illud : *In inferno nulla est redemptio*.

DISPVTATIO IV.

Quæ pœna debeatur peccato originali?

POENÆ peccati originalis aliæ sunt, quas tum ob primum peccatum Adæ, tum ob originale vnicuique proprium,

in hac vitâ patimur; vt sunt rebellio virium inferiorum, pugna carnis cum rectâ ratione, mors corporis, ægritudines, & similes; quarum suprà meminit D. Thomas, quæst. 85. Aliæ verò, quas infantes, qui cum peccato originali decedunt, patiuntur in vitâ alterâ; de quibus præsens controuersia instituitur.

Dico. I. Paruuli cum peccato originali decedentes patiuntur perpetuam pœnam damni. Perpetuò enim carituri sunt conspectu & regno Dei. Ità communiter Theologi. *Patet* ex scripturâ sacrâ. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Marci 16. *Qui non crediderit condemnabitur.* Vide Concil. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali. Vbi definit, necesse esse expiari peccatum originale ad consecutionem salutis æternæ. *Ratio est.* Quia paruuli in peccato originali decedentes perpetuò manent priuati gratiâ, quæ est semen gloriæ; Ergò etiam ipso fructu, & gloriâ.

Dico. II. Paruuli ob beatitudinis amissionem nullâ tristitiâ afficientur. Ità sentiunt Bonauent. in 2. dist. 33. art. 3. qu. 2. Richard. art. 3. qu. 2. Scotus qu. vnicâ. Durand. qu. 3 Gabriel qu. 1 art. 2. conclus. 2. Marsil. in 2. qu. 19. art. 5. corollario. 3. post. 2. conclus. Sotus lib. 1. de natur. & gratiâ. ca. 14. *Probatur.* Quia tristitia, vndecunque proueniat, habet vim cuiusdam increpationis & tormenti; At nemo meretur increpari aut torqueri nisi propter illa, quæ in suâ potestate sunt, teste Aristotele. 3. Ethic. cap. 5. cuiusmodi non est peccatum originale respectu paruulorum. Veruntamen in explicando modo, quo fieri possit, vt cùm infantes intelligant se tanto bono priuatos, nullam indè tristitiam patiantur, valdè laborant Theologi; *Mihi placet* Sententia Marsilij loco suprà allegato; qui id diuinæ prouidentiæ tribuit, eò quòd concursum suum subtrahat, nè talis notitia tristitiam in paruulis generet.

Dico. III. Paruuli cũ peccato originali decedentes non patientur pœnam ignis. Est communis sententia Theologorum. *Colligitur ex scripturâ sacra*; quæ quoties loquitur de pœnâ sensus, semper indicat illam infligi ob peccata propriâ voluntate commissa. Math. 5. 12. 25. Ad Roman. 2. & 14. 2. ad Corinth. 5. *Deindè* Apocal. 18. dicitur: *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* At paruuli nullâ ratione dici possunt

se glo-

ſe glorificaſſe, aut in delicijs fuiſſe. Ergò nihil merentur tormenti & luctus. *Ratio eſt.* Quia non videtur conueniens diuinæ miſericordiæ, quæ peccata punit infrà condignum, vt ab ijs, qui pro priâ voluntate non peccauerunt, tam acerbas pœnas exigat. Hinc qui contrariam ſententiam ſequuntur, vocari ſolent à Theologis tortores puerorum. De paruulorum ſtatu futuro poſt diem iudicij extremi legi poteſt Suarez in tertiâ parte, tom. 8. diſp. 50. ſect. 5. & Azorius inſtitut. moral. lib. 4. cap. 33. &c.

QVAESTIO LXXXVIII.

De peccato veniali & mortali.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum veniale peccatum conuenienter diuidatur contrà mortale?* CONCLVSIO eſt affirmans. Nam omne peccatum aut eſt contrà ordinem charitatis, & eſt mortale; aut præter illum ordinem, & veniale eſt.

ARTICVLO II. *Vtrum peccatum mortale, & veniale differant genere?* CONCLVSIO eſt. Quædam peccata ex genere ſuo, hoc eſt, ex obiecto venialia ſunt, vt verbum otioſum; quædam ex genere, ſeu obiecto ſuo mortalia, vt furtum, adulterium, &c.

ARTICVLO III. *Vtrum peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale?* CONCLVSIO eſt. Peccatum veniale poteſt eſſe diſpoſitio ad mortale indirectè, & quaſi remouendo prohibens; quatenùs is, qui peccat venialiter, deuiat ab ordine rectæ rationis; vndè prouenit, vt paulatim grauiùs exorbitet & delinquat.

ARTICVLO IV. *Vtrum peccatum veniale poſſit fieri mortale?* CONCLVSIO I. Eadem indiuidua actio, quæ primò eſt peccatum veniale, non poteſt fieri mortale; nam ſi mutetur, non manet eadem numero. CONCLVSIO II. Idem ſpeciè actus poteſt ex veniali tranſire in peccatum mortale bifariam; *Primùm*, ſi in eo conſtituatur vltimus finis; *Deindè*, ſi ad peccatum mortale ordinetur. CONCLVSIO III. Multa peccata venialia ſimul coniuncta non poſſunt efficere vnum mortale formaliter.

ARTICVLO V. *Vtrum circumſtantia poſſit facere de veniali mortale?* CONCLVSIO

est. Circumstantia, quæ mutat speciem, potest de veniali facere mortale; sed hæc non est vera circumstantia; quæ verò speciem non mutat, sed rationem circumstantiæ retinet, non potest de veniali facere mortale.

ARTICVLO VI. *Vtrum peccatum mortale posit fieri veniale?* CONCLVSIO est. Ex defectu deliberationis sufficientis, peccatum mortale potest fieri veniale.

QVAESTIO LXXXIX.

De peccato veniali secundum se.

SEX SVNT QVAESTIONIS huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum peccatum veniale causset maculam in animâ?* CONCLVSIO est affirmans. Nam qui venialiter peccat, DEVM aliquo modo offendit, iuxtà illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*, quæ offensa censetur moraliter manere in animâ, quousque expietur; quod est habere maculam peccati venialis.

ARTICVLO II. *Vtrum conuenienter peccata venialia per lignum, fœnum, & stipulam designentur* 1. Corinth. 3? CONCLVSIO est affirmans, & clara ex textu.

ARTICVLO III. *Vtrum homo in statu innocentiæ potuerit peccare venialiter?* CONCLVSIO est negans. Quià ità in eo statu regebatur à diuinâ prouidentiâ, vt quamdiu à gratiâ iustificante & charitate non excideret, quod solùm fieri potuit per peccatum mortale; nulla occurreret occasio, quæ illum ad peccandum venialiter induceret.

ARTICVLO IV. *Vtrum Angelus bonus vel malus posit peccare venialiter?* CONCLVSIO est negâs. Nam & Angeli boni, cùm beati sint, planè sunt impeccabiles; & mali, cùm sint in malo obstinati, semper actus suos vitiant aliquâ circumstantiâ mortali.

ARTICVLO V. *Vtrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia?* CONCLVSIO est negans. De quâ suprà.

ARTICVLO VI. *Vtrum peccatum veniale posit esse cum solo originali?* CONCLVSIO est. Id ordinariâ Dei lege non contingere.

DISPVTATIO I.

Quid sit peccatum veniale?

PECCATVM dici potest veniale trifariàm. *Primò* ab euentu; nempè quia ei venia data aut danda sit. *Secundò* à caussâ aliquâ diminuente; cuiusmodi esse solent imperfectio actus, infirmitas, ignorantia; quæ peccatum alioqui ex obiecto suo graue, excusant aliquo modo, & vt veniale sit, efficiunt. *Tertiò* ex genere & naturâ suâ, quandò videlicet ex se tale est, vt constante materiæ, deliberationis, & consensus integritate, nec tollat charitatem, nec ab vltimo fine auertat. Præsens controuersia non est de peccato veniali prioribus duobus modis accepto; quia vtroque modo mortale esse potest; nempè si aut venia nondum ei data sit, aut desit caussa diminuẽs; sed de peccato veniali sumpto iuxtà modum tertium. *Ad cuius resolutionem*

DICO. I. De fide est, peccata venialia distingui à mortalibus. Ità definitum est in Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. & in Mileuitano can. 6. 7. & 8. Et constat ex Scripturâ Sacrâ. Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hic tria iracundiæ peccata distinguuntur; quorum tertium mortale est, priora duo venialia. Ad Ephes. 5. *Fornicatio autem &c.* Vbi cùm sex peccatorum genera D. Paulus enumerasset; de tribus inquit: *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi & DEI.* De reliquis tribus nihil subiungens satis indicat, talia esse, quæ à regno DEI non excludant. Distinguit igitur Scriptura peccata venialia à mortalibus.

DICO II. Peccatum non ideò veniale est, quia sit in homine prædestinato; aut mortale, quia sit in reprobo. *Probatur.* Nobis constare posse debet, quæ peccata mortalia sint, & quæ venialia ex Concil. Trident. sess. 14. c. 5. Et Augustin. in Enchirid. c. 68. At nobis constare non potest, quis sit prædestinatus, aut reprobatus, ex eod. Concil. sess. 6. cap. 5. Ergò. *Deindè.* Prædestinati possunt peccare mortaliter, vt patet in Dauide. 2. Reg. 11. & D. Paulo.

1. ad Timoth. 1. Ergò peccatum non ideò veniale est, quia in prædestinato sit. Eodem modo probari potest, non distingui peccata ex eo, quòd is, qui peccat, sit iustus, vel iniustus; baptizatus, aut non baptizatus; fidelis, vel infidelis. Legi potest Concil. Triden. sess. 6. can 27. & 28.

Dico III. Peccatum non ideò solùm veniale est, quia ex ignorantiâ, aut passione fiat. Tum quia peccatum etiam mortale fieri potest ex ignorantiâ culpabili: Tum quia verbum otiosum, tametsi ex illâ ignorātiâ, aut passione proficiscatur, peccatum veniale est.

Dico IV. Peccatum non est veniale ex solâ Dei misericordiâ & voluntate; quia scilicet Devs id nolit punire pœnâ æternâ. *Ratio est.* Devs ideò grauiorem aut leuiorem pœnam peccato statuit; quia in se grauius est, aut leuius; Ergò priùs est, peccatum mo tale aut veniale esse, quàm ad grauiorem aut leuiorem pœnam Dei voluntate destinari.

Dico V. Peccatum ex se & naturâ suâ veniale est; quià scilicet deformitas, quam ex obiecto habet, leuior est, quàm vt amicitiam Dei dissoluat, aut æternam pœnam mereatur. Est communis sententia Theologorum, & satis perspicua ex dictis.

Obiicies I. Chrysostomus homil. 40. ad populum. *Non leuius*, inquit, *peccatum est, furari duos obolos, quàm magnam copiam auri.* Id quod verum non esset, si peccatum aliquod ex naturâ suâ leue & veniale esset. *Respondeo.* D. Chrysostomum loqui de eo, cuius furtum coniunctum est cum voluntate furandi maiorem pecuniæ copiam, si occasio suppeteret.

Obiicies II. Omne peccatum excludit à regno Dei. Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Ergò omne peccatum ex se, & naturâ suâ mortale est. *Respondeo.* Peccatum veniale non excludere à regno Dei simpliciter, sed ad tempus tantùm; donec vel in hac vitâ, vel post hanc in purgatorio expietur. Legi potest Bellarm. lib. 1. de statu peccati. c. 9. & seqq.

Dispvtatio II.

Quid sit peccatum mortale?

Consentivnt omnes, multa dari peccata mortalia, quod ex iis Scripturæ locis con-

stat

stat, in quibus peccatum dicitur *mors animæ*. Matth. 5. 18. 25. Ad Rom. 1. 5. 6. 8. ad Galat. 5. 1. Ioan. 3. Difficultas tantùm est; in quo consistat ratio peccati mortalis? *Aliqui* in eo positam esse volunt, quòd peccato mortali æterna pœna debeatur. Sed hi effectus eius, non naturam explicant. *Alÿ* docent peccatum mortale formaliter consistere in auersione à Deo. *Alÿ* in amore creaturæ suprà DEVM.

DICO I. Qui peccat mortaliter, non diligit DEVM super omnia. *Ratio est*. Qui diligit DEVM super omnia, legem DEI implet. Matt. 22. Ad Rom. 13. At qui peccat mortaliter, legem DEI non implet. Ergò non diligit DEVM super omnia.

DICO II. Qui peccat mortaliter auertit se à DEO fine vltimo. Ità D. Thomas hoc loco, art. 2. & 2. 2. quæst. 22. art. 10. & quæst. 7. de malo art. 4. *Ratio est*. Tunc se aliquis auertit à fine vltimo, quandò voluntariè in eo se statu collocat, in quo positus non potest, quantùm ex se, ampliùs finem vltimum consequi. Id autem facit, qui peccat mortaliter; quia status peccati mortalis is est, in quo homo constitutus non potest, quantũ ex se est, à peccato eximi; quo permanente, non potest cum DEO coniũgi; ac proindè manet à DEO auersus.

DICO III. Propria ratio peccati mortalis consistit in auersione à DEO fine vltimo. Est communis sententia; & colligitur ex iis Scripturæ locis, in quibus peccatores dicuntur à DEO recedere. Deuter. 29. 30. 31. 32. 1. Reg. 12. Ierem. 1. 2. 4. 16. Ezech. 39. Oseæ 4. Tum ex iis, in quibus monentur, vt ad DEVM redeant Isaiæ. 31. 45. Ierem. 3. 18. Ezechiel. 18. &c. *Ratio est*. Quià peccatum mortale est, vt opponitur gratiæ & amicitiæ DEI; huic autem non opponitur, nisi quatenùs à Deo auertit, ad quem gratia & amicitia conuertebat: Ergò propria ratio peccati mortalis consistit in auersione à Deo.

DICO IV. Hæc auersio ex eo nascitur, quòd homo magis creaturam amat quàm DEVM. Quod vt fiat, necesse non est, vt intensiùs aut maiori conatu in amorem creaturæ incumbat, (quanquàm id etiam in grauioribus peccatis plerumque accidat) sed satis est, si amore creaturæ, quamuis etiam remisso, transgrediatur notabile aliquod præceptum DEI. Hinc enim fit, vt pluris facere censeatur creaturam, cuius amore peccat, quàm DEI amicitiam, quæ transgressione notabilis præcepti violatur, & deseritur.

Eius autem desertione homo auertitur à Deo. Hunc amoris excessum appellant Theologi appretiatiuum, eò quòd, dum homo adhærendo creaturæ legem & amicitiam Dei deserit, censetur morali æstimatione amorem creaturæ præferre amicitiæ Dei, iuxtà illud Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus.*

DISPVTATIO III.

In quo differant peccatum mortale & veniale?

Scotvs in 2. dist. 21. qu. 1. hoc inter peccatum mortale & veniale discrimen constituit; quòd peccatum mortale sit contrà præceptum Dei; veniale verò contrà consilium. *Sed fallitur Scotus.* Tum quia agere præcisè contrà consilium, non est peccatum. 1. ad Corinth. 7. Vbi consilium datur virginibus, nè nubãt; & tamen dicuntur, si nubant, non peccare. *Et ratio est*: Quoniam alioqui omnes essent obligati ad sequenda consilia; vndè rueret distinctio inter consilium & præceptum. Tum quia contrà quodlibet præceptum potest esse peccatum veniale ex indeliberatione, vel leuitate materiæ. *Hac reiectâ opinione.*

Prima differentia inter peccatum mortale, eaque essentialis est; quòd peccatum mortale auertat à Deo fine vltimo, non autem peccatum veniale. *Ratio ex dictis patet.* Quia peccatum mortale dissoluit amicitiam cũ Deo, cùm tollat charitatem & gratiam, quâ Deo vnimur & coniungimur; ac proindè necessariò à Deo auertit. Peccatum autem veniale, cùm non auferat gratiam & charitatem, non dissoluit amicitiam cum Deo; ac proindè homo etiamsi venialiter peccet, manet nihilominus ad Devm conuersus. Hanc differentiam indicat D. Thomas. quæst. 88. art. 1. cùm asserit peccatum mortale esse, quod tollit ordinẽ ad vltimum finem, seu (quod idem est) coniunctionem cum vltimo fine; quę cùm sit vita animæ, meritò mortale dicitur; quià tollit vitam animę, ac proindè irreparabile. Nam vita ablata reparari virtute interni principij non potest. Peccatum verò veniale, sicuti non tollit coniunctionem cum vltimo fine, ità

nec

nec vitam animæ; ac proindè relinquit in eo, qui venialiter peccat, principium, cuius virtute corrigi & reparari potest.

ALTERA DIFFERENTIA, & quæ ex priore sequitur, inter peccatum mortale & veniale est; quòd per peccatum mortale constituitur finis vltimus in creaturâ, non autem per peccatum veniale. Nam is, qui peccat mortaliter, auertit se à DEO; quia amore creaturæ charitatẽ abiicit, quâ DEO, vt fini suo vltimo, coniungebatur. Hinc fit, vt alium sibi finem vltimum constituat. Nèque enim actionem suam in DEVM refert; nec amor ille, quo creaturam magis appretiatiuè, quàm DEVM, amat, potest cum ordine ad DEVM, vt vltimum finem consistere; ac proindè is, qui se peccato mortali obstringit, quamdiu in eo perseuerat, censetur conquiescere in creaturâ, tanquàm vltimo fine suo. Quod non accidit in peccato veniali, vt ex dictis perspicuum est.

TERTIA DIFFERENTIA est, quòd peccatum mortale contrà legem est, peccatum veniale prę̀ter legem. Id quod de lege ad cõseruationem charitatis, & salutis æternæ assecutionẽ necessariâ intelligendum est. Huic enim propriè peccatum mortale aduersatur. Nam si de omni lege generatim loquamur, certum est, etiam peccatum veniale contrà legem esse; aduersatur enim rectæ rationi, quæ naturalis lex est. Hinc ad Rom. 4. dicitur: *Vbi non est lex, nec præuaricatio*; vt intelligamus omnem præuaricationem, ac proindè etiam peccatum veniale, contrà legem esse, nempè generatim sumptam. Ex quo colligitur peccatum veniale esse aliquo modo offensam DEI, iuxtà illud Iacobi. 2. *In multis offendidimus omnes*; Quia quodlibet peccatum DEO displicet, & eius bonitati aduersatur; non tamen esse offensam simpliciter; quia non dissoluit amicitiam cum DEO, quod tantùm faciunt offensæ grauiores & mortiferæ.

POSTRÆMA differentia est, quòd peccatum mortale pœnam æternam, veniale verò temporariam tantummodò meretur. Hæc differentia ab omnibus agnoscitur, & perspicua est ex dictis.

TRACTATVS
SECVNDVS.
DE LEGIBVS.

DE LEGIBVS agunt Theologi Scholastici in 3. dist. 37. Antonin. 1. part. Theolog. tit. 11. Hugo victorinus lib. de potestate legum. Guiliel. Parisiensis lib. de legibus, Ioan. Gerson. lib. de potestate Ecclesiasticâ, & origine Iuris ac legum. part. 1. Dominicus Sotus primis. 2. libris de Iustitia & Iure. & copiosè D. Thomas. à quæst. 90 huius partis vsque ad. 109 Idem argumentum tractant Iure consulti lib. 1 institut. tit. de iure naturali, gentium & ciuili. & in Codice. lib. 1. tit. de legibus, & constitutionibus, & edictis principum. & lib. 1. Digestor. tit. 1. de iustitiâ & iure. & tit. 3. de legib. senatusque consultis, & longâ consuetudine. & titulo. 4. de constitutionibus principum. Tametsi Iurisconsulti non differant nisi de legibus ab homine constitutis, vt habetur. ff. de constitutionibus principum leg 1. Theologi verò versantur in consideratione legum humanarum & diuinarum; & præcipuè quidem diuinarum; hoc est, quæ DEVM habent authorem, iuxtà illud Isaiæ. 33. *Dominus enim iudex noster, Dominus Legifer noster.* Deindè alius est Iurisprudentium, & alius Theologorum finis. Ii enim de legibus agunt, vt referuntur ad tranquillitatem & bonum statum Reipublicæ externæ; Theologi verò, vt ordinant nos ad finem beatitudinis supernaturalis. Vndè tertium etiam discrimen prodit. Nam leges eâ potissimum ratione considerantur à Theologis, quatenùs vim & vigorem trahunt ex authoritate diuinâ; à Iu-

reconsultis verò, vt firmantur & sanciuntur authoritate humanâ, iuxtà illud Vlpiani. ff. de constitutionibus principum. Leg. 1. *Quod principi placuit, legis habet vigorem.*

QVAESTIO XC.

De Essentiâ Legis.

QVATVOR SVNT QVAEstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum lex sit aliquid rationis?* CONCLVSIO est affirmans. Hanc probat D. Thomas. Quia lex est regula & mensura actionum humanarum: At regula & mensura humanarum actionum est ratio; rationis enim est ordinare ad finem, qui est principium in agendis: Ergò lex est aliquid pertinens ad rationem.

ARTICVLO II. *Vtrum lex ordinetur semper ad bonum commune?* CONCLVSIO est. Omnis lex ordinatur ad bonum commune. Vndè cùm cessat ratio boni communis, statim etiam lex cessat, & vim amittit obligandi.

ARTICVLO III. *Vtrum ratio cuiuslibet sit factiua legis?* CONCLVSIO est. Condere legem pertinet vel ad totam multitudinem; vel ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam sustinet.

ARTICVLO IV. *Vtrum promulgatio sit de ratione legis?* CONCLVSIO est. Vt lex vim obligandi habeat, necesse est, vt promulgetur.

DISPVTATIO I.

Vtrum lex sit opus intellectus, an voluntatis?

PRÆMITTO primò, non eandem esse apud omnes auctores Legis Etymologiam. Nam D. Thomas art. 1. vult legem dici à ligando, eò quòd obliget ad aliquid faciendum aut vitandum. Isidorus lib. 2. Etymolog. cap. 10. legem deriuat à legendo, eò quòd omnibus ex scripto legenda proponatur. Vtramque notionem amplectitur Ioannes Gerson de potestate Ecclesiasticâ. considerat. vltimâ. Cicero. 1. de legibus docet legem dictã esse à legendo, vt hoc verbo delectus seu electio significatur,

eò quòd lex ſit certa norma & regula deligendi rectum; vel quòd ſit multorum conſultatione & conſenſione delecta. Græcè dicitur νόμ@ à verbo νέμειν, quod ſignificat tribuere, eò quòd lex vnicuique tribuat, quod ſuum eſt. Quicquid tamen ſit de nomine, certum eſt, eligere id quod agendum eſt; cuilibet, quod ſuum eſt tribuere, & populo publicè promulgare, ad Legem pertinere.

PRÆMITTO II. Nec magis in legis definitione, quàm in etymo conſentire auctores. *Plato* in dialogo de lege, vult legem eſſe veritatis inuentionem. *Ariſtoteles*. 10. Ethic. cap. 9. definit, legem eſſe orationem quandam ex prudentiâ & mente perfectâ cognoſcendi vim habentem. Et lib. Rhetoric. ad Alexandrum cap. 1. ait: *Lex eſt oratio quædam, quæ communi ciuitatis conſenſu definita iubet, quo pacto vnumquodq́ agendum ſit.* Cicero lib. 1. de Legib. nonnullas recenſet legis definitiones, quarum hanc maximè videtur approbare. *Lex eſt ſumma ratio, inſita in naturâ, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetq́ contraria. Gratianus.* Canon. lex. diſt. 1. videtur illam amplecti ab Iſidoro lib. 5. Etymol. c. 3. aſſignatam: *Lex eſt conſtitutio ſcripta.* Et Can. lex eſt. diſt. 2. ex eodem Iſidoro cap. 10. *Lex eſt conſtitutio populi, quâ maiores natu ſimul cum plebe aliquid ſanxerunt.* Origenes in cap. 3. ad Rom. inquit, *Legem eſſe, quæ præſcribit, quid ſit agendum, vetatq́ quod eſt fugiendum.* Aliter definitur à Gerſone. 1. part. de poteſt. Eccleſiaſticâ, conſideratione primâ. A Maiore & Gabriele in 3. diſt. 37. quæſt. 1. Alphonſ. de Caſtro, lib. 1. de lege pœnali. cap. 1. Auguſtin. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 6. & lib. 22. contrà Fauſtum cap. 16.

RECEPTISSIMA Legis definitio illa eſt, quam D. Thomas hoc loco affert. art. 4. *Lex eſt, quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Hac enim videntur omnia explicari, quę ad naturam legis pertinent. Controuerſia tãtùm in eo eſt, vt rectè intelligatur; quia ſingulis partibus ſua difficultas ineſt. *Primò* igitur videndum eſt, vtrum lex ad intellectum, an verò ad voluntatem pertineat?

PRIMA SENTENTIA eſt, quæ affirmat legem eſſe actum voluntatis. Ità ſentiunt Henricus, quodlib. 9. quæſt. 6. Durand. in 2. diſt. 24. quæſt. 2. & diſt. 37. quæſt. 2. Gabr. in 2. diſt. 39. quæſt. 1, art. 2. notat. 3. Almayn. tract. 3. moral. capit. 2. Maior in 3. diſtinct. 33. quæſt. 7. Caſtro lib. 1. de lege pœnali. cap. 1. &c. *Probatur hæc ſen-*

tentia 1. authoritate Scripturæ Sacræ, quæ legem passim voluntatis nomine significat. Psal. 32. *Notas fecit vias suas Moysi, & filijs Israël voluntates suas*; id est, leges, & præcepta sua. Matth. 7. & 12. *Qui fecerit voluntatem patris mei* 2. Machab. 1. *DEVS det vobis, vt faciatis eius voluntatem.* Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.* Deindè ex modo loquendi Iuris Ciuilis. *l. In ambiguo.* ff. de legib. dicitur consuetudo obtinere vim legis; quia declarat voluntatem principis. Lege 1. ff de constitutionibus principũ: *Quod principi placuit, legis habet vigorem.* In institut. de iure naturali, gentium, & ciuili. §. *Constat.* principum placita appellantur leges & constitutiones. *Tertiò ratione.* Officium legis est, mouere subditos in finem. Sed mouere in finẽ, opus est proprium voluntatis. Ergò lex opus est voluntatis. *Confirmatur.* Lex ad eam facultatem pertinet, quæ vim habet obligandi. At vis obligandi propriè est in voluntate; quod ex eo patet; quia etiamsi subditus cognoscat, quid sentiat aut iudicet superior; nisi tamen sciat illum velle aliquid à se fieri, non tenetur obedire; & cùm id nouit, tenetur obedire; Ergò lex propriè pertinet ad voluntatem.

SECVNDA SENTENTIA docet; Legem esse actum intellectus. Ità D. Thomas hoc loco art. 1. Caietan. Conradus, & Thomistæ ibid. Sot. lib. 1. de Iustitiâ. quæst. 1. art. 1. Alens. 3. part. quæst. 26. Richard. in 3. dist. 33. art. 2. qu. 6. ad tertium. Antonin. 2. part. tit. 4. cap. 10. & alij. Probatur hæc sententia. *Primò.* Lex est mensura & regula nostrarum actionum; & ideo lege 2. ff. de legib. dicitur *iustorum & iniustorum regula*: Sed ratio est, quæ regulat actiones humanas; quia ipsa est, quæ præscribit, quid agendum aut fugiendum sit: Ergò lex est opus rationis. *Secundò.* Legis est præcipere & vetare. *l. legis virtus.* ff. de legibus. At præcipere & vetare est officium intellectus, teste Aristotele. 3. polit. cap. 3. vbi docet, prudentiam propriam esse principis, quia ipsius est præcipere: Ergò lex est aliquid pertinens ad intellectum. *Tertiò.* Lex naturalis, non est nisi dictamen quoddam rationis: Lex æterna DEI, non est nisi ratio eius æterna: ac proindè vtraque consistit in ratione Ergò idem sentiendum est de qualibet aliâ lege; quælibet enim participatio quædam est legis æternæ & diuinæ; iuxtà illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* Pro resolutione controuersiæ.

NOTANDVM est. I. Ad natu-

ram legis duo pertinere; ostendere, quid sit agendum aut vitandum; & ad agendum aut vitandum obligare. *Ratio est.* Quia legis est, dirigere in finem, & mouere. At non aliter dirigit, quàm quia ostendit, quid sit agendum; nec aliter mouere potest, nisi obligando. Ergò. *Confirmatur.* Quia peccatum non est, nisi sit contrà legem, vt docet Augustinus lib. 22. contrà Faustum. cap. 27. & indicat D. Paulus ad Rom. 4. *Vbi non est lex, nec præuaricatio.* At peccatum non est, nisi sit contrà regulam, quæ ostendat quid agendū fugiendúmue sit, & ad id obliget. Vndè si tollatur notitia per ignorantiam inuincibilem; vel cesset obligatio per priuilegium, statim actio illa, quæ erat peccatum desinit esse peccatum. Vtrumque ergò debet includi in naturâ legis.

Notandvm est II. Aliter obligare legem naturalem, & aliter positiuam. Vt enim lex positiua obliget, pendere debet à voluntate legislatoris. Id quod rectè probant argumenta sententiæ secundæ. Lex autem naturalis vim obligandi habet non à voluntate aliquâ, etiam Dei, sed à seipsâ. Ratio differentiæ huius indè colligi potest. Quia quæ legi naturali repugnāt ex se & intrinsecè, ac proindè antè omnem voluntatem, mala & peccata sunt. Cùm ergò peccatum omne contrà aliquam obligationem sit, sequitur, vt lex naturalis ex se, & ante omnem voluntatem obliget; quæ caussa est, vt in hac lege neque Devs dispensare possit, iuxtà ea, quæ infrà dicemus. Quæ verò repugnant legi merè positiuæ, non sunt ex se, & intrinsecè mala; sed ideò mala & peccata sunt, quia sunt prohibita; ac proindè obligatio, quam violant, supponit voluntatem legislatoris, ex eaque oritur. Nam posito quocunque etiam iudicio principis, nisi accedat eiusdem voluntas, quâ aliquid velit fieri à subditis, nulla consurgit in iis obligatio. Vt ergò lex positiua obliget, pendere debet à voluntate eius, qui dominium & potestatem habet.

Notandvm est III. Cùm voluntas eius, qui imperium & potestatem habet, duplicem possit habere actum circa subditos: *Vnum*, quo vult subditum aliquid facere, vel omittere: *Alterū*, quo vult subditum esse obligatum ad aliquid faciendum, vel omittendum; dubitari potest, ex vtro eorum legis obligatio nascatur? Nam eos formaliter inter se distingui, indè constat, quia distincta habent obiecta; alterius enim obiectum est actio, vel omis-

sio subditi; alterius verò obligatio ad agendum vel omittendum; quæ distincta esse inter se nemo ambigit, cùm possit dari actio vel omissio sine obligatione. In hac dubitatione certum mihi videtur, vt lex obliget, non esse necessarium secundum actum voluntatis; quia si princeps aliquid imperet, etiamsi nihil cogitet de obligatione; tenetur tamen subditus obedire; Ergò ad obligationem legis non requiritur formalis & explicitus ille actus voluntatis, quo superior velit subditum esse obligatum: sicuti vt promissio aut votum obliget, non requiritur formalis & explicita voluntas sese obligandi. Vndè sufficit ad legis obligationem prior actus voluntatis, quo is, qui imperium & potestatem habet, vult subditum aliquid facere vel omittere; qui cùm in principe est, & subditis promulgatur, statim oritur ex eo obligatio; dummodò id, quod præcipitur, cũ honestate & iustitiâ non pugnet *Vbi obserua.* Hunc actum voluntatis virtute includere alterum. Nam cùm caussa sit obligationis in subdito; princeps eodem actu, quo vult subditum aliquid facere vel omittere, censetur velle illum obligare ad aliquid faciendum vel omittendum; licet voluntate formali & explicitâ in obligationẽ illam non feratur: *His positis.*

DICO I. Lex naturalis præcisè spectata ad solam rationem pertinet. Nam & directiuâ est nostrarum actionum, & vim obligandi habet antè omnem voluntatem. Ergò in solâ ratione consistit.

DICO. II. Lex positiua, vtroque intellectus scilicet & voluntatis actu continetur. In hac conclusione (si contentionem de nomine seponamus, quòd alij vocabulum legis intellectui, alij volũtati rectiùs accommodari existiment) omnes conuenire debent. Nam omnium confessione certum est, legem esse regulam seu mensuram, quæ nos dirigit in nostris actionibus, ostendendo videlicet, quid agendum, aut omittendum sit; & simul obligat, vt quod agendũ est, agamus; & quod fugiendum, fugiamus: Primum habet lex positiua ab intellectu; alterũ à voluntate; Ergò lex positiua vtroque, intellectus scilicet & voluntatis, actu constat. De actu voluntatis, à quo obligatio oritur, satis dictum est. De actu intellectus dubitatio superest, sitnè iudicium de re agendâ, quod antecedit voluntatem; an verò imperium seu intimatio, quæ subsequitur? *Alij* volunt esse iudiciũ, quod antece-

dit voluntatem, quo legislator iudicat, rem talem esse conuenientem bono communi, & expedire, vt ab omnibus seruetur. *Aly* imperium, quod subsequitur voluntatem, quo superior voluntatem suam de re agendâ vel omittendâ inferiori intimat, proponit & insinuat. Quæ sententia verisimilior est. Hoc enim imperium est, quod propriè dirigit actiones nostras, & ostendit quid faciendum, aut omittendũ sit. Vnde rectè explicatur formulâ & voce præceptiuâ. *Fac hoc, Ne facias, &c.* Vide quæ suprà qu. 17. art. 1. disput. 1. & 2. diximus. *Quòd si obÿcias*, subditos imperium hoc, seu intimationem, cum in intellectu superioris lateat, non percipere. *Respondeo.* Eius interpretem, & quasi præconem esse promulgationem exteriorem; sine quâ lex vim dirigendi & obligandi, quam habet, tanquàm sine conditione eam applicante, in subditos non exerit. Lege enim, nisi innotescat, subditi nec dirigi, nec astringi possunt. Sed de hoc infrà. *Ex dictis.*

Colligitvr. I. Progressio, quam legislator in ferendâ lege positiuâ obseruat. *Primò* enim ponderatis prudenter omnibus, circumstantiis, modo & medijs iudicat expedire bono publico, vt aliquid à subditis seruetur. *Secũdò* eligit & vult obseruari à subditis id, quod iudicauit expedire. *Tertiò* hoc decretũ voluntatis suę internâ intimatione seu imperio ad subditos dirigit. *Fac. Ne facias. &c. Postremò.* Voluntatem simul & imperium externo signo & promulgatione manifestat. Ex his actibus primus ad inchoationem, secundus & tertius ad substantiam, postremus ad complementum legis pertinent. Plures actus fingit & recenset Suarez lib. 1. de Legibus cap. 4. num. 14. quorum, quia ad intricationem potiùs, quam explicationem legis faciunt, & porrò in infinitum trahi ac multiplicari possunt, non existimo rationem esse habendam.

Colligitvr. II. Non rectè philosophari eos, qui legem non in actu aliquo intellectus aut voluntatis; sed in rebus ipsis positam esse volunt; nihilque aliud esse, quàm obiectum complexum intellectus practici. V. G. *Parentes sunt honorandi: Sacrum Missæ die festo audiendum est: Non est celebranda Missa sine veste sacrâ. &c.* Hæc enim & similia, cùm lege præcipiantur aut vetentur, materia potiùs legis sunt, quàm lex ipsa formaliter.

Colligitvr III. Quid intersit in-

sit inter legem & consilium? Differunt enim; quia Lex dirigit simul & obligat; consilium autem dirigit quidem, non tamen obligat. Ità D. Thom. quæstione 108. articulo 4.

DISPVTATIO II.

Vtrum lex semper ordinetur ad bonum commune?

ALTERA suprà positæ definitionis pars est, vt lex ordinata sit in bonum commune. Cuius duplex sensus esse potest; vterque discussione dignus. *Primus.* Vtrum lex ad aliquam communitatem dirigi debeat; an verò satis sit, vt vni aut alteri homini imponatur? *Ad cuius resolutionem.*

DICO PRIMÒ. Lex, vt propriè lex sit, ferri debet pro aliquâ communitate; nec satis est, vt vni aut alteri homini imponatur. Est communis sententia Doctorum. *Et patet inductione.* Lex enim naturalis non vnum aut alterum hominem, sed omnes homines comprehendit. Lex etiam positiua diuina pro communitate lata est; vetus quidem pro populo Iudaico; noua autem pro mundo vniuerso. De lege positiuâ humanâ tam ciuili, quàm Canonicâ idem constat ex L. 1. ff. de Legib. Vbi dicitur: *Lex est commune praceptum.* Et ex L. Iura. eod. tit. *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Et ex cap. 1. Extrà de constit. *Canonum statuta custodiuntur ab omnibus.* Et in cap. *Dua sunt.* 19. quæst. 2. Canones & decreta Patrum dicuntur esse leges publicæ. *Hinc* lex differt à præcepto seu mandato, quòd præceptum vel mandatum possit obligare vnum hominem; lex non nisi communitatem. Vndè præceptum, quod DEVS imposuit Abrahæ de immolando Isaac, non potuit dici propriè lex, quia non pertinuit ad aliquam communitatem; præceptum verò, quod imposuit Adæ in statu innocentiæ, quia & ipsum, & in ipso velut capite totam posteritatem comprehendit, propriam habuit rationem legis.

QVOD SI ROGES, quid nomine communitatis, ad quam lex aut constitutio dirigenda est, intelligatur? *Respondeo.* Ea, quæ communi aliquo iure sociatur, in quâ is, qui legem fert, iurisdictionem habet. Ex. l. *Ciuitas.* ff. si

certum petatur, & ex cap. *Dilecta*, de excessibus prælatorum. Vbi declaratur, ad communitatem non sufficere hominum multitudinem, nisi inter se aliquo fœdere, in ordine ad aliquem finem, & sub aliquo capite copulentur. Eiusmodi communitates sunt, Ecclesia Christi, Regnum, Ciuitas, Ordo religiosus, Vniuersitas. &c. Quæ ideò dici solent communitates perfectæ; quia & politicæ gubernationis sunt capaces, & sibi sufficientes, ex Aristotele 1. Polit. cap. 1. & D. Thomâ hoc loco articulo 2. *Hinc collige*, priuatam domum, cui paterfamiliâs præest, non esse communitatem perfectam; quia nec sibi est sufficiens, nec in eâ inuenitur dominium iurisdictionis; licet inueniantur alia dominia & iura imperfecta, vt maritale in vxorem; paternum in filios; herile & despoticum in seruos & famulos. Legi potest Suarez. libro 1. de legibus cap. 6. à num. 18.

Dico. II. Lex non ità communitatem respicit, quin accidere posit, vt relictâ vnâ eius parte, alteri tantùm imponatur. Occurrere enim iusta ratio potest, ob quam totius communitatis intersit, legem ferri, quæ vnam eius partem, ad certum genus armorum aut ædificiorum obliget, ad quod altera ratione loci aut conditionis personarum non obligetur. In quo casu, quia respectus & proportio seruatur ad communem gubernationem, non est existimandum aliquid decedere generalitati, quam lex requirit. Hæc de sensu primo.

Alter Sensus est. Vtrum lex ferri debeat non tantùm pro communitate, sed etiam pro communi eius bono? *Ratio dubitandi est*. Quia multæ leges sunt, quę non publicum, sed priuatum cuiusque bonum videntur respicere: *Exempli gratiâ*, Lex naturalis de tuendâ vitâ propriâ: Lex de eleemosynâ indigenti erogandâ: Lex de correptione fraternâ: lex, ne pupilli bona sua alienare posint: leges principum de persoluendis tributis & vectigalibus, & similes; quæ non videntur ad bonum publicum communitatis, sed ad priuatam principum aut subditorum vtilitatem latæ. *His tamen non obstantibus*.

Dico. Lex, vt iusta sit, ordinari debet ad commune bonum. Est communis sententia Doctorum. D. Thomæ & Thomistarum hoc loco, articulo, 2. Soto. lib. 1. de iustitiâ, quæstione 1. articulo 2. Syluestri. Verb.

Lex, in principio. & quæstione 1. & 5. Adriani quodlibet. 6. articulo 1. Castro. lib. 1. de lege pœnali. cap. 1. Antonini. 1. part. tit. 11. cap. 2. §. 1. & titulo 17. §. 3. Nauarri de finib. numero 28. Isidori apud Gratianum distinctione 4. Canone. *Erit autem lex.* Vbi glossa ait, in eo differre legem a priuilegio, quòd lex respiciat bonum commune; priuilegium verò bonum priuatum. *Et probatur primò.* Quia lex est opus publicæ potestatis ad gubernationem subditorum. Sed publica potestas propter bonum commune est. ex Aristotele. 8 Ethic. cap. 10. & 3. politic. cap. 5. & lib. 5. cap. 10. Ideò Deuteron. cap. 17. Vbi describitur forma regis, inter alia præcipitur, ne bona ciuium in suam vtilitatem conuertat, iisque ad pompam abutatur. Id quod omnibus etiam principibus præcipitur Ezechiel. 46. Et qui secùs faciunt, increpantur cap. 34 *Væ pastoribus Israël*, &c. Ergò etiam lex, quâ princeps subditos gubernat, ordinari debet ad bonum commune. *Secundò.* Principes vel eliguntur à populis, vt rempub. administrent, ob quod ministri Reipubl. appellantur; vel eliguntur à Deo, à quo omnis ordinata potestas descendit, vt tanquàm eius ministri populum sibi subditum gubernent. ad Rom. 13. & Sap. 6. sed potestas ministris ad commune bonum conceditur: Ergò illud sequi & intueri in ferendis legibus debent. *Tertiò.* Rex à tyranno differt, quia ille commune, hic verò propriū commodum quærit, ex Aristotele. 4. polit. cap. 4. & 8. Ethic. cap. 10. Ergò etiam leges Regum differre debent à legibus Tyrannorum; quia illæ ad bonum publicum; hæ verò ad priuatum diriguntur. Hinc D. Augustinus. 6. ciuit. cap. 11. inquit: *Quandò legislator, prætermisso communi bono, proprium quærit, tyrannus est.*

Ad rationem dubitandi respondetur. Omnes illas leges cōmunes esse, & ad bonum commune ordinari. Interest enim communitatis; tum vt singulæ partes, prout cuiusque conditio aut necessitas exigit, conseruentur, alantur, instruantur; tum vt ea principi cedant, quibus dignitatem suam, siue pax sit seruanda, siue bellum suscipiendum, sustinere & tueri queat; vt ità ex bonis singulorum consurgat & integretur bonum commune.

DISPVTATIO III.

An cuiusuis hominis sit legem condere?

TERTIA definitionis pars est, vt lex feratur ab eo, qui curam communitatis habet. Quâ particulâ significatur, eũ, qui legem debet ferre, debere esse superiorem, vt potestatē habeat obligādi subditos. Nemo enim potest legem imponere, nisi iis, in quos habet iurisdictionem. *l. de quibus.* ff de legibus. Nec qualemcunque etiam, sed coactiuam; vt rectè docet D. Thomas. hoc loco art 3. ad 2. & quæst. 100. artic. 9. *Hinc.*

DICO. Condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad personam, quæ totius multitudinis curam sustinet. In hac conclusione omnes conueniunt. *Et probatur.* Quia finis legis est bonum commune. At huic prospicere, aut totius multitudinis est, aut illius, cui cura multitudinis cōmissa est: Ergò & legem ferre. *Deindè.* Lex vim habet coactiuam, ex Aristotele 10. Ethic. cap. vltimo. At hæc aut est totius multitudinis, aut illius, qui curam multitudinis sustinet. Ergò.

OBIICIES. Is, qui curam habet multitudinis, potestatem condendi leges accepit à populo. Vndè consequi videtur, vt nisi leges acceptare populus velit, iis minimè obligetur. *Respondeo.* Quandò potestas legislatoris à Deo est, cuiusmodi est potestas condendi leges Ecclesiasticas in summo Pontifice, nullam esse difficultatem; nam vt eiusmodi leges obligent, non pendent vllo modo ab acceptatione subditorum, quos vel inuitos potest summus Pontifex suis legibus astringere, si vult; vt rectè notat Syluester Verbo, *Lex.* Quandò verò potestas legislatoris est à populo, tametsi nonnulli dubitent; eadem ratio videtur esse; quia etiamsi ij principes à multitudine potestatē acceperint; postquàm tamen hæc illis data & concessa est, non est ampliùs in potestate populi, nolle obedire, sed tenetur iustis legibus sui Principis obtemperare. Quarè siuè principes potestatem condendi leges habeant à DEO, siuè à populo, grauis fit iniuria principi, cùm eius leges iustæ, sine rationabili causâ non acceptantur; quia potestatem habet imperandi populo,

cui respondet obligatio obediendi in subditis. Cætera, quæ huic loco addi possent, subindè in progressu commodiùs explicabuntur.

DISPVTATIO IV.

Vtrum promulgatio pertineat ad naturam legis?

QVONIAM de promulgatione legum inferiùs, vbi de lege humanâ agendum erit, vberior instituenda erit tractatio, breuiter vnâ & alterâ conclusione disputationem hanc expediemus.

DICO I. Promulgatio necessaria est ad legem, vt obliget. Est communis sententia Doctorum. D. Thomas hoc loco art. 4. Soto lib. 1. de iustit. & iure quæst. 1. Alens. 3. part. quæst. 16. Gabriel. in 3. dist. 36. art. 1. quæst. vnicâ. Et habetur cap. *In istis*. dist. 4. vbi leges dicuntur institui, cùm promulgantur. Et in *l. leges*. C. de legib. Vbi dicitur: *Leges sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi præscripto earum manifestiùs intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta.* Atqui intelligi ab omnibus nequeũt, nisi promulgentur. Idem constat ex Authenticâ. *Vt factæ nouæ constitutiones.* & cap. *Ad hæc.* De consultatione prælatorum. cap. *Cognoscentes*. De constitutionib. *Ratio est.* Quia lex est regula & mensura communis actionum humanarum: Ergò communis eius notitia haberi debet, vt cum eâ actiones humanæ conformari possint; quod sine sufficienti propositione seu promulgatione fieri non potest.

OBIICIES. Lex vetus cessauit in Christi morte: Ergò tunc incepit obligare noua, (nè dicamus totum orbem fuisse sine lege diuinâ) quæ tamen nondum erat promulgata: Ergò promulgatio non videtur esse ad legis obligationem necessaria. *Respondeo.* De cessatione legalium magna olim fuit inter Augustinum & Hieronymum dissensio, vt constat ex literis vltrò citroque datis. Quicquid tamen de hoc sit, ad solutionem eius, quod obiicitur, tres statuo propositiones.

PRIMA est. Antè mortem Christi obligauit lex vetus. *Probatur.* 1. Quia lex vetus fuit vmbra futurorum. ad Hebr. 8. Vm-

bra autem non euanescit, nisi lumine adueniente; quod non dicitur aduenisse, nisi totâ veteri lege adimpletâ, quod fuit, quandò Christus in Cruce dixit: *Consummatum est*. Et: *Velum templi scissum est*; vt indicat D. Paulus ad Hebr. 9. *Deindè*. Tunc liberati sumus à lege, quandò liberati sumus à peccato, vt colligitur ex cap. 2. ad Heb. & 7. ad Rom. sed â peccato liberati sumus in morte Christi. *Tertiò*. Translatio legis facta est cum translatione sacerdotij, Hebr. 7. hæc autem facta est in morte Christi; vt indicat idem Apostolus: Ergò.

Altera propositio. Toto tempore, quo Christus prædicauit, simul currebant lex vetus sub præcepto; & lex noua sub consilio. Vndè circumcisio tunc obligauit, baptismus non obligauit.

Tertia propositio. Lex Mosaica ab ipso statim mortis Christi momento cessauit, & cœpit obligare lex Euãgelica. *Prima pars probatur*. Quia trãslato sacerdotio necesse est, legis translationẽ fieri. Hebr. 7. Sed in ipso momento mortis Christi translatum est Sacerdotium; in quo Sacerdos in æternum Christus seipsum patri obtulit, & vnâ oblatione consummauit, in æternum sanctificatos. Hebr. 10. Ergò & legem transferri oportuit. *Deindè*. Tunc Christus dixit: *Consummatum est*, Ioan. 19. Quibus verbis D. Thomas quæst. 103. art. 3. & alij Scholastici rectè docent, Christum virtutem omnem cæremoniarum antiquarum euacuasse & abrogasse. *Tertiò*. Tunc velum templi scissum est. Matth. 27. Hinc etiam altera pars constat. Nam, vt rectè notat Sotus lib. 2. de iustit. & iure. quæst. 5. artic. 4. eodem momento, quo lex antiqua cessauit, debuit noua habere vim suam. *Adde* iam etiam fuisse promulgatam: Primò per Prophetas, qui prædixerant credendum esse Messiæ, quem se esse Christus miraculis & signis demonstrauerat: Secundò â Christo, qui legem nouam Iudæis proposuit, licet postea gentibus â festo Pentecostes per Apostolos fuerit annunciata. Neque durum est, legem nouam tunc vim habuisse obligandi, quæ nondum omnibus erat manifesta; quia ignorantes eam à peccato excusabantur.

Hic observa. Tametsi cæremoniæ legales in ipsâ morte Christi fuerint mortuæ & abrogatæ; non tamen illicò fuerunt mortiferæ; Sed obseruari aliquamdiu potuerunt citrà peccatum mortale; non quidem spiri-

tu Iudaico, tanquàm signa Christi venturi & passuri; iam enim peractum erat mysterium redemptionis; nec eâ opinione, quasi earum obseruatio esset ad salutem necessaria; nec ex affectu simulationis; sed eo tantùm fine, vt appareret non fuisse malas, aut superstitiosas, cuiusmodi erant cæremoniæ gentilium; sed à DEO institutas & profectas. Hoc modo Paulus cum Iudæis purificatus est. Actor. 21. & Timotheum circumcidit. Actor. 16. Volebat enim significare, se non contemnere circumcisionem & purificationem, tanquàm res malas & superstitiosas, sed venerari potiùs, tanquàm quæ fuerint à DEO institutæ. Quo sensu intelligendum etiam illud est, quod à Theologis dici solet; *Synagogam cum honore sepeliri debuisse*: Hoc est, non statim ac mortua erat, debuisse tanquàm infame cadauer abiici; sed tantisper tolerari, dum Iudæi ad Christum recèns conuersi, cùm iis, qui ex gentibus crediderant, in perfectâ fidei vnitate coalescerent. Legi potest D. Thomas. quæst. 103. art. 4.

DICO II. Promulgatio non est de essentiâ legis. *Patet*. Quia tota essentia legis est à principe habēte potestatem. At promulgatio non est à principe, sed à præcone, qui vel voce legem promulgat, vel locis solitis affigit. Ergo non est de essentiâ legis. Vnde tantùm cōditio est ad complementum legis necessaria; quâ lex in tali statu ponitur, vt omnibus nota esse possit. Quæ conditio propriè in lege humanâ elucescit.

QVAESTIO XCI.

De Legum diuersitate.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum sit aliqua lex æterna?* CONCLVSIO est. Lex æterna est ipsa ratio gubernationis rerum in DEO, tanquàm principe vniuersitatis.

ARTICVLO II. *Vtrum sit in nobis aliqua lex naturalis?* CONCLVSIO est. Lex naturalis nihil aliud est, nisi participatio legis æternæ in rationali creaturâ.

ARTICVLO III. *Vtrum sit lex*

aliqua humana? CONCLVSIO est affirmans, & clara ex textu.

ARTICVLO IV. *Vtrum fuerit necessarium, esse aliquam legem diuinam?* CONCLVSIO est affirmans; quam D. Thomas quatuor rationibus perspicuè ostendit.

ARTICVLO V. *Vtrum lex diuina sit vna tantùm?* CONCLVSIO I. Lex diuina non est vna; sed distinguitur in nouam & veterem. Hanc probat D. Thomas. Translato enim sacerdotio, lex etiam translata est. Hebr. 7. sed duplex est sacerdotium: Leuiticum nempè & Christi, vt ibid. D. Paulus. Ergò duplex etiam lex est. CONCLVSIO II. Hæ duæ leges non distinguuntur, tanquàm duæ species eiusdem generis; quomodo distinguuntur, Homo V. G. & Leo; sed differunt sicut perfectum & imperfectum in eodem genere. Vndè Apostolus ad Galat. 3. comparat statum veteris legis statui puerili sub pædagogo; statum verò legis nouæ statui viri perfecti.

ARTICVLO VI. *Vtrum sit aliqua lex fomitis?* Mouet hanc dubitationem D. Thomas propter illud Pauli ad Rom. 7. *Video legem aliam in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Vbi inclinatio fomitis in nobis latiori significatione lex appellatur; quatenùs inclinatio seu propensio cuiusque rei dici potest lex, iuxtà illud prouerb. 8. *Et legem ponebat aquis, nè transirent fines suos.* Et quamuis hæc inclinatio nó possit dici lex hominis, vt homo est & ratione vtitur, quem Paulus appellat hominem interiorem; negari tamen non potest, esse legem appetitus & membrorum. Appetitus enim, quatenùs animalis, hanc habet vt regulam sibi conuenientem, sicut aqua grauitatem.

QVÆSTIO XCII.

De effectibus Legis.

DVO SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum effectus legis sit, facere homines bonos?* CONCLVSIO est. Leges, quæ verè & propriè leges sunt, etiamsi ciuiles & humanæ sint, dum obseruantur ex affectu virtutis, cuius respectu feruntur, efficiunt hominem studiosum & bonum.

ARTICVLO II. *Vtrum legis*

actus conuenienter assignentur? Conclusio est. Legis actus rectè assignantur ab Isidoro lib. 1. Etymolog. cap. 19. Et refertur in cap. *Omnis autem.* dist. 4. nempè, *Præcipere, vetare, permittere, punire.* Vbi obserua. Isidorum prædictos effectus non cuicunq; legi tribuere; sed tantùm scriptæ & positiuæ. Nam loco allegato definit legem his verbis: *Lex est constitutio scripta. Eò quòd à legendo dicta sit.* Primus igitur secundum Isidorum legis scriptæ effectus est, *Præcipere.* Vt cum lex præcipit seruos publicari. l. *Si postulauerit.* §. Quæstione. & §. Iubet. ff. ad legem Iuliam de adulterijs. Secundus effectus est. *Permittere.* Quod tum fit, cùm aliqua actio relinquitur in liberâ potestate subditi. In quo genere semper includitur aliquod præceptum, aut prohibitio. *Exempli causâ.* Lex, quæ decernit, vt liberum sit militi post sententiam vti exceptione, simul etiam præcipit iudici. l. 1. Cod. *De iuris & facti ignorantiâ*, ne militem ab eiusmodi exceptione impediat. Tertius effectus est, *Vetare*: Ità lex prohibet, nè res Ecclesiasticæ distrahantur. l. *iubemus.* 2. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs. Postremus effectus est; *Punire*, hoc est, pœnam statuere suo tempore infligendam. Eiusmodi sunt illæ leges, quæ pœnas irrogant delictis, vt constat ex toto titulo de Pœnis, in Digestis & Codice. Nam, vt Isidorus loco allegato inquit: *Aut præmio aut pœnâ vita moderatur humana.*

QVAESTIO XCIII.

De Lege æternâ.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARticvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum lex æterna sit summa ratio in DEO existens?* Conclvsio est. Lex æterna nihil est aliud, quàm ratio diuinæ sapientiæ, prout est directiua omnium actuum, & motionum in finem debitum.

Articvlo II. *Vtrum lex æterna sit omnibus nota?* Conclvsio est. Lex æterna prout in seipsâ est, nemini nota est nisi ipsi Deo & beatis; aliqua tamen eius participatio à creaturâ rationali cognoscitur. Quia quæcunque veritas est quædam participatio legis æternæ; omnis autem creatura rationalis cognoscit aliquam veritatem.

ARTICVLO III. *Vtrum omnis lex deriuetur à lege æternâ?* CONCLVSIO est. Omnes leges, prout participant de rectâ ratione, deriuantur à lege æternâ?

ARTICVLO IV. *Vtrum necessaria & æterna subyciantur legi æternæ?* CONCLVSIO est. Omnia quæ à Deo creata sunt, siuè sint contingentia, siuè necessaria, subduntur legi æternæ; non autem quæ sunt intrà ipsum DEVM.

ARTICVLO V. *Vtrum naturalia contingentia subsint legi æternæ?* CONCLVSIO est Creaturę irrationales subduntur legi æternę, quatenùs mouentur à diuinâ prouidentiâ; non autem intellectione diuini præcepti; quasi intellectu percipiant imperium diuinum & iussionem, sicut intelligit creatura rationalis.

ARTICVLO VI. *Vtrum omnes res humanæ subyciantur legi æternæ?* CONCLVSIO I. est. Boni homines perpetuò subduntur legi æternæ, quatenùs secundum illam operantur. CONCLVSIO. II. Mali eidem legi subduntur, quatenùs imperfectè eam cognoscunt, & imperfectè ad bonum inclinantur.

DISPVTATIO VNICA.

Quid sit lex æterna?

SVPPONO. I. cùm communi Theologorum sententiâ, dari legem aliquam æternam. Ità docent D. Thomas, Caietanus & alij Thomistæ hoc loco. Alens. 3. part. quæst. 26. memb. 1. Antonin. 1. p. tit. 11. cap. 2. §. 4. & tit. 12. à principio, Sotus lib. 1. de iustit. quæst. 3. Turrecremata cap. *Omnes leges.* dist. 1. Syluester. Angelus, Tabiena, Armilla Verbo. *Lex.* & sumitur ex August. lib. de verâ relig. cap. 30. & lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. & 6. & lib. 22. contrà Faustum, cap. 27.

SVPPONO. II. Legem æternam esse in Deo ipso. *Ratio euidens est:* Quia extra DEVM nihil est æternum. *His positis,* difficultas est; in quo formaliter consistat lex æterna?

DICO. Lex æterna formaliter nihil aliud est, quàm æterna DEI ordinatio, secundum quam res creatæ omnes in tempore gubernantur: Hoc est, quâ DEVS creaturas omnes in fines suos ad bonum totius vniuersi dirigit, & mouet:

mouet. Mouet, inquam, vel imponendo obligationem moralem, si sint creaturæ intellectu præditæ; vel imprimendo inclinationem naturalem, si sint res & creaturæ ratione carentes. Ità communiter Doctores. *Ex quâ doctrinâ.*

COLLIGITVR. I. Legem æternam vtroque actu DEI, intellectus scilicet & voluntatis contineri. Nam & dirigere debet, quod ab intellectu habet; & afferre obligationem seu necessitatẽ, quod habet à voluntate. Hoc intendit D. Augustinus quandò lib. 22. cõtrà Faustum c. 27. inquit: Legem æternam esse rationem vel volũtatem DEI, quæ rerum ordinem seruari iubet, perturbari vetat. *Vbi obserua*, aliter obligari lege ęternâ creaturas irrationales, aliter verò creaturas intellectu præditas. Illas enim physicè necessitat, prout natura cuiusque postulat; has autem moraliter tantùm obligat; quia scilicet vt nõ peccent, necesse est, vt æternæ legi se conforment.

COLLIGITVR. II. Legem æternam ratione tantùm differre à prouidentiâ diuinâ. Mens enim & voluntas diuina, quatenùs res in suos fines per media ordinat, dicitur Prouidentia; quatenùs verò aliquam necessitatem seu obligationem illis imponit, appellatur Lex. Idem & potiori ratione de diuinis ideis sentiendum est. Nam & illas ratio à lege æternâ discriminat: Tum quià ideæ propriè sunt circà rerum creationem seu productionem; lex verò magis versatur circà rerum gubernationem; Tum quia ideę ità sunt in intellectu diuino, vt non includant voluntatem obligandi creaturas: quam tamen includit lex æterna.

COLLIGITVR. III. Quid dicendum sit ad illam quæstionem: *Vtrum sicuti plures dicuntur esse ideæ in DEO; ità etiam dici possint plures leges æternæ?* Negat D. Thomas quæst. 93. articul. 1. ad 1. Nos distinctione opus esse arbitramur. Si enim consideretur lex æterna, prout res ipsas respicit, quæ legi dicuntur subiici; Sic plures dici possunt leges ęternę pro diuersitate rerum, quę alio vel alio modo gubernantur; sicuti ideę etiam ex respectu ad diuersas creaturas multiplicantur. Vndè alia secundum rationem dici potest lex ęterna respectu rerum necessariarum; alia respectu contingentium; alia respectu creaturarum rationalium; alia respectu rerum aliarum. Si verò consideretur vt ad vnum & vniuersalissimum finem seu termi-

num refertur, nempè ad commune bonum totius vniuersi; sic lex æterna dicitur esse vna, non minùs, quàm vna in Deo prouidentia. In quo differt ab ideis diuinis, quæ ità rerum naturas sigillatim respiciunt, vt non includant ordinem ad vnum & communem terminum.

Colligitur. IV. Omnes omninò creaturas subiici legi æternæ; tametsi non eodem modo. *Prima pars clara est.* Quia omnes creaturæ à Deo in fines suos ad bonū totius vniuersi ordinantur modo suprà explicato. Hæc autē ordinatio lex æterna est; Ergò omnes creaturæ subiiciuntur legi ęternę. *Altera ex eo patet*; quia aliter obligat lex æterna creaturas irrationales, & aliter creaturas intellectu & ratione præditas, vt dictum est. Sed an Devs etiam legi ęternę subiiciatur? Rectè docent, qui negant. Non enim habet Devs superiorem, à quo gubernetur.

Colligitur V. Omnem legem aliquo modo deriuari à lege æternâ. Ità docent cum D. Thomâ quæst. 93. art. 3. Theologi omnes. Et clarè August. lib. 1. de liber. arbit. cap. 6. Vbi inquit, Nihil esse in temporali lege iustum atque legitimum, quod ex lege æternâ non deriuetur. *Ratio generalis est.* Quia lex æterna est lex per essentiam; omnis autem alia per participationem. Ergò necesse est, vt omnis alia lex sit aliquo modo effectus legis æternæ.

Colligitur postremò. Legem æternam secundum se præcisè consideratam, non esse propriè & in rigore legem. Et quidem de lege æternâ, quatenùs creaturas irrationales respicit, res certa est. Quia ad legem propriè dictam requiritur obligatio moralis, cuius non sunt capaces creaturæ irrationales. Idem ostenditur de eâ, vt ad creaturas intellectu præditas refertur. Lex enim propriè & in rigore sumpta obligare debet: Atqui lex æterna præcisè, vt æterna est. & ab omni aliâ lege separatur, considerata non obligat; quia vt obliget, ità promulgari debet, vt cognosci possit. Lex autem æterna non potest innotescere; ac proindè nec obligare, nisi mediante lege aliâ, siuè naturali, siuè positiuâ: Ergò secundum se præcisè cōsiderata, & nisi alicui alteri legi coniungatur, in quâ veluti in effectu & participatione quadam sui innotescat, non obtinet rationem legis propriè dictæ. Legi potest Suarez. lib. 2. de legib. cap. 4. num. 10. & Gregorius de Valentiâ. Disput. 7. quæst. 3. punct. 3.

QVAESTIO XCIV.

De Lege naturali.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum lex naturalis sit habitus?* CONCLVSIO est. Lex naturalis non est habitus intellectus, seu qualitas ex actibus sæpiùs repetitis comparata; sed est actio seu præscriptio quædam rectæ rationis, quâ quid agendum fugiendúmve sit, præscribitur.

ARTICVLO II. *Vtrum lex naturalis contineat plura præcepta?* CONCLVSIO est. Plura sunt præcepta legis naturalis, quæ ordinem quendam inter se habent, & alia aliis sunt priora.

ARTICVLO III *Vtrum omnes actus virtutum sint de lege naturæ?* CONCLVSIO est. Omnia opera virtutum, quæ sub præceptum cadunt, si considerentur secundum rationem communem boni, non consideratâ materiâ singulari, sunt de lege naturæ. Quod verò attinet ad determinationem materiæ, non omnes actus virtutum pertinent ad legem naturalem; quia aliquarum virtutum materia à lege humanâ determinatur. *Exempli causâ*: Temperanter viuere, præcipit lex naturæ; at verò hanc materiam; nempè ieiunium, seu abstinentiam ab his illisvè cibis, lex naturæ non definit, sed positiua.

ARTICVLO IV. *Vtrum lex naturalis sit vna apud omnes?* CONCLVSIO est. Lex naturæ, si communia principia spectes, eadem est apud omnes; vt autem conclusiones etiam comprehendit, quæ ex communibus principiis deducuntur, non eadem apud omnes est; ob ignorantiæ & morum impedimenta, quæ in variis hominum nationibus occurrũt. Quò fit, vt cùm omnes rectè iudicent de principiis communibus naturalis legis, quale est illud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; de conclusionibus tamen, quæ indè deducuntur, non omnes eodem modo sentiunt.

ARTICVLO V. *Vtrum lex naturæ mutari possit?* CONCLVSIO est. Lex naturalis quoad prima principia naturáliter nota non potest mutari; quoad alia verò, quæ ex his deducuntur, mutari potest. Nam ea, quæ iure naturali præcipiuntur aut prohibentur,

bifariam considerari possunt. Vno modo secundum se præcisis omnibus circumstantiis; altero modo, vt subsunt certis quibusdā circumstantiis. Quę ius naturale priori modo pręcipit aut prohibet, mutari non possunt; quia intrinsecè, & independenter ab omni voluntate, bona aut mala sunt. Quę verò secundo modo pręcipit aut prohibet, tametsi positis iisdē circumstantiis mutari nequeant; quia tamē possunt non habere easdem circumstantias; necesse est, vt mutationem possint recipere. *E. G.* Reddere depositum ius naturę pręcipit. Si tamen accedat circūstantia detrimenti publici, itàvt reddi sinè dāno Reip. nequeat, reddi depositū non debet; quia circumstātia nocumenti opus illud ab obligatione iuris naturę eximit. Eadem ratione mutari etiam id potest, quod ius naturę non pręcipit aut vetat; sed tantùm cōsulit aut permittit. (quod dici solet negatiuè esse de iure naturali.) Sic cū libertas dicatur esse de iure naturę; iure tamen gentiū introductę sunt seruitutes. Hoc sensu intelligi debet Iustinianus. §. *Ius gentium.* Institu. de iure naturali & gentium; cùm ait, Bella, Seruitutes, Captiuitates esse introductas contrà ius naturę. vt patet ex. §. 1. de libertinis.

ARTICVLO VI. *Vtrum lex naturæ possit à cordibus hominum aboleri?* CONCLVSIO est. Lex naturę quoad principia vniuersalissima, qualia sunt: *Bonum esse amplectendum; malum verò fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: non potest aboleri à cordibus hominum. Quoad principia verò paulò obscuriora, & quę difficiliùs ex principiis vniuersalioribus deducuntur, potest ob prauos mores, aut ignorantiam alicuius gentis, à corde hominis alicuius eximi.

DISPVTATIO I.

Quid sit lex naturalis?

LEGEM naturalem appellamus, quam natura hominibus indidit, iuxtà illud Apost. ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Hoc est: Gentiles non habentes legem scriptā, habēt legē naturaliter sibi inditam, cuius ductu & lumine pleraque, faciliora saltem legis naturalis opera perficiunt. Ità Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Occumenius. De hac lege

diffi-

difficultas est, in quo formaliter consistat?

Alii volunt legem naturalem esse ipsam naturam rationalem, quæ est prima regula bonitatis & malitiæ moralis, vt Vasquez 1. 2. disp. 150. cap. 3. *Alÿ* rationem seu intellectum, qui est vis & facultas naturæ rationalis, quam habet ad discernendum, quid bonum sit, & primæ regulę conueniens, aut malum & disconueniens. Vt Albertus Bolognetus tract. de Iure & æquitate cap. 3. num. 25. & 26. *Alÿ* habitum in intellectu, quo bonum à malo discernimus. vt Alens. 3. part. quęst. 27. memb. 2. *Alÿ* actum intellectus, vt D. Thomas hoc loco art. 1. & reliqui Theologi communiter.

Dico I. Lex naturalis non est ipsa natura rationalis. *Probatur.* Tametsi enim natura rationalis sit regula & mēsura obiectiua bonitatis & malitiæ moralis actuū humanorū, (illa enim operatio moraliter bona est, quæ naturæ rationali congruit; & illa moraliter mala, quæ ei dissentanea est) non tamen est regula formalis, quæ præcipiat, aut prohibeat, dirigat, aut illuminet, aut alium proprium effectum legis habeat: Ergò ipsa secundum se spectata non habet rationem legis. *Confirmatur.* Lex naturalis dicitur in cordibus hominum scripta & impressa, vt rectè docet August. 2. de sermone domini in monte. c. 2. vbi inquit: *Quis scribit in cordibus hominum naturalē Legem, nisi DEVS?* Et Ambros. epist. 71. ait: *Naturalem legem infudit DEVS singulorum pectoribus.* Et constat ex illo ad Rom. 2. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergò lex naturalis non est ipsa natura rationalis. Quis enim dicat naturam rationalem inscribi, aut imprimi mentibus hominum?

Dico. II. Lex naturalis non est ratio ipsa in homine, seu intellectus. Est communis sententia. *Et probatur.* Quia ratio est caussa efficiens legis naturalis in homine; ipsa enim est, quę prę-scribit documenta & leges benè operandi. Vndè D. Thomas. qu. 91. art. 1. ad 2. & art. 2. & quęst. 94. art. 1. docet rationem esse factiuā legis naturalis. Ergò ipsa non est lex naturalis; quia idem non est caussa efficiens sui ipsius.

Dico. III. Lex naturalis propriè non est aliquis habitus. Ità docent contrà Alensem communiter Theologi. *Et probatur.* Quia legis naturalis est, pręcipere, dirigere, ostēdere & proponere voluntati, quid agendū fugiendumque sit. Hęc autem cōuenire non

possunt habitui propriè sumpto, cuius tantummodò munus est, inclinare ad operandum. Ergò lex naturalis propriè non consistit in aliquo habitu.

Dico IV. Lex naturalis propriè & formaliter est iudicium seu dictamen rationis nostræ de agendis iis, quæ ex se bona & naturæ rationali consentanea sunt; & fugiendis, quę ex se mala sunt, & naturæ rationali dissona. *Vbi obserua.* Nos loqui de lege naturali, non vt in Deo est, tanquàm supremo legislatore, quo modo non distinguitur à lege æternâ; de qua actum suprà est; sed de lege naturæ temporali, prout existit in hominibus, quorum cordibus dicitur inscripta & indita. Hanc consistere in prædicto actu intellectus, docent cũ D. Thomâ Caietanus, Conradus, Medina quęst. 90. & 94. art. 1. Sotus. 1. de iustit. quęst. 4. art. 1. Antonin. 1. part. tit. 13. cap. 1. in princip. Gabriel in 3. dist. 37. qu. 1. art. 1. Richard. art. 1. q. 1. Azorius lib. 6. c. 1. q. 1. Gregorius de Valentia disp. 7. quęst. 4. punct. 1. & alii. *Et ratio est.* Quia iudicium seu dictamen illud est, quod pręscribit quid naturę rationali conforme, quidque sequendum, aut fugiendum sit; & ad agendum, seu vitandum obligat. Ergò verã obtinet rationem legis naturalis.

Obiicies. I. Lex naturalis semper manet in homine; quia & insita ipsi est, nec deleri de corde eius potest. At non semper manet in homine iudicium seu dictamen actuale rationis. Ergò lex naturalis non consistit in iudicio seu dictamine actuali rationis. *Respondeo.* Lex naturalis non ideò dicitur semper in homine manere, quòd iudicium de rebus agendis, in quo formaliter posita est, actu semper existat; sed quia principium eius, quod in homine est, nempè ratio naturalis, semper expedita & prompta est ad iudicium & dictamen illud facilè, propriâ virtute, & sinè vllo externi doctoris alicuius magisterio eliciendum.

Obiicies II. Sunt quędam actiones, quarum malitia antecedit omne iudicium rationis; quales sunt, quę intrinsecè & ex naturâ suâ malę sunt; vt mendacium, blasphemia, periurium, odium Dei &c. Sed omnis actio ex se & intrinsecè mala repugnat legi naturali. Ergò lex naturalis antecedit omne iudicium rationis; ac proindè consistere non potest in actuali iudicio rationis. *Respondeo.* Actiones, quę ex se & intrinsecè malę sunt, intelligi quidem possunt antè iudicium rationis repugnare primę & obiectiuę regulę honestatis & tur-

pitudinis actuum humanorum, nempè naturæ rationali; quæ est radix, principium & caussa legis naturalis; non tamen repugnare regulæ proximæ & formali, quæ propriè lex naturalis est; hanc enim probauimus consistere in ipso iudicio & dictamine rationis. *Ex dictis.*

Colligitur. I. Legem naturalem obligare in conscientiâ. Ità sentiunt Theologi omnes. Et patet ex illo Pauli ad Rom 2. *Quicunq; sine lege* (nempè scriptâ) *peccauerunt, sine lege peribunt.* Scilicet quia naturalem legem violârunt. Quæ obligatio pro materiæ conditione, nonnunquàm sub culpâ mortali, nonnunquam sub veniali est.

Colligitur. II. In quo differat obligatio legis naturalis, ab obligatione legis positiuæ. Hæc enim, sicuti & lex ipsa positiua, oritur ex voluntate legislatoris. Illa autem, cùm non pendeat ab vllâ voluntate, oritur remotè & fundamentaliter ex ipsâ rerum naturâ; proximè autem & formaliter ex iudicio rationis; cui se voluntas ob naturalem connexionem conformare debet. Sic D. Thomas quæst. 104. art. 1. inquit, præcepta moralia habere vim obligandi ex ipso dictamine rationis; & non ex aliquâ institutione diuinâ, vel humanâ. Vide quæ suprà quæst. 90. disp. 1. notat. 2. diximus.

Colligitur III. Differre legem naturalem à conscientiâ: Tum quia est regula quædam generalis de agendis vel omittendis; conscientia verò dictamen quoddam circà particularia; vndè potiùs est veluti applicatio quædam legis ad opus particulare: Tum quia lex naturalis est de agendis; conscientia autem, & præcipuè quidem, de iam actis; vt videre licet in D. Thomâ. 1. part. quæst. 79. art. 13. & Alensi. 3. part. quæst. 27. memb. 2. art. 3. & Bonauent. in 2. dist. 39. art. 2. q. 1. Vndè illi tribuitur non solùm ligare, sed accusare, testificari, defendere &c. Tum denique quia conscientia interdum est erronea; lex autem naturalis erronea esse non potest.

Colligitur postremò. Quomodo obligatio legis naturalis à diuinâ voluntate pendeat. Id enim non est, quasi vt dictamen rationis obliget, necessaria sit specialis Dei voluntas, quâ formaliter velit, vt obliget; cùm satis ex dictis constet, obligationem eius independentem esse ab omni voluntate. Sed triplici aliâ caussâ. *Primò*, quia qui voluntate suâ naturam rationalem condidit, necesse est, vt eius etiam author sit dictaminis, quod natura

rationalis medio intellectu elicit. *Deindè* quia legis naturalis obseruationem simplici voluntate appetit. *Tertiò* quia obligationem eius positiuâ lege suâ confirmat, & corroborat.

DISPVTATIO II.

An poßit in lege naturali fieri dispensatio?

SENSVS est; Vtrum aliquis ab obligatione legis naturalis ità possit eximi, vt quod lege naturali præceptum est, licitè omittat; aut quod prohibitum est, licitè faciat? *Ad cuius maiorem explicationem.*

PRÆMITTO. I. duplicia esse præcepta legis naturalis: *Vnum* est quasi primarium & generale; nempè, *Bonum est prosequendum; & malum fugiendum*. Ità D. Thomas quæst. 94. artic. 2. *Alia* sunt, quæ ex primo illo & vniuersalissimo, tanquàm ex fonte quodam immediatè, aut mediatè deducuntur; cuiusmodi sunt præcepta omnia Decalogi, & quędam iis affinia, extrà Decalogũ. Nã recta ratio naturalis proprio instinctu dictat, quæ eiusmodi præceptis imperantur, bona esse, tenenda, & quæ prohibentur, mala & vitanda.

PRÆMITTO. II. Dispensationem presse & propriè sumptam esse, quandò, sensu legis inuariato permanente, aliquis eximitur ab obligatione legis. Nam, si sensus aut ratio legis, accessu alicuius circumstantiæ, mutetur; dispensatio locum habere non potest. Cessat enim in tali euentu legis obligatio. Vt constat exemplo eius, qui in extremâ necessitate constitutus licitè vtitur re alienâ ad vitæ suæ conseruationem. Vndè superuacanea, imò nulla esset in eiusmodi casu & occursu nouæ circumstantiæ, dispensatio. Nam cùm dispensatio nihil aliud sit, quàm exemptio alicuius hominis ab obligatione legis; vbi nulla est obligatio legis, nulla esse potest exemptio, ac proindè nulla etiam dispensatio.

PRÆMITTO. III. Ea, quæ ex se & intrinsecè mala sunt, non ideò mala esse, quia voluntate alicuius, etiam DEI, prohibita sint; sed quia ex se & naturâ suâ difformia sunt naturæ rationali. Sicut enim res aut natura aliqua non ideò possibilis est, quia DEVS voluerit esse possibilem; sed quia ex se non implicat contra-

dictionem, vt esse possit. Sic in moralibus opera quædam non ideò mala sunt, quia DEVS ea voluerit prohibere, aut mala esse; sed quia ex se dissentanea sunt naturæ rationali. *Vnde* sicut DEVS non potest pro voluntate suâ mutare naturas rerum; ità facere non potest, vt opera, quæ ex se & intrinsecè mala, & naturæ rationali dissentanea sunt, si eodem modo se habeant, & ijsdem maneant circumstantijs subiecta, mala non sint, & dissentanea. *His positis:*

PRIMA SENTENTIA affirmat, Deum posse dispensare in lege naturæ. Quanquam in eius traditione authores non consentiant. *Nam alij* dispensationem hanc ad totam legem naturalem, & omnia eius præcepta extendunt, vt Occam in. 2. quæst. 19. ad. 3. & 4. dubium. Quem sequitur Gerson in tractat. de vitâ spiritali lect. I. coroll. 10. & Almayn. tractat. 3. moral. cap. 15. *Alij* non in omnibus, sed in quibusdam dundaxat locum habere volunt; vt Sotus lib. 2. de iustit & iure qu. 3. art. 8. qui excipit omnia præcepta Decalogi. Scotus in 3. dist. 37. quæst. vnicà. Gabriel ibid. quęst. I. art. 2 Qui excipiunt prima illa duo negatiua: *Non habebis Deos alienos coram me.* &. *Non assumes nomen DEI tui in vanum.* *Alij* alia. Legi potest Suarez lib. 2. de legibus. cap. 15. Vasquez. 1. 2. disput. 179. Azor lib. 6. institut. moral. cap. 1 quęst. 3.

HÆC SENTENTIA quocunque modo explicata suaderi potest. *Primò.* Quia quilibet legislator potest dispensare in lege suâ: Sed DEVS est author legis naturalis: Ergò potest dispensare in lege naturali. *Secundò.* DEVS reipsâ aliquando dispensauit in lege naturę. Ergò potuit in lege naturæ dispensare. Consequentia est euidens. Antecedens ostendi potest multis scripturę sacræ exemplis. *Primò* enim dispensauit cum Machabæis in tertio præcepto Decalogi de sabbathi sanctificatione. 1. Mach. 2. *Et cogitauerunt in die illâ, dicentes: omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus aduersus eum* *Deindè* dispensauit cum Abrahamo in quinto præcepto de non occidendo; quando ei præcepit, vt interficeret filium suum Isaac. Genes. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* *Tertiò* cum Oseâ Prophetâ in præcepto sexto de non mœchando; quādò iussit, vt accederet ad mulierem fornicariam. Oseæ. 1. *Sume tibi vxorem fornicationum, &*

fac filios fornicationum. *Quartò*, cum Israëlitis, in præcepto septimo de non furando; quandò iussit, vt auferrent vasa Aegyptiorum. Exodi cap. 11. *Dices omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicinâ suâ vasa argentea & aurea.* & cap. 12. *Feceruntq́; filij Israel sicut præceperat Moyses, & petierunt ab AEgyptiis vasa argentea & aurea; vestem quoque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis vt commodarent ea, & spoliauerunt Aegyptios.* Atqui ex dictis constat præcepta Decalogi pertinere ad legem naturalem: Ergò DEVS reipsâ aliquandò dispensauit in lege naturali. *Confirmatur. I.* Polygamia & libellus repudij prohibentur lege naturali; In his tamen DEVS olim dispensauit; cum Patriarchis in polygamiâ, & cum Iudæis in libello repudij. *Confirmatur II.* Voti & iuramenti obseruatio præcipitur lege naturali. DEVS tamen in vtroque per Pontificem quotidie dispensat. Ergò.

SECVNDA communis & vera sententia est. Legem naturalem nullius, etiam DEI dispensatione relaxari posse. Ità docent D. Thomas. quæst. 100. art. 8. & ibid. Caietanus, & alij. Sotus lib. 2. de Iustit. quæst. 3. art. 8. Victor relect. de homicidio. num. 13. Richard. in 3. dist. 37. art. 1. quæst. 5. Altisiodorens. in summâ lib. 3. tractat. 7. cap. 1. quæstione 5. Abulens. in capite 20. Exod. quæst. 35. Albert. in summ. Theolog. part. 2. tractat. 20. quæst. 80. art. 2. in solutionibus argumentorum. Heruæus in 1. dist. 47. quæst. 3. art. 3. Corduba lib. 3 quæst. 10. Molina. tomo. 1. de iustitiâ. tractat. 1. disput. 4. Valentia. disp. 7. quæst. 4 punct. 6. Vasquez disp. 179. cap. 2. Azorius lib. 6. cap. 1. qu. 3. Suarez. lib. 2. de Legibus. cap. 15. à num. 16. & alij communiter. Pro cuius sententiæ explicatione.

NOTANDVM est; discrimen esse inter præcepta legis naturalis. Quædam enim sunt, quæ simpliciter, absolutè, & semper obligant; ita vt nulla possit circumstantia occurrere, quæ eorum obligationem auferat. Huius generis sunt ea, quibus prohibentur mendacium, blasphemia, odium DEI, idololatria. Hæ enim actiones ex obiecto suo ità intrinsecè malæ & illicitæ sunt, vt nullo casu aut circumstantiâ occurrente honestari possint; & à legis naturalis obligatione, quâ simpliciter & semper vitari debent, extrahi. Alia sunt, quæ non obligant simpliciter, sed sub certis quibusdam circumstantiis. Vndè tamdiu obligant, quamdiu manent eiusmodi circumstantiæ; ijs autem

muta-

mutatis vel ſublatis, tollitur eorum obligatio. Huius generis eſt præceptum, quo prohibetur acceptio rei alienæ. Obligat enim ſub his circumſtantijs, vt non liceat accipere rem alienam, inuito rationabiliter domino, & extrà caſum extremę neceſſitatis. Item præceptum, quo vetatur occiſio hominis; quod ſub his circumſtantijs obligat, vt non liceat interimere hominem priuatâ authoritate, & extrà caſum neceſſariæ defenſionis. Et alia his ſimilia, quæ ſemper obligant, quamdiu manent eiuſmodi circumſtantiæ, ſub quibus obligant; iis autem variatis, deſinit eorum obligatio. *Hoc poſito:*

Dico. Devs non poteſt, abſolutâ etiam poteſtate, diſpenſare in vllâ lege naturali. *Ratio eſt.* Quia nullâ ratione fieri poteſt, vt, quod recta ratio iudicat vel abſolutè & ſimpliciter, vel ſub certis quibuſdam circumſtantijs malum & illicitum, ſub iiſdem circumſtantiis bonum ſit & licitum; alioqui idem iudicium rectæ rationis eſſet verum ſimul & falſum, quod implicat contradictionem: Sed ſi fieret in lege naturali diſpenſatio, deberet id, quod recta ratio iudicat vel abſolutè, vel ſub certis quibuſdam circumſtantiis malum & illicitum; ſub iiſdem fieri licitum. (Non enim propriè diſpenſatio eſt, niſi eædem maneant circumſtantiæ) Ergò implicat contradictionem; ac proindè fieri non poteſt, vt in lege naturali diſpenſetur. *Confirmatur.* Diſpenſare in aliquâ lege eſt, ità aliquem à legis obligatione eximere, vt licitè poſſit contrà legem agere: Sed nullâ authoritate fieri poteſt, vt aliquis licitè contrà legem naturalem agat; quia quicquid legi naturali aduerſatur, ita intrinſecè malum & illicitum eſt, vt nullo modo bonum & licitum eſſe poſſit: Ergò nulla poteſt in legem naturalem cadere diſpenſatio. *Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur.*

Ad Primvm. Maior propoſitio intelligenda eſt de iis legibus, quarum obligatio oritur ex voluntate legislatoris, quâ vult legibus à ſe latis ſubditos aſtringi; quales ſunt leges poſitiuæ; non autem de eâ lege, cuius obligatio non pendet ab vllâ voluntate, qualis eſt lex naturalis; quæ tametſi eo modo à Dei voluntate pendeat, quo res omnes creatæ pendent, nempè vt ſint & conſeruentur; non tamen ab eâ pendet, vt vim obligandi habeat; quaſi vt lex naturalis obliget, neceſſaria ſit formalis Dei voluntas, quâ velit illam obligare. Eius enim obligatio oritur

remotè & fundamentaliter ex ipsâ rerum naturâ; proximè autem & formaliter ex iudicio rectæ rationis; vt superiori disputatione vidimus.

Ad Secvndvm. Exempla illa non probant Devm aliquandò in lege naturali dispensasse. Id quòd de singulis ostendo. *Et primò* quidem de præcepto Sabbathi sanctificandi. In illo duo continebātur. Cultus Deo exhibendus. Et, Tempus cultui huic destinatum, nempè dies septimus, seu Sabbathū. Primum pertinet ad legem naturalē, in quo cum Machabæis non fuit dispensatum; non enim iis concessum est, vt nunquàm Devm colerent: Alterum ad legem positiuā diuinam; in quo Devs ità dispensare potuit, sicut dispensare potest legislator in lege positiuâ humanâ. Quanquàm Machabæi dispensatione hac non sint vsi; sed potiùs præcepti interpretatione, vt rectè D. Thomas quæst. 100. art. 8. ad 4. Iudicabant enim se non violare Sabbathum faciēdo id, quod erat ad salutem humanam necessarium. Quam interpretationem Christus ipse postea approbauit. Matthæi 12. Marci 3. & Luc. 6. *Deinde* de præcepto non occidendi. Lex enim naturalis non vetat absolutè omnē occisionem; sed eam, quæ fit priuatâ authoritate extrà casum necessariæ defensionis. In hoc etiam non fuit cum Abrahamo dispensatum. Ipse enim non priuatâ authoritate, sed iussu & imperio Dei voluit filium suum vnigenitum, quem diligebat Isaac, occidere & immolare. Quam potestatem potuit Abrahamo Devs facere ratione supremi dominij, quod habet in omnium hominū vitas. *Tertiò* de præcepto non mœchandi. In hoc etiam non dispensauit cum Oseâ Devs. Non enim iusserat, vt Oseas fornicaretur; sed vt cum eâ, quæ erat mulier fornicaria, matrimonium contraheret. Ità docent Hieronymus. Theodoret. & alij in eum locum. Irenęus lib. 4. cap. 37. propè finem. Augustinus. 22. contrà Faustum cap. 80. & 86. & 89. & lib. contrà Secundin. cap. 21. *Et colligitur* ex Oseæ capite primo. *Et abijt & accepit Gomer filiam Debelaim* (scilicet, in vxorem) *& concepit & peperit filium, &c.* Nam accipere aliquam in vxorem, est cum illâ matrimonium contrahere, iuxtà illud 1. Corinth. 7. *Si accepisti vxorem, non peccasti. Demùm* in præcepto de non furando. Neque in hoc dispēsauit cum Israëlitis Deus. Spoliatio enim illa, iussu Dei facta, non fuit iniusta & furtiua: sed

Deus

Deus ratione supremi dominij, quod habet in omnia creaturarum suarum bona, vestes, vasa, & facultates AEgyptiorum Israëlitis iustè tradidit & donauit pro mercede laborum, quos in AEgypto sustinuerant, dum pro immensis, quibus opprimebantur, oneribus nihil præter verbera acciperent. *Vndè* Sap. 10. dicitur: *Reddidit DEVS iustis mercedem laborum suorum.* Et infrà: *Ideò iusti tulerunt spolia impiorum.*

Ad primam confirmationem. Polygamia prohibetur iure naturali sub eâ circumstantiâ: Ne scilicet aliquis propriâ authoritate, contrà finem matrimonij, ducat plures vxores. Id quod non fecêre Patriarchæ veteris testamenti. Non enim propriâ authoritate, sed Dei qui & dominium corporum habet, & incommodis, quæ cum fine matrimonij secundario & minùs principali, pace scilicet & tranquillitate familiæ, pugnant, multis potest diuinæ suę prouidentię modis mederi & occurrere; concessione (siuè ea per externam reuelationem, siuè per internam inspirationem iis innotuerit) plures sibi vxores assumpsêre. Ità nihil contrà legem naturalem designârunt; ac proindè nec opus habuêre dispensatione. De libello repudij idem omninò iudicium est. Lex naturalis prohibet, nè quis manente vinculo matrimonij, recedat à propriâ vxore, & aliam ducat. In hoc Devs nō dispensauit. Non enim concessit Iudęis, vt manente vinculo prioris matrimonij vxores suas dimitterent, & alias ducerent; sed iure supremi dominij, quod habet, prius vinculum dissoluit. Quo soluto, nihil agit contrà legem naturalem, qui aliam vxorem ducit. *Hic obserua.* Vtrumque & polygamiæ & repudij ius sublatum esse in lege nouâ & euangelicâ.

Ad Secvndam confirmationem. Pontifex cùm dispensat in voto aut iuramento, non dispensat in lege naturali. Non enim facit, vt manente voti aut iuramenti debito, liceat non obseruare, quæ quis vouit aut iurauit, quod lex naturalis prohibet. Sed concessâ sibi à Deo authoritate, quam constat semper in Ecclesiâ fuisse, relaxat, & remittit promissionem Deo factā; quâ remissâ, vt cessat debitum voti aut iuramenti ità etiam obligatio legis naturalis. Vndè relaxatio illa quidem dici potest dispensatio, non tamen in lege naturali (vt quæ manentibus iisdem circumstantiis semper obligat) sed in circumstantiâ,

quam ſupponit obligatio legis naturalis; nempè in promiſſione, ſeu debito ex eâ conſurgente. *Ex dictis*:

Colligitvr. I. Legem naturalem ſimpliciter eſſe immutabilem; quia non poteſt vim obligandi amittere; quod neceſſarium eſſet, vt ſimpliciter mutari diceretur; ſicut aliæ leges tunc propriè & ſimpliciter mutari dicuntur, quando vim obligandi amittunt. Ità communiter Theologi, & Gratianus in decretis. diſt. 5. in principio. *Naturale*, inquit, *ius inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate: cæpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, ſed im mutabile permanet*. Et in §. *His itaq;* poſt cap. 3. diſt. 6. *Moralia*, ait, *mandata ad naturale ius ſpectant, atq; ideò nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrantur*. Et infrà. *Naturale ergò ius ab exordio rationalis creaturæ incipiens, manet immobile*. Ratio eſt. Quia obligatio legis naturalis non pendet à voluntate vllius legislatoris; ſed oritur ex ipſis rerum naturis, quę ſunt immutabiles. *Et conſtat inductione. Primò* in ijs legis naturalis præceptis, quæ ſim pliciter & abſolutè obligant; qualia ſunt, quibus prohibetur mendacium, blaſphemia, periurium, odium Dei. Hæc enim ità ſemper obligant, vt nullus caſus poſſit occurrere, in quo non obligent. *Deindè* in ijs, quæ non abſolutè, ſed ſub certis circumſtantijs obligant. Hæc etiam, quamdiu eædem circumſtantię manent, ità ſemper & neceſſariò obligant, vt contradictionem implicet, non obligare. Quòd ſi circumſtantiæ mutentur, deſinit obligare lex naturalis; non quia in ſe mutationem recipiat, ſed quia mutatur materia, ſeu obiectum legis naturalis; Hoc eſt; quia id, quod certâ aliquâ circumſtantiâ affectum continebatur ſub lege naturali; accedente aliâ circumſtantiâ ità eximitur ab eius obligatione, vt ampliùs non ſit materia & obiectum legis naturalis.

Colligitvr. II. Diſcrimen inter legem naturalem & poſitiuam. Nam in lege naturali nunquàm auſertur obligatio per diſpenſationem, quamdiù manent eædem circumſtantiæ, ſub quibus obligat lex naturalis. In lege poſitiuâ poteſt tolli obligatio manentibus ijſdem circumſtantiis. *Exempli cauſâ*. Lex poſitiua prohibet, nè quis tempore pacis arma ferat præter principem. Poteſt princeps, etiam durante pace, eximere aliquem ab iſtâ obligatione, & concedere, vt arma geſtet.

COLLIGITVR. III. Quid dicendum sit ad quæstionem illam: Vtrum præcepta legis naturalis possint ignorari inuincibiliter? Duplicia enim sunt præcepta legis naturalis. Quædam prima & vniuersalissima; quæ nullo modo, nedùm inuincibiliter, ignorari possunt. Quædam verò particularia, & quæ ex illis deducuntur; in quibus distinctione opus est. Alia enim sunt, quæ vel per se nota sunt, vel ex per se notis facillimè colliguntur; & hæc ignorari quidem possunt, non tamen inculpabiliter, saltem per longum tempus. Huius generis sunt præcepta Decalogi, & similia. Ità indicat Diuus Paulus ad Rom. 2. quandò gentiles, qui præcepta hæc transgrediuntur, vocat inexcusabiles, & propter peccata sua datos in reprobum sensum. Alia verò sunt, quæ maiori indigent discursu, & ex principiis notis lumine naturali difficiliùs deducuntur. Et hęc inuincibiliter ignorari posse, præsertim à rudioribus, nemo prudenter negabit. Legi possunt Corduba. lib. 2. quæst. 4. Sotus lib. 1. de Iustitiâ quæstion. 4. articulo 4.

COLLIGITVR postremò. Legem naturalem, tametsi plura contineat præcepta; meritò tamẽ dici vnam; Tum quia omnia deriuantur ex illo vniuersalissimo principio. *Sequendum est bonum. Fugiendum est malum.* Tum quia omnia ordinantur ad vnum finem, vt nimirum constituatur homo rectus secundum inclinationem naturalem. Hæc autem sufficiunt ad moralem vnitatem. Sicuti etiam Lex Moysis, tametsi præcepta moralia, iudicialia & cæremonialia complecteretur, vna tamen appellatur. psal. 18. *Lex Domini immaculata.* psal. 118. & Matth. 5.

QVAESTIO XCV.

De Lege humanâ.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I quærit D. Thomas: *Vtrum vtile fuerit aliquas leges ab hominibus poni?* CONCLVSIO est affirmans. Sunt enim plurimi ad vitia adeò proni & popẽsi, vt nisi præscriptis legibus contineri in officio nequeant.

ARTICVLO II. *Vtrum omnis Lex humanitùs posita à lege naturali deriuetur?* CONCLVSIO est.

Lex humanitùs posita quodammodo à lege naturali deriuatur: Quia determinat & præscribit in particulari, quod generali quadam ratione lex naturalis præcipit. *Exempli caussâ.* Lex naturæ præcipit, malefactores esse puniẽdos, lex verò humana & positiua determinat genus supplicij, quo puniendi sint.

Articvlo II. *Vtrum Isidorus conuenienter qualitates legis positiuæ describat?* Conclvsio est affirmans. Quatuor verò conditiones legis positiuę statuit Isidorus lib. 5. Etymolog. cap. 3. *Prima est,* vt ratione constet; quia lex nihil debet continere rationi dissonum. *Secunda,* vt religioni congruat; quia non debet vtilitatem temporariam preferre cultui diuino. *Tertia,* vt disciplinę conueniat; hoc est, nè sit grauis admodùm & difficilis, alioqui subditos vltra vires premeret. *Quarta,* vt sit proficua & salutifera; quippè alias nec vim legis obtineret, nec eâ subditi obligarentur.

Articvlo IV. *Vtrum conuenienter Isidorus diuisionem legum humanarum ponat?* Conclvsio est affirmans, & perspicua ex textu.

DISPVTATIO I.

Vtrum sit in hominibus potestas ad condendas leges, quæ conscientias subditorum obligent?

NEGANT præter veteres Hæreticos, etiam hodiè Nouatores Lutherus in lib. de captiuit. Babylon. cap de Baptismo. & in explicatione visionis Danielis. Philippus Melanchthon in Confess. Augustanâ. art. 28. Caluinus lib. 4. institut. cap 11.12. Fingunt enim hominem Christianum non obligari nisi vnâ lege fidei, quam tradit & exprimit Scriptura Sacra: Leges verò humanas, siuè Ecclesiasticæ eæ sint, siuè ciuiles, valere quidẽ ad componẽdam externam Reipublicę faciem, ad conseruandam pacem & disciplinam; non tamen obligare in conscientiâ. *Hunc errorem probant primò.* Devs non ad alterius legis, quàm diuinę obseruationẽ homines vrget & hortatur; Matt. 28. *Docentes eos seruare, quæcunq; mandaui vobis.* Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque minuetis ex eo.* & c. 12. *Quod*

præci

præcipio tibi, hoc tantùm facito domino, nec addas quicquam nec minuas. Isaiæ 33. *Dominus enim iudex noster, & Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* Iacobi 4. *vnus est enim legislator & iudex, qui potest perdere & liberare &c.* Ergò sola lex diuina conscientias hominum obligat.

SECVNDO. DEVS sæpè reprobat præcepta hominum. Isaiæ. 29. *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis.* Marci. 7. *In vanum autē me colunt, docentes præcepta hominum.* Matt. 23. *Alligant onera grauia & importabilia* (id est præcepta) *& imponunt in humeros hominum, &c.* Ergò non obligāt ad sui obseruationem in conscientiâ.

TERTIO. Libertas à lege humanâ est quædam veluti prærogatiua Christianorum. 2. Corinth. 3. *Vbi spiritus domini, ibi libertas.* Ad Galat. 4. *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberauit.* Et c. 5. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et ibidem. *Si spiritu ducimini, iam non estis sub lege.* 1. Corinth. 7. *Pretio empti estis, nolite serui fieri hominum.* Quo loco, inquit Caluinus, non prohibet DEVS, nè serui exteriorem dominis obedientiā præstent; hanc enim alio loco iis DEVS præcepit. Ad Ephes. 6. *Serui obedite dominis carnalibus*, &c. Sed vult non esse obediendum cum timore & formidine peccati; quasi præcepta Principum ità conscientias subditorum astringant, vt ea transgredi peccatum sit; siquidem à peccàto liberi per Christum facti sunt. Ergò lex humana non obligat Christianos in conscientiâ.

QVARTO *Iusto non est lex posita.* 1. ad Timoth. 1. Ergò qui Dei beneficio Iustitiam consecutus est, non est ampliùs humanis legibus subiectus.

QVINTO. DEVS adueniente lege euangelicâ, voluit homines solutos esse à legibus Mosaicis. Ergò etiam à legibus Pontificiis & ciuilibus. Nam si earum iugo oporteret Christianos subiici, satius longè erat retinere legem Mosaicam, vtpotè & à Deo latā, & pauciora continētem præcepta, quàm sint leges humanæ Pontificum & Imperatorum. Hæ enim adeò iā excreuerunt, vt Mosaicas multitudine longè superēt. Vndè durior iam esset conditio Christianorum, quàm olim erat Iudæorum, contrà illud Christi: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Sic Augustinus epistolâ, 119. cap. 19. *Ipsam*, inquit, *religionem nostram, quam DEI misericordia manifestissimis & paucissimis celebrationum sacramentis voluit esse liberam,*

Legi potest Augustinus. sermon. 8. de Verb. domini. lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. & epistolâ 48 50. 54. 68. Cyrillus lib. 7. contrà Iulianum Tertull. in apolog. cap. 3. Isidorus lib. 3. de summo bono. cap. 47. Cælestinus epistolâ. 2. cap. 4. Chrysostom homil. 34 in epistolam ad Hebræos. & alij. *Ad argumenta Nouatorum respondetur.*

Ad primvm. Loca illa Scripturæ Sacræ aduersariis non fauent. Matth. 28. fit quidem mentio mandatorum Christi ; sed non ideò reprobantur canones & leges Pontificum, ad meliorem Ecclesiæ gubernationem & profectum latæ. Deuteron. 4. & 12. de eâ additione sermo est, quę facit deuiare seu declinare à rectâ lege. Id quod cap. 5. Moyses his verbis exprimit: *Custodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus DEVS vobis, non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Tales non sunt leges humanæ Pontificum & Imperatorum; quæ non auertunt à lege diuinâ, sed ad eius maiorem obseruationem potiùs ducunt, & inducunt. Alioqui deuiassent à lege Dei Iudęi Esther. cap 9. addentes, vt quartadecima Luna, & quinta decima mensis Adar, pro festis haberētur. Deuiasset Iudas. 1. Mach. 4. addens, vt ageretur dies dedicationis altaris; quē diem festum Christus ipse suâ præsentiâ honorauit. Ioann. 10. Deuiasset Dauid 1. Regum. 30. nouam legē ferens, vt is, qui sarcinas custodiret, in æqualem veniret partem spoliorum cum eo, qui ad prælium descenderet. Deuiassent prophetæ, Christus & Apostoli, adijcentes multa iis, quæ in lege Mosaicâ scripta sunt. Isaiæ. 33. & Iacobi 4. Sermo est de supremo legislatore & iudice; qui potest perdere & liberare. Vndè non excluduntur legislatores & iudices inferiores. Aliam vtriusque loci expositionem vide apud Vasquez. disp. 152. c. 4.

Ad Secvndvm. Locis illis Isa. 29. Marci 7. & Matt. 23. damnantur doctrinæ & præcepta hominum, quæ cum lege & cultu Dei pugnant; cuiusmodi erant traditiones Pharisæorum; de quibus Matth. 15. dicitur: *Quare & vos transgredimini mandatum DEI propter traditiones vestras?* &c. non autem improbantur leges mandato & cultui diuino consentaneæ.

Ad tertivm. Libertatis, quæ iis locis prædicatur, nomine non intelligitur exemptio ab obedientiâ legum humanarum; hæc enim carnis libertas est, non spiritus. Sed loquitur Paulus de libertate spirituali, quam Chri-

stus pretio sanguinis sui nobis emit; quę consistit in exemptione tum à veteri cæremoniarũ lege, tùm, & præcipuè à lege & statu peccati, vt homo à seruitute peccati liber, vni iam DEO adhæreat, semper ex amore faciens, quæ ei placita sunt. Ad hanc verò libertatem maximè conducunt leges & præcepta magistratuum, vt omnia ordinatè fiant; quamuis carnis libertatem minuant & circumcidant.

AD QVARTVM. Sensus loci illius: *Lex iusto non est posita*: hic est: Lex non est lata ad iustos coërcendos: Ij enim sponte suâ faciunt bonum & honestum, quod lex imperat; sed lata est, vt impios minis, pœnâ & seueritate coërceat. Scitè Augustinus in Psalm. 1. *Iustus*, inquit, *non est sub lege, quia in lege domini est voluntas eius. Qui enim in lege est, secundum legem agit; qui sub lege est, secundum legem agitur, ille ergò liber est, iste seruus.*

HIC NOTA: In lege tria esse, dirigere, obligare, & punire. Duo priora lex in omnes exercet, etiam iustos; tertium tantummodò in iniustos & impios.

AD QVINTVM. Præcepta legis Mosaicæ longè plura & grauiora erant, quàm nunc sint leges Ecclesiasticæ & ciuiles. Rabbi Moyses quingenta septuaginta octo veteris legis præcepta numerat; in quibus obseruandis (vti omnia penè singulos obligabant) *tanta*, inquit, *erat difficultas, vt vix vnum ex singulis mundum inuenire esset.* Legum verò Ecclesiasticarum & ciuilium, etiamsi iura innumera videantur complecti, paucæ; immò præter quatuor aut quinque Ecclesiasticas, de seruandis festis, ieiuniis, confessione & communione annua, vix aliud præceptum omnes & singulos obligat. Cæteræ leges vel pro iudicibus, vel pro sacerdotibus, vel pro contrahentibus positæ & constitutæ sunt. Augustinus loco allegato non loquitur de legibus Pontificum aut Principum Christianorum; sed de quibusdam prauis vulgi consuetudinibus, quæ paulatim vim legis assumunt, & has queritur authoritate maiorum non abrogari.

DISPVTATIO II.

Penes quos sit potestas condendi leges?

LEGVM humanarũ, de quibus agimus, quædã sunt Ecclesiasticæ, quæ ad gubernationẽ spiri-

spiritualem Ecclesiæ vniuersalis pertinent; quædam verò ciuiles, quæ ad gubernationem regni aut ciuitatis in rebus & negotijs sæcularibus. Vt rem paucis & breuiter expediam, primò de ijs dicam, qui leges Ecclesiasticas, tum de ijs, qui ciuiles ferre possunt.

Dico. I. Prima potestas condendi leges Ecclesiasticas est penes summum Pontificem, à Deo ipso deriuata. Eo ipso enim, quòd Christus voluit summum Pontificem esse vicarium suum & pastorem ac caput Ecclesiæ vniuersalis tribuit ipsi potestatem ferendi leges spirituales; cui debitum parendi in subditis fidelibus respondet. Est communis sentẽtia Doctorum. *Et probatur.* Condere legem est actus supremæ potestatis & maximi imperij, vt loquuntur Iurisperiti. l. *Imperium.* ff. de iurisdictione omn. iud. Sed Pontifex in spiritualibus habet supremam potestatẽ, cùm sit vicarius Christi, & habeat iura cælestis Imperij. c. 1. d. 22. Capit. quanto. de trãslat. Episcopi. c. 1. vt Ecclesiast. beneficia. Ergò potest condere leges spirituales. *Confirmatur.* Pontifex maiorem potestatem habet in spiritualibus, quàm Imperator in temporalibus. cap. *Significasti.* de foro compet. Sed Imperator potest in tẽporalibus leges condere: Ergò à fortiori Pontifex in spiritualibus. Hæc potestas ferendi leges in summo Pontifice profert & extendit se in vniuersam Ecclesiam; quia ipse est pastor & caput Ecclesiæ vniuersalis.

Dico. II. Episcopi potestatem habent ferendi leges in suis Diœcesibus. Est communis sententia, eamque tradunt Canonistæ in Cap. *Cùm omnes.* Et Cap. *Cùm accessissent.* de constitut. Vti Panormitanus, Decius & Hostiensis. *Ratio est.* Quia Episcopi veri sunt pastores & rectores Ecclesiarum suarum: Ergò possunt leges condere, quibus benè & sapienter eas regant. Hinc Actor. 20. dicitur: *Posuit vos spiritus sanctus regere Ecclesiam DEI.* Et Matth. 18. *Quæcunq; ligaueritis &c.* Nam sub verbo *Ligandi*, etiam legislatio includitur. Vndè in cap. *Nullus.* 3. qu. 4. Stephanus Papa anathematizatos esse definit, quos Episcoporũ statuta anathematizãt. Possunt ergò Episcopi statuta facere; quæ quia defunctis, aut amotis ipsis manent, sinè dubio vim legis obtinẽt. De Episcopis Nazianzenus in oratione apologeticâ: *Vos oues*, inquit, *nolite pascere pastores: neq; super terminos eorum eleuemini: satis enim est, si rectè pascimini. Nolite iudicare iudices, nec legem feratis legislatoribus.* Hanc verò potestatẽ iuris-

dictionis ad ferendas leges, & similia, vtrum Episcopi immediatè à Christo, vel à Romano Pontifice habeant, magna inter Doctores contentio est. Vtraque pars, quia pari nititur authoritate & rationum momento, probabiliter sustineri potest. Legi potest Salas. disp. 8. sectione. 4.

Dico. III. Legati sedis Apostolicæ possunt ferre leges Ecclesiasticas in prouinciâ suæ legationis. Ità Syluester. Verbo. *Lex.* quæst. 4. Et habetur in cap. vltimo de officio legati. Cap. *Ex rescripto.* De locato & conducto. Hæc tamen potestas, sicuti à solâ voluntate Romani Pontificis fluit, ità pro arbitrio eius tolli & arctari potest. Idem iudicium est de potestate, quam habent superiores religionum; quippè qui non à Christo, sed à Romano Pontifice pastores constituuntur. Sed quid de Capitulo vel Vniuersitate Doctorum. Possuntnè statuta condere, quæ vim legis habeant? Probabilior sententia est. non posse sine speciali priuilegio *Ratio est.* Quia leges ferre, seu statuta, quæ vim propriæ legis habeant, eius est, qui habet iurisdictionem: At hæ communitates ordinariè non habent iurisdictionem Ecclesiasticam; quia nec iure diuino illam habent, nec iure communi Canonico illis conceditur: Oportet ergò vt ex aliquâ speciali concessione, vel priuilegio illam habeant; ac proindè sine speciali priuilegio leges aut statuta, quæ vim legis habeant, condere non possunt. Ità Syluester interpretatur. Capit. *Cùm necessitent.* & Capit. *Ex literis.* De constitut. Hæc de legibus Ecclesiasticis. *De politicis & ciuilibus:*

Dico. IV. Potestas condendi leges ciuiles prima est penes Imperatorem in Imperio, & prouinciis Romano Imperio subiectis. Altera penes Reges in proprio cuiusque Regno: Tertia penes Respublicas liberas, quæ in temporalibus nulli regi aut Imperatori subsunt, quales hodie sunt Veneta & Genuensis. *Ratio est.* Quicunque enim supremam habent in terris suis iurisdictionem, ij possunt propriâ authoritate leges condere. Tales sunt, Imperator, Reges & Respublicæ liberæ. Ergò possunt in terris sibi subiectis leges propriâ authoritate condere.

Dico Vltimò. Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui regibus subduntur, non possunt condere leges, nisi regum concessione & priuilegio. Ita Sotus lib. 1. de iustit. q. 1. art. 3. Vasquez disp. 153. cap. 3. Suarez lib. 3. de legibus. cap. 9. *Ratio est.*

Nam

Nam ferre leges supremæ potestatis est, quam non habent ij Dynastæ, qui regibus subsunt. Idem iudicium est de ciuitatibus & oppidis. In quibus si ius aliquod particulare est, id habent ex concessione & confirmatione Regũ, & dici solet *Ius municipale*. Possunt quidem iudices & gubernatores ciuitatum & oppidorum aliquid præcipere non pugnans cum iure communi, cui subditi obedire debent. Eiusmodi tamen præceptum vim legis non obtinet; atque ità defuncto gubernatore, aut elapso officij tempore, exspirat.

DISPVTATIO III.

De Promulgatione legum humanarum.

EX SVPRADICTIS satis constat, vt lex humana obliget, necessariam esse promulgationem. Videndum nunc est, vbi, & quãdò fieri debeat eiusmodi promulgatio? Ad cuius rei planiorẽ explicationẽ, & nè locus ambiguitati detur, *Præmitto* bifariàm intelligi posse, Legem obligare. *Primò* in actu quasi primo, ità scilicet, vt vim obligandi habeat. *Deindè* in actu quasi secundo, ità vt reipsâ liget & constringat conscientias eorum, qui legi subij iuntur. In hoc secundo sensu certum est, vt lex obliget, non satis esse quamcunque eius promulgationem; sed necesse est, vt ad eorum, qui lege dicuntur obligari, notitiam vel reipsâ peruenerit; vel ità saltem diuulgata sit, vt consideratis omnibus circumstantijs, commodè peruenire possit. Cuius rei argumentum est, quod ignorantes legem inuincibiliter, excusantur ab eius transgressione, ac proindè etiam ab actuali obligatione. Nam excusari seu liberari à lege, & ligari seu constringi lege contraria sunt. Ità vocem obligationis accepisse videntur Panormitanus in Cap. *Cognoscentes.* de constitutionibus: & Baldus super l. *Leges.* Cod. de legibus; cùm negant, aliquem obligari lege, priusquàm illam sciat, vel certè scire possit, tametsi fuerit in curiâ alioqui promulgatâ. De primo sensu potissima difficultas est; Vbi scilicet & quomodo promulgari lex debeat, vt vim obligandi habeat? In quâ re dissentientes sunt Doctorum opiniones. Nos sequemur probabiliores.

DICO. I. Vt lex vim obligandi habeat, non opus est, vt ad

gulorum notitiam peruenerit; sed satis est, si sit solenniter in aliquo loco promulgata. *Colligitur* ex Authent. *Vt factæ nouæ Constitutiones*. Cap. *Ad hæc.* de postulat. Prælatorum. Can. *Qui in humanis.* 12. quæst. 2. Vbi Cœlestinus presbyter non excusatur, quòd sententiam Episcopi sui ignorauerit. Can. *Quod dicitis*. dist. 16. Vbi non excusatur Clemens Constantinopolitanus, quòd ignorauerit decreta Concilij Sardicensis. *Ratio est*. Nam si necesse esset, vt promulgatio fieret singulis hominibus, nulla propè lex esset, quæ vim haberet obligandi; fieri enim moraliter vix potest, vt singulis innotescat. *Deindè*, si eiusmodi promulgatio necessaria esset, daretur locus & occasio fraudibus; quilibet enim posset dicere, se legem ignorare. *Denique*, cùm lex sit regula vniuersalis, satis est vniuersalis eius promulgatio.

Dico. II. Vt lex obliget, non satis est priuata eius notitia, sed requiritur promulgatio publica. *Patet* ex iisdem locis, quibus assertio præcedens. *Ratio est*. Quia lex est regula vniuersalis. *Confirmatur*. Nam cùm leges pleræque odiosæ sint, disponant de rebus magni momenti, præcipiant res difficiles obseruatu, pertineant ad omnes; non sunt propter cuiuslibet authoritatem temerè amplectendæ; sed earum certa, probata & publica debet haberi notitia. Hæc autem haberi non potest, nisi leges publicè promulgentur; nam priuatæ narrationes commentitiæ esse possunt, & falsæ.

Hinc colligo eum, qui interfuit consilio, in quo decretum de pretio frumenti minuendo factum est; vel id antè publicam legis promulgationem aliâ viâ cognouit, posse sinè vllâ iniustitiâ frumentum suum vendere veteri & communi pretio. Neque enim lex illa antè promulgationem obligat; nec frumentum ex priuatâ notitiâ vitium intrinsecum contrahit, quod ex præscripto iuris naturalis emptori reuelandum sit. Vt rectè notant Sótus lib. 6. de iustit. quæst. 3. art. 2. Syluester Verbo. *Emptio*. quæ. 15. Couarruuias. regulâ. *Peccatum*. part. 2. §. 4. num. 5. Corduba. lib. 1. quæst. 24. Petrus Nauarrus. lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 31.

Dico. III. Nulla lex, à quocunque Principe lata, siuè ciuilis, siuè Pontificia sit, vt vim obligandi habeat, aliam ex se & naturâ legis promulgationem postulat, quàm in curiâ Legislatoris. Itâ de legibus Pontificis apertè do-

tè docent Panormitan. in Capit. *Nouit*, de sentent. Excommu. Rosella & Syluester Verbo. *Lex*. qu. 6, Valentia quæst. 5. punct. 5. tametsi de legibus Imperatorum aliter sentiant, quas negant obligare, nisi in singulis prouinciis Imperij promulgentur. Sed assertio nostra de omni lege humanâ vniuersaliter probatur. Vt lex siuè ciuilis, siuè Ecclesiastica vim obligandi habeat, satis est, si solenniter tanquàm superioris imperium & præceptum subditis proponatur. Id autem fit promulgatione factâ in curiâ principis. Ergò lex humana, siuè ciuilis siuè Ecclesiastica, vt vim obligandi habeat, ex se & naturâ legis non aliam promulgationem exigit, quàm eam, quæ fit in curiâ Principis.

Obiicies I. In Authenticâ: *Vt nouæ constitutiones*. quæ est Constitutio. 66. inter Nouellas Iustiniani, apertè statuitur, leges Imperatoris non obligare, nisi a promulgatione in singulis prouinciis factâ. Ergò præter promulgationem factam in curiâ Imperatoris, necessariæ etiam sunt promulgationes in singulis Imperij prouinciis. *Respondeo*. Eiusmodi promulgationes non requiri ex naturâ legis, cui satis erat vna & generalis promulgatio; sed statutas esse voluntate & arbitrio legislatoris. Nam sicuti legum obligatio pendet à voluntate legislatoris, ità etiam modus & determinatio, quâ eas vult & statuit obligare.

Obiicies. II. Si sufficit promulgatio facta in curiâ Principis ad obligationem legis, dura erit conditio eorum, qui procul à curiâ absunt; obligabuntur enim lege, quam non possunt cognoscere. *Vt huic obiectioni satisfiat*, obseruare oportet discrimen inter promulgationem, & diuulgationem legis. Promulgatio est publica illa propositio, seu denuntiatio legis, quæ fit vel voce præconis; vel affixione legis scriptæ in loco publico; vel alio simili modo. Diuulgatio autem est, applicatio illius primæ promulgationis ad notitiam vel aures subditorum absentium, qui aut legere, aut audire primam illam promulgationem non potuerunt; vt rectè notat Suarez libro tertio de legib. capit. 16, numer. 3. *Quo posito respondeo ad obiectionem.* Vt lex obligatiua sit, seu vim obligandi habeat, satis est, si promulgata sit in curiâ Principis, (nisi legislator aliud expresè statuat; tum enim non censetur velle, vt lex sua ratione præcepti seu imperij, ac proindè vim obligādi

habeat, nisi modo, tempore & conditionibus à se præscriptis) vt autē reipsâ & quasi in actu secundo liget & constringat conscientias subditorum; Hoc est, vt eam non implentes, verè sint præuaricatores legis, & culpam contrahant, requiritur præter promulgationem etiam diuulgatio legis, quę notitiam eius deferat ad subditos. Vndè quamdiu subditi legē inuincibiliter ignorant, excusantur ab eius obseruatione, nec culpam contrahunt; vt proindè caussa non sit, cur ij, qui procul à curiâ absunt, de duriore suâ conditione conquerantur.

Sed qvid si plura regna ad eundem Regem diuerso titulo pertineant, quæ diuersis legibus gubernantur; Sufficietnè promulgatio in Curiâ seu Metropoli regni vnius? *Respondeo* non sufficere; sed fieri debet in curiâ regni vniuscuiusque. Itâ obseruari in regnis Hispaniæ notat Vasquez disputat. 156. cap. 2. *Et ratio est.* Quia cùm singula proprijs legibus gubernentur; ibi facienda esse videtur promulgatio, vbi leges obseruari debent. Veruntamen si respiciamus ad eas leges, quæ possunt singulis regnis esse communes, non video, cur non satis esse possit promulgatio facta in Metropoli regni vnius; dummodò cura adhibeatur, vt omnibus eiusmodi leges innotescant, & excusentur ij, qui legem inuincibiliter ignorant. Nam quod Sotus obiicit, id fieri ideò non posse, quia plura regna non possint efficere regnum vnum, vt satis sit vna promulgatio, friuolum & inane est. Quia cùm omnia illa regna subdantur vni principi, & iisdem legibus communibus gubernentur, etiamsi quodlibet deinde habeat suas leges priuatas, non est, vt non possint in vnum commune corpus coalescere; sicuti omnes Diœceses, quæ suas etiam habent leges priuatas, vnam faciunt Rempublicam Christianam, quia vni subsunt Summo Pontifici, & iisdem communibus legibus gubernantur.

Dico IV. Quo tempore lex quælibet incipiat vim habere obligandi, pendet à voluntate legislatoris, quę ex verbis legis colligēda est. *Hinc* leges Imperatoriæ non obligāt, nisi post duos menses à promulgatione factâ in singulis Imperij prouinciis; quia ita voluit & expressit Imperator in Authenticâ: *Vt nouæ constitutiones.* Inter Pontificias nonnullæ etiam post certum & à Pontifice designatum tempus obligant. *Exempli caussâ.* Lex, vt religiosi habentes duos Prioratus, alte-

rum intrà mensem relinquant. Cap. *Cùm singula,* de præbendis. Lex, vt irriti sint contractus matrimonij clandestini, post 30. dies à promulgatione factâ in Parœciâ. In Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. Lex, vt decreta Concilij Tridentini incipiant obligare post tres menses à promulgatione Romę factâ: In bullâ Pij. IV. annexâ Concilio Tridentino: & similes, in quibus certum tempus obligationis apponitur. Cęterę verò leges SS. Pontificum, quę ad sui obseruationem certum tempus non pręfiniunt, incipiunt habere vim obligandi statim à factâ promulgatione. Ità Molina. tomo 2. de iustit. tractat. 2. disput. 395. §. *Vnum in complementum.* Vasquez disp. 156. cap. 3. Suarez lib. 4. de legibus cap. 15. num. 15. & alij. *Ratio est.* Nam eo ipso, quòd Pontifex speciale tempus non determinat, nec iura Canonica designant; lex solenniter promulgata sortitur rationem imperii & pręcepti; ac proindè vim obligandi habet. Scio multos citari pro eâ opinione, quę docet etiam eiusmodi leges non obligare, nisi post duos menses à promulgatione; sed infirma sunt, quibus nituntur, fundamenta. *Primum* sumitur ex Authenticâ: *Vt factæ nouæ constitutiones.* Vbi pro legum ciuilium obligatione constituitur spacium duorum mensium, quod quia cum iure Canonico non pugnat, extendi debet ad leges etiam canonicas. *Hoc tamen* facilè reiicitur: Tum quia Pontifex, sicuti nec cæteri Reges, qui Imperio non subduntur, Authenticâ illâ non obligatur. Tum quia duo in illâ Authenticâ disponuntur; Vnum est, vt promulgatio fiat in singulis prouinciis. Alterum, nè leges ciuiles obligent antè duos menses à promulgatione factâ. Ex quibus cùm primum extendi ad canonicas leges non soleat, quę caussa potior est, vt extendi debeat posterius? Tum quia contrarium vsu & consuetudine receptum est: Tum quia regula illa generalis: *Quod iure ciuili statutum est, nec contradicit canonibus, extendi debet ad leges etiam canonicas.* Quâ vtuntur Syluester, Panormitanus, Ioannes Andreæ & alij, locum pręcipuè habet in iudiciis forensibus, vbi leges canonicæ desiderantur.

Alterum fundamentum ducitur ex cap. *Nouerit.* de sentent. Excomm. Vbi excommunicantur, qui infrà duos menses non delent de capitularibus statuta immunitati Ecclesiasticæ contraria. *Sed neque hoc quicquam vrget.* Tum quia nobis sermo est de iis

legibus, quæ certum tempus non præſcribunt: Tum quia loco citato non decernitur, nullam legem Pontificiam obligare antè duos menſes à promulgatione; quod neceſſe eſſet, vt argumento illo quidquam probaretur. Sed Pontifex ſpacium duorum menſium aſſignat pro monitione, quæ ſufficiat ad incurrendam excommunicationem; ſcilicet vt, qui fecerint ſtatuta cõtrà libertatem Eccleſiaſticam, illa reuocent intrà duos menſes; alioqui excommunicationi ſubiaceant. *Hinc* nemo rectè colligat, neceſſatios eſſe duos menſes poſt promulgationem, vt leges Pontificiæ, quæ ad ſui obſeruationem certum tempus non definiunt, vim obligandi habeant.

Dico. V. Priuilegia, quæ conceduntur à ſummo Pontifice, nõ habent vim, niſi poſtquàm eorũ notitia peruenerit ad eos, quibus tribuuntur. Ità habetur. Cap. 1. de conceſſione præbend. in 6. Et notant Immola, Panormitanus. Felin. in Cap. *Cognoſcentes*. *Ratio eſt*. Quia cùm priuilegia ſint in gratiam eorum, quibus conceduntur, & beneficia non conferantur in inuitos, non priùs ſortiri effectum ſuum debent, quàm acceptentur ab iis, quibus conceduntur. Id quod ſine eorum notitiâ fieri non poteſt.

Dico. VI. Leges, quæ reuocant priuilegia, non ſortiuntur priùs effectum ſuum, quàm notificentur iis, quibus illa fuêre conceſſa. Ità Felinus & alij locis citatis. *Ratio eſt*. Quia eiuſmodi leges odioſæ ſunt; Ergò reſtringendæ. Et eadem ratione non exſpirant indulgentiæ, donec reuocatio earum nota ſit iis, quibus conceſſæ ſunt.

Dico VII. Leges, quæ reuocant alias conſtitutiones, ſtatim à factâ promulgatione vim habẽt. *Ratio eſt*. Quia conſtitutiones nõ obligant niſi ex voluntate Principis; qui ſi nouæ & contrarię legis promulgatione mutet volũtatem priori lege declaratam, neceſſe eſt, vt, ceſſante illâ voluntate, ceſſet etiam reuocatæ legis obligatio; ac proindè vt lex reuocans vim & effectum habeat. Quo fit, vt, qui legem, quæ ſub pœna excommunicationis aliquid præceperat, factâ eius reuocatione tranſgreditur; tametſi reuocationem ignoret, non incurrat excommunicationem. Et ſic de aliis; niſi aliud in ipsâ reuocatione apertè caueatur.

Dico vltimo. Conſtitutiones Principum inferiorum, quales ſũt Epiſcopi, Pręlati, Collegia, &c. niſi in iis certũ tẽpus præſcribatur, ſtatim & reipsâ obligant

præ-

præsentes; absentes verò à tempore notitiæ. In quo determinando standum est iudicio prudentum. Quia cùm non omnes æquè procul aut prope distent, non potest omnibus constitui tempus æquale, quo obligentur. Ità Hostiensis in summâ, de Constitutionib. §. 13. Felinus, Ioannes Andreæ, Archidiaconus in Cap. *Cognoscentes* de constitutionib. Nauarr. Sotus. Medina. & Gloss. in Cap. vltimum. de concessione præbendarum.

QVAESTIO XCVI.

De potestate legis humanæ.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum Lex humana debeat poni in communi?* CONCLVSIO est affirmans. Debet enim lex & plures personas respicere; & de ijs rebus esse, quæ vt plurimùm contingunt; & longo tempore durare.

ARTICVLO II. *Vtrum ad legem humanam pertineat, omnia vitia cohibere?* CONCLVSIO est negans. *Ratio est.* Quia Lex, cùm sit mensura actuum humanorum, imponi debet hominibus iuxtà eorum conditiones & capacitatem; ac proindè nonnulla vitia debet permittere, ne maiora nocumenta sequantur.

ARTICVLO III. *Vtrum Lex humana præcipiat actus omnium virtutum?* CONCLVSIO est. Lex humana non præcipit omnes actus singularum virtutum. Esset enim eius obseruatio secundum patriæ consuetudinem impossibilis: Tum quia lex correctionem secum affert, quæ nimis esset reipublicæ onerosa: Tum quia multa opera virtutis, quæ erant tantùm sub consilio, fierent lege humanâ necessaria sub præcepto; quod graue nimis esset & asperum.

ARTICVLO IV. *Vtrum Lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ?* CONCLVSIO est. Leges humanæ iustæ habent vim obligandi in foro conscientiæ. *Hoc est*: Ità præcipiunt aut prohibent aliquid, vt illud transgredi, aut nō implere, peccatū sit.

ARTICVLO V. *Vtrū omnes legi subijciātur?* CONCLVSIO est. Legi, quoad vim directiuā, omnes subijciuntur, quotquot potestati legislatoris subsunt; non autem subijciuntur omnes, quoad vim coactiuam.

ARTICVLO VI. *Vtrum ei, qui ſubditur legi, liceat præter verba legis agere?* CONCLVSIO D. Thomæ eſt. Lex, cuius obſeruatio damnoſa eſt communi Reipub. ſaluti, non eſt obſeruanda. Vbi notat Doctor ſanctus; ſi non ſit ſubitum damni periculum, & cui ſtatim occurri oporteat; non cuiuſuis eſſe interpretari legem, vtiliſnè an inutilis ſit Reipublicæ; ſed id pertinere ad Principes, penes quos authoritas eſt diſpenſandi in legibus, ſicubi euentus poſtulat. Si verò ſubitum ſit periculum, & quod tantam moram, vt recurri ad ſuperiorem poſſit, non patiatur; *Ipſa* (inquit) *neceſſitas, vt quæ legi non ſubditur, diſpenſationem habet annexam.*

DISPVTATIO I.

Vtrum lex humana obligare poſsit ad ſui obſeruationem ſub peccato mortali?

LEGI humanæ vim eſſe alligandi ſubditorum conſcientias, ex ſupradictis conſtat. Cõtrouerſia nunc eſt, an ità conſcientias alliget, vt eius violatio culpam lethalem inducat?

PRIMA SENTENTIA, quæ Gerſoni tribui ſolet, eſt: Legem humanam, quatenùs à poteſtate humanâ eſt, non poſſe obligare ad culpam lethalem; ſed ſi obliget, id eâ duntaxat ratione facere, quatenùs à lege diuinâ, idem præcipiente vel prohibente, vim trahit. *Probatur hæc ſententia primò.* Homo legislator non poteſt infligere pœnam peccato mortali debitam: Ergò nec leges condere, quæ obligent ſub peccato mortali. *Secundò.* Peccato mortali tollitur gratia ſanctificans & habitualis: ſed ſolius DEI eſt gatiam ab homine auferre, ſicuti ſolus etiam gratiam conferre poteſt: Ergò ſolius DEI eſt, obligare ad aliquid agendum aut vitandum ſub peccato mortali. *Tertiò.* Auguſtinus lib. 22. contrà Fauſtum. cap. 27. definit peccatum ex oppoſitione cum lege DEI; vt ſcilicet ſit factum, dictum, vel concupitum contrà legem DEI æternam: Ergò ſola lex DEI æterna eſt, cuius violatio peccatum, & præſertim lethale, inducit.

ALTERA, communis & Catholica ſententia eſt; Legem humanam, tam ciuilem, quàm Eccleſiaſticam, etiam quatenùs ab huma-

humanâ potestate est, posse obligare ad culpam mortalem. Ità docent Driedo lib. 2. de libertate Christianâ. cap. 1. Adrianus. quodlib. 6. conclus. 1. Alphonsus de Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. 4. Sotus lib. 1. de iustit. quæstion. 6. art. 4. Victoria relect. De potestate ciuili. num. 15. & seq. Gabriel. in 4. distinction. 16. quæstion. 3 articulo. 1. notabili. 6. & alij. *Probatur hæc sententia primò* iis Scripturæ sacræ testimonijs, quibus suprà ostendimus, esse in Principibus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis potestatem condendi leges, quæ conscientias subditorum obligent; Hoc est, quas ità subditi obseruare teneantur, vt transgredi sinè peccato nequeant. Pleraque enim ex illis eam vim & pondus habent, vt intelligere debeamus, etiam potestate humanâ leges condi posse, quæ sub peccato lethali obligent. *Deindè ratione.* Omnis lex eo ipso, quòd iusta est, cum rectâ ratione congruit; ac proindè verè & coram Deo obligat; id enim de ratione legis est; Vndè si sit in materiâ notabili & graui, necesse est, vt obliget sub peccato graui & mortali. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad Primvm. negatur consequentia. Nam tametsi homo legislator non possit pœnam æternam, cuiusmodi peccato mortali debetur, infligere; potest tamen aliquid præcipere, cuius transgressio, pro grauitate materiæ, digna sit inflictione pœnæ æternæ; quod satis est, vt dicatur posse legem condere, quæ obliget ad sui obseruationem sub peccato mortali.

Ad Secvndvm. Non eadem ratio est gratiæ conferendæ, quę est eius a dimendę. Conferre enim gratiam solius Dei est; sed eam amittere peccatoris est; qui dum legem in re graui trasgrediens mortaliter peccat, excidit subindè à gratiâ sanctificante, quæ non potest cum peccato mortali consistere.

Ad Tertivm. Augustinus ideò peccatum definit ex oppositione cum lege Dei; quia omne peccatum, contrà quamcunque legem sit, etiam diuinæ legi (remotè saltem) aduersatur; quæ lex proindè debuit potiùs in definitione poni, vt descriptio generalis esset, & omnia peccata complecteretur.

DISPVTATIO II.

Vndè dignosci debeat, legem humanam obligare sub peccato mortali aut veniali.

CERTVM apud omnes est, transgressionem cuiuscunque legis, ex contẽptu, seu directâ & formali intentione non obediendi, factam, peccatum mortale esse. Ità D. Thomas. 2.2, quæst. 186. art. 9. Altisiodor. lib. 2. tract. 20. cap. 2. quæst. 1. Gerson. tractat. de vitâ spirituali. quæst. 2. Caiet. Verb. *Contemptus*. Syluester, Nauarr. cap. 28. num. 32. & alij communiter. *Ratio est.* Quia eiusmodi contemptus, & directa voluntas contradicendi superiori aliquid, in quacunque etiam vel leui materiâ rationabiliter imperanti, speciale peccatum inobedientiæ est. Controuersia tantùm est de simplici, & quę sine contemptu fit, legis transgressione; quandò scilicet mortale aut veniale peccatum sit? In quâ re euariant sententiæ Doctorum. *Missis aliis.*

DICO. I. Vera & propria regula cognoscendi obligationem legis humanæ sub peccato mortali, aut veniali, est grauitas vel leuitas materiæ. Nam si res, quæ præcipitur, aut prohibetur grauis sit, lex obligat sub peccato mortali; si verò leuis sit, sub veniali tantùm. Ità Driedo lib. 3. de libertat. Christianâ c. 3. Vasquez. disp. 158. cap. 4. & alij; qui proindè rectè docent, non esse in potestate legislatoris situm, obligare pro suo arbitratu ad peccatum mortale; nisi materia, quæ lege præcipitur aut vetatur, consideratis omnibus circumstantiis, grauis sit; aut ad veniale; nisi materia sit leuis. *Ratio est.* Tametsi enim pendeat ex voluntate legislatoris præcipere aut non præcipere; tamen posito semel præcepto, vis obligandi ex iure naturali, quod statuit obediendum esse superiori aliquid rationabiliter præcipienti, deriuatur. Vndè quantitas & mensura obligationis non pendet ex voluntate legislatoris, sed ex quantitate materiæ, quæ præcipitur vel prohibetur. Res declaratur exemplo simili, voti scilicet & iuramenti. Quamuis enim in potestate vouentis & iurantis sit, vouere & iurare; non tamen in potestate ipsius est, ad venialem aut mortalem culpam seipsum obligare;

quia poſito voto & iuramento, obligatio naſcitur ex ipſo iure naturali, iuxtà naturam voti & iuramenti, & materiam vtriuſque; non autem ex voluntate vouentis aut iurantis. Nã quãdò quis in materiâ graui Deo ſeſe obligat per votum (vt ſi voueat perpetuam caſtitatem) non eſt in eius poteſtate, vt tranſgreſſio illius voti ſit tantùm venialis; Aut quandò in re graui obligat ſe per iuramentum, non poteſt efficere pro ſuo arbitratu, vt violatio iuramenti venialis tantum ſit, & non mortalis. Idem omninò de lege ſentiendum. Eſt quidem in poteſtate legislatoris ferre legem, quæ ſubditos obliget; vt autem obliget grauiùs aut leuiùs, ſub peccato mortali, aut veniali, hoc non pendet à voluntate legislatoris; ſed ex rei, circà quam verſatur, momento & quantitate æſtimandum eſt. *Vno verbo.* Obligare quoad exercitium legislatoris eſt; non autem quoad ſpecificationem.

Dico. II. Duplex præcipuè via eſt, ex quâ vir prudens grauitatem materiæ, quæ lege præcipitur aut prohibetur, æſtimare poteſt. *Prima eſt*, ſi valdè vtilis, aut etiam neceſſaria ſit ad commune bonum Reipublicæ; qui finis eſſe ſolet à Legislatore intentus. Vndè præ oculis habere oportet, materiam non eſſe ſecundum ſe præcisè conſiderandam, ſed cum ordine ad finẽ, ad quem à legislatore dirigitur. Fieri enim poteſt, vt materia in ſe leuis appareat, quæ tamen in ordine ad finem à legislatore intentum valdè grauis ſit. Sic in familiis religioſorum, quibus propoſitus hic finis eſt, eniti ad tantam perfectionem, quanta obtineri in hac vitâ poteſt; multa occurrunt, quæ cùm ſecundum ſe ſpectata exigua eſſe videantur; in ordine tamen ad finem illum plurimum momenti habeant. Vndè præcepta, quæ de iis dantur, non ſunt exiſtimanda obligare in materiâ leui, ſed in graui omninò. Idem eſt de præcepto, quod Devs Adæ impoſuit. Tametſi enim abſtinentia à fructu arboris, quæ illi pręcipiebatur, in ſe conſiderata parua eſſet; in ordine tamen ad finem, quem Devs intendit, fuit materia planè grauis; quia impoſita illi fuit in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quaſi in tributum humanę ſubiectionis ad Devm, vt rectè docent Suarez. lib. 3. de legibus, cap. 25. num. 5. & Gregorius de Valentiâ diſput. 7. quęſt. 5. punct. 6. & alij. *Altera, & quaſi à poſteriori, via eſt*; ſi pœna, quàm lex tranſgreſſoribus

imponit, grauis sit. Ea quippè indicio est, grauem esse materiam, quæ lege præcipitur aut prohibetur. *Ratio est*. Quia grauis pœna non imponitur prudenter, nisi pro re graui. At Legislator præsumitur prudenter pœnam imponere. Ergò. Ità censenda est materia grauis, quoties in iure Canonico aliquid precipitur sub pœna excommunicationis maioris; depositionis, degradationis, interdicti, infamiæ, maledictionis æternæ, indignationis omnipotentis DEI &c. Nam cū eiusmodi pœnæ grauissimæ sint, nō potest materia earum legum, quibus adiiciuntur, non censeri grauis. Hanc viam tradidêre. Caietan. 2.2. quæst. 288. art. 9. ad 2. Et in summâ. Verb. *Praeceptum*. Nauarr. cap. 21. numer. 53. Palacius in 3. distinction. 37. quæst. 7. Driedo lib. 2. de libertat. Christianâ cap. 1. Angelus. Verb. *Lex. §.* tertio. & alij, quos citat Salas. De Legib. disput. 10. sect. 9. Iuxtà eandem viam rectè docuit Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. sub finem. Quoties lex vetus seu Mosaica pœnam transgressori intentabat his verbis. *Peribit anima sua de populo illo*. Id est: Quoties mortem comminabatur transgressori alicuius legis, semper materiam legis illius fuisse grauem, ac proindè sufficientem ad peccatum mortale. Legi prætereà potest Diuus Augustinus libr. 2. de Baptism. cap. 6.

DISPVTATIO III.

Vtrum lex humana obliget ad sui obseruationem cum periculo vitæ?

SENSVS est: An ità lex humana obligare possit, vt vitæ potiùs sit iactura facieda, quàm vt ab eius obseruatione recedatur?

PRIMA SENTENTIA est, Caietani. 1.2. quæst. 96. art. 4. qui existimat, non tantùm ferri posse aliquam legem humanam, quæ ad sui obseruationem cum periculo vitæ obliget; sed plerasque omnes leges humanas (extrà eos casus, quos suâ benignitate legislator excipit) ità obligare. Quàm opinionem ità confidenter tenet, vt oppositam perspicui erroris postulet. Ducitur tribus subsequentibus argumentis. *Primò*. Homo non tantùm quoad externa bona, sed etiam quoad

vitam

vitā suam, pars est communitatis; ac proindè non tantùm externa bona, sed etiam vitā suam tenetur periculo exponere (sicubi necessitas exigit) pro bono cōmunitatis: Sed lex humana ordinatur ad bonum communitatis: Ergò ad obseruationem legis humanæ tenetur homo etiam cum periculo vitæ suæ. *Secundò*, Lex humana, cùm obliget sub peccato, violari sine peccato non potest: Sed vita potiùs amittenda est, quàm committendum aliquod peccatum: Ergò vita potiùs amittenda est, quàm violanda lex humana; ac proindè ea cum periculo vitæ etiam obligat. *Tertiò*. Regulariter vna eademque ratio est omnium legum humanarum: Sed multæ leges humanæ obligāt ad sui obseruationem cum periculo vitæ. 1. Illa, quæ prohibet celebrationem Missæ sinè veste sacrâ, & calice consecrato. 2. Illa, quæ prohibet contractum matrimonialē cum consanguineâ in gradibus prohibitis. 3. Illa, quæ præcipit, vt grassante peste parochus in ciuitate maneat. 4. Illa, quæ præcipit, vt miles tempore belli in statione maneat. 5. Illa, quæ prohibet communicationem in sacris cum excommunicato. 6. His addi potest constitutio Carthusianorum, de abstinentiâ ab esu carnium. Hæ omnes ità obligant ad sui obseruationem, vt mors potiùs oppetenda sit, quàm vt aliqua ex iis violetur. Ergò regulariter omnes leges humanæ obligant ad sui implementum cum periculo vitæ.

Secvnda, & priori à diametro opposita sententia est; Nullam legem humanam posse obligare cùm periculo vitæ. Ità Almaynus. tractat. 1. moral. cap. 3. Maior in 4. dist. 18. quęst. 4. & alij, quos refert Salas de legibus disput. 11. sect. 1. num. 1. *Fundamentum huius sententiæ potissimum est*. Quia ad vitæ conseruationem lex naturæ obligat; Sed lex humana non potest prçiudicare legi naturali: Ergò nec obligare cū periculo vitę. Vndè D. Thomas. 2.2. quęst. 104 art. 5. inquit; In iis, quę ad corporis conseruationem spectant, hominem non teneri homini obedire. *Pro resolutione controuersiæ*.

Dico. I. Lex humana, quando eius obseruatio ità in bonum communitatis cedit, vt pluris intersit legem seruari, quàm vitam propriam, obligat ad sui obseruationem cum periculo vitę. Ità Dominicus Sotus lib. 1. de Iustit. & iur. quęst. 6. artic. 4. & in 4. dist. 22. quęst. 1. art. 4. Couarruuias in cap. *Alma mater*. 1. part. §. 3, num. 9. vers. *tertiò solet*. Vasquez. disput. 161. cap. 2. Suarez lib. 3. c.

30. num. 4. & alij. *Ratio est.* Nam cùm in legislatore sufficiens & necessaria potestas sit prouidendi bono communi; Huic autem sufficienter prouideri interdùm non possit, nisi aliquis, seu pars aliqua communitatis, se exponat periculo vitę; planũ est in legislatore potestatem esse, quâ aliquẽ, seu partem aliquam communitatis, interdùm & quandò boni communis interest, obliget ad aliquid agendum etiam cum periculo vitæ. Sic Pontifex potest pręcipere alicui, vt cum discrimine vitæ suæ fidem tueatur cõtrà hęreticos: Episcopus Parocho, vt tempore pestilitatis sacramenta infirmis ministret. Imperator militi, vt imminente necessitate stationem suam, etiãsi moriendum ibi sit, tueatur, &c.

Dico II. Lex humana, quandò eius vtilitas non est maioris momenti, quàm vita illius, cui imponitur, non obligat ad sui obseruationem cum periculo vitę. Ità docent contrà Caietanum communiter authores. *Et ratio est.* Nam cùm homo legislator non habeat absolutam potestatem vitę & mortis subditorum, non potest indiscriminatim ferre leges, quę subditos obligent cum periculo vitę; sed in eo casu tantùm, quandò bonum publicum id postulat. Vndè extrà casum boni communis, si occurrat vitę periculum, cessat lex & pręceptum, ac proindè etiã obligatio. Idque non indulgentię aut benignitati legislatoris, quia hic noluerit legem suam extrà casum boni communis adeò grauiter obligare, vt existimat Caietanus, tribuendum est; sed ipsi necessitati: Quia lex cum tanto dispendio lata, nec rationi consentanea esset, nec secundum patrię consuetudinem possibilis.

Dico III. Leges humanę rarò obligãt ad sui obseruationem cum periculo vitę. *Ratio est.* Nam rarò euenit, vt bonum commune, quod leges respiciunt, postulet vitam subditorum obiici discrimini. Ideò non frequenter, sed rarò fit, vt lex humana sub tanto dispendio obliget. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad primum, patet ex primâ conclusione. Tantùm enim probat posse legem humanam in aliquo casu, quandò scilicet ratio boni communis ità exigit, obligare cum periculo vitę; non autem euincit semper, aut saltem frequenter, ità obligare; quia fieri potest, imò frequentiùs fit, vt priuata subditorum vita magis Reipublicæ prosit, quàm eius, quod lege pręcipitur, obseruatio.

Ad Secundum. Lex huma-

na extrà necessitatem boni communis non obligat cum periculo vitæ; ac proindè peccatum non est, occurente vitæ periculo, contrà legem agere. Quòd si lex in eo casu obligaret, potiùs amittenda vita esset, quàm lex violanda; quia violari sine peccato non posset, quod neque ad vitandam mortem licet committere.

Ad Tertium. Rigor obligationis legum ex necessitate boni communis expendendus est; quæ non est æqualis in omnibus. Id quod vel ipsa exempla in eo argumento adducta probant. *Primum* est legis, quæ prohibet celebrare Sacrum sine veste sacrâ, & aliis à iure Canonico requisitis. Hanc enim non obligare cum periculo vitæ (nisi contemptus legis aut iniuria fidei interuenerit) rectè docent Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 4. Paludanus in 4. distinct. 13. q. 2. Antoninus. 3. part. tit. 13. cap. 6. Vasquez disp. 161. cap. 3. & alij. *Alterum*, Legis, quæ prohibet contrahere matrimonium in gradibus iure humano prohibitis. Neque hanc obligare cum periculo vitæ, benè docent Sotus in 4. dist 22. quæstione 1. articulo 4. & lib. 1. de Iustit. quæstion. 6. articul. 4. sub finem. Vasquez, Suarez locis citatis. Licet enim metu mortis contrahere matrimonium cum consanguineâ ritu externo; non tamen consummare. Quippè matrimonium ità contractum, irritum est, & nullum. Vndè qui illud consummaret, accederet ad non suam; quod est contrà ius naturæ. *Tertium*, Legis, quæ præcipit, vt parochus grassante peste in ciuitate maneat. Hanc obligare cum periculo vitæ constat ex primâ conclusione. Quia ratio boni publici exigit, vt parochus potiùs spirituali saluti ouium, pro quibus animam suam ponere debet, Ioan. 10. quàm propriæ vitæ temporali, consulat. Idem est de lege, quæ præcipit, nè miles stationem suam deserat. Quia id communis Reipublicæ salus postulat. *Quintum*, Legis, quæ prohibet communicationem in sacris cum excommunicato. Hæc lex non obligat cum periculo vitæ; nisi fiat communicatio, vt communiter fieri solet, in contemptum fidei & religionis, aut censuræ Ecclesiasticæ. Ità Couarruuias in cap. *Alma mater*. part. 1. §. 3. numero 9. *Et ratio est*. Quia talis contemptus peccatum est, quod contrà legem naturalem & diuinam committitur. *Postremum* Constitutionis illius Carthusianæ, de abstinentiâ ab esu carnium. De hac variæ sunt Theologorum

opiniones. Quibus omissis duæ probabiliores assertiones statuuntur.

PRIMA est. Quandò nulli alij cibi suppetunt, potest Carthusianus ad sustentationem vitæ suæ vesci carnibus. Ità Gerson. 2. part. tractat. de abstinentiâ Carthusiensium. Victoria releċt. de temp. n. 10. Ledesma. 2. part. quæst. 17. art 6. dub. 5. §. *posse: aliter*. Vasquez disput. 162. cap. 4. Azor. tom 1. lib. 5. capite 6. quæst. 7. Couarruuias. lib. 1. variar. resolut. cap. 2. n. 10. *Ratio est*. Quia extrema necessitas à legis humanæ obseruatione excusat. Cap. *Sicut*. De Consecrat. dist. 1. Cap. *Sanctam*. dist. 4 Capit. *Consilium*. de obseruat. ieiuniorum. ad 3. Cap. *Exijt*. de verbor. significat. §. *Nequicquam*. Neque dixeris, id verum esse, nisi lege ipsâ præscriptus etiam sit casus extremæ necessitatis. Hîc enim nulla lex est, nec esse potuit, vt Carthusianus in extremâ necessitate à carnibus abstineat, cùm nullum appareat bonum, ad quod necessaria sit talis abstinentia, quæ in eo euentu non religiosa, sed superstitiosa erit, nisi ignorantia excuset. *Adde* Carthusianum non esse damnatum ad inediam, nec habere, aut habere posse præceptum abstinendi ab omni cibo simpliciter; cur igitur abstineat? cùm teterrimum genus mortis sit, & à quo vel maximè natura abhorret, vt aliquis cogatur fame interire.

ALTERA ASSERTIO. Quandò alij cibi suppetunt ad vitæ sustentationem, siuè diuturnam siuè modicam, tenetur Carthusianus, quantumuis etiam æger, abstinere à carnibus, & vitam potiùs amittere, quàm carnium esu propagare. *Ratio est*. Quia obseruatio illius constitutionis de abstinentiâ ab esu carnium ità in bonum commune & spirituale ordinis Carthusiensis cedit, vt pluris intersit, constitutionem illam seruari, quàm priuatam & temporalem alicuius religiosi vitam; iuxtà primam nostram conclusionem. De momento & pondere illius constitutionis legi possunt Gerson. tract. de abstinentiâ Carthusianorum. Maior in 4. dist. 38. qu. 24. Victoria releċt. de Abstinentiâ. num. 8. Ledesma 2. part. quæst. 1. art. 6. dub. 5. Vasquez disput. 162.

OBIICIES. Conseruatio vitæ propriæ iuris naturalis est; constitutio autem illa Carthusianorum de abstinentiâ & esu carnium tantùm humana. Sed lex humana non potest præiudicare legi naturali. Ergo Carthusianus in ægritudine constitutus potiùs tenetur vesci carnibus, vt

vitam

vitam suam conseruet, quàm ab ijs abstinere. *Respondeo.* Præceptum illud legis naturalis de conseruandâ vitâ propriâ non obligare absolutè semper & simpliciter; sed sub conditione; scilicet, nisi caussa honesta, grauis & legitima aliud exigat. cuiusmodi in præsenti est, bonum commune & spirituale ordinis Carthusianorum. Ex quo etiam patet ad fundamentum sententiæ secundæ:

QVAESTIO XCVII.

De Legum Mutatione.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum Lex humana debeat mutari aliquo modo?* CONCLVSIO est. Duplex caussa potest occurrere mutandę legis humanę. *Prior* ex parte rerum; quia rationi consentaneum est, paulatim ab imperfectioribus ad perfectiora ascendere. Vndè si maior aliqua vtilitas occurrat, quàm sit ea, quę ex priori lege exspectari poterat, lex illa iustè & rationabiliter mutari potest. *Altera* ex parte hominum. Quia dum mutantur mores populorum, mutari etiam oportet leges, nè id, quod anteà vtile erat, nociuum reddatur propter diuersam consuetudinem & mores hominum. Id quod probat. D. Thomas testimonio D. Augustini lib. 1. de lib. arbitrio. cap. 6.

ARTICVLO II. *Vtrum Lex humana semper sit mutanda, quandò occurrit aliquid melius?* CONCLVSIO est. Lex humana eatenùs rectè mutatur, quatenùs eius mutatione vtilitati communi prouidetur.

ARTICVLO III. *Vtrum consuetudo possit obtinere vim legis?* CONCLVSIO est. Consuetudo per multos actus roborata habet vim legis.

ARTICVLO IV. *Vtrum Rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare?* CONCLVSIO est. Rector multitudinis potestatem habet dispensandi in lege humanâ, quæ ipsius authoritate fulcitur; quatenùs videlicet in personis aut casibus, in quibus lex deficit, li

centiam dat, vt præceptum legis non ſeruetur.

DISPVTATIO I.

Vtrum conſuetudo habeat vim legis?

DEFINITVR Conſuetudo, quòd ſit ius moribus vtentium introductum & approbatum, quod pro lege vſurpatur, vbi lex deſideratur & deficit. Vndè in l. *De quibus.* ff. de Legib. ſtatuitur, quandò leges ſcriptæ nõ extant, id cuſtodiri, oportere, quod moribus & conſuetudine inductum eſt. Et l. *Diuturna* ff eod. tit. habetur, diuturnam conſuetudinem pro iure & lege in iis, quæ, non ex ſcripto deſcendunt, obſeruari ſolere. Quare differt à lege ſeu iure ſcripto, quòd lex expreſſo Principis, aut populi Principem ſupremum non habentis, conſenſu ſancitur: Cõnſuetudo verò ex ſimilium actuum frequenti repetitione, & tacito Principis, aut populi conſenſu conſurgit. Ea, vt rectè notat Abbas in cap. vltimo de conſuet. n. 20. & Bartholus in L. *De quibus* ff. de legibus, triplex eſt: Secundum legem; Præter legem; Contrà legem. *Conſuetudo* ſecundum legem eſt, quæ vel legem confirmat; vel ſaltem interpretatur & declarat. Cap. *Cùm dilectus.* De conſuet. l. *Minimè.* ff. de legib. *Conſuetudo* præter legẽ eſt, quæ moribus vtentium inducitur, vbi lex nulla eſt, quæ contrarium imperet, aut vetet. *Conſuetudo* contra legem eſt, quæ aliquid obtinet, quod legis præcepto vel prohibitioni repugnat. Et de hac potiſſimùm controuerſia eſt: Vtùm habeat vim legis, aut legem abrogare poſſit? In quâ re quædam certa ſunt, quædam verò, de quibus meritò dubitari poteſt.

PRIMÒ certum eſt, Conſuetudinem non poſſe derogare legi naturali. Ita S. Thom. hoc loco. art. 3. ad 1. Et patet ex cap. vltimo de Conſuetud. & Gloſsâ ac DD. ibid. *Ratio eſt.* Quia quod lex naturæ iubet aut vetat, eſt ex ſe bonũ aut malum, vt ex ſuprà dictis patet. Ergò vſu & conſuetudine hominum tolli aut abrogari non poteſt. Vndè conſuetudo contrà legem naturalem inducta vocatur in iure ciuili, cõſuetudo contrà bonos mores; & in iure canonico, corruptela.

OBII-

Obiicies. Vsuræ naturali lege sunt prohibitæ; & tamen consuetudo in quibusdam locis obtinet, vt Iudæi promissas sibi vsuras iudicialiter exigant; & ij, qui promiserunt, per sententiam iudicis ad soluendas compellantur. Ergò consuetudo videtur posse derogare iuri naturali. *Respondeo*; Eiusmodi consuetudinem non aduersari legi naturali; nō enim approbat vsuras, quas lex naturalis prohibet. Aliud enim est vsura, & aliud solutio vsuræ. Vsura semper illicita est, & iuri naturali contraria; solutio vsuræ licita esse potest & cōgrua iuri naturali. Vsura igitur eiusq; exactio (dummodò non excedat certam pecuniæ quantitatem) permitti tantùm, vbi consuetudo illa viget, potest; vt multa per se mala licitè permittuntur ad euitandum malum grauius; Ad promissam verò vsuræ solutionem etiam compelli aliquis per sententiam potest. Id enim aliud non est, quàm ad seruanda pacta & conuenta adigi, in quo nulla apparet peccati aut iniustitiæ ratio; Sicuti is etiā, qui promisit solutionem vsurarum, nec promittendo peccat, nec soluendo.

Secundò certum est, Consuetudinem non habere vim derogandi iuri diuino. Hoc enim à Deo constitutum est, quod ipse præcipit, vt obseruetur: Quarè sicuti lex diuina non potest lege humanâ tolli aut abrogari; ità nec consuetudine, quæ vim suam ex moribus vtentium colligit & obtinet. Ità D. Thomas hoc loco. art. 3. ad 1. Et Glossa ac DD. in Cap. vltimo de Consuetud. Eiusmodi ergò consuetudo meritò appellatur corruptela, abusus, & contrà bonos mores. *Ibi obserua*, nomine legis diuinæ intelligi eam, cuius obligatio etiamnum viget. Multa enim erant in veteri olim testamento diuinâ lege ad tempus constituta, vt cæremoniæ & præcepta iudicialia, quæ iam vltrà in lege Euangelicâ non obligant. Vndè sicuti diuinâ voluntate abrogata sunt; ità consuetudo iis contraria vim etiam habere potest.

Obiicies. Iuris diuini est, vt ij, qui vinculo excommunicationis illigati sunt, repellantur à consortio fidelium. Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Id quod de omni excommunicatione videtur intelligendum esse. Atqui Ecclesiasticâ consuetudine vsurpatur, vt duo tantùm genera excommunicatorum deuitemus; nempè notorios Clericorū percussores; & eos, qui nominatim sunt denūtiati: Ergò

consuetudo derogare iuri diuino potest. *Respondeo.* In Excommunicatione aliquid esse iuris diuini, & aliquid iuris tantùm humani. Iuris diuini est, vt quamdiu aliquis vinculo excommunicationis tenetur, à diuinis mysteriis, & vsu Sacramentorum abstineat; & contrà hoc nullam vim habet consuetudo aut lex humana. Hoc sensu dixit Christus: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ethnici quippè & publicani à diuinis tantùm arcebãtur. Iuris verò canonici & humani est, vt eorum, qui excommunicati sunt, consortium vitemus; idque lege ecclesiasticâ vel consuetudine abrogari potest. Hæc igitur certa sunt, & communi Theologorum consensu firmata. Quod verò in dubium vocatur, est: Cuiusmodi debeat esse consuetudo, vt vim habeat abrogandi legem humanam; vtque ipsa loco scriptæ legis aut constitutionis habeatur? Ad cuius rei declarationem aliquot conditiones obseruandæ sunt.

Prima conditio est, vt consuetudo confirmata sit expresso vel tacito consensu Principis, aut Reipublicæ, quæ supremam ferendi leges potestatem habet. Nam cùm non minoris authoritatis sit legem abrogare, quàm condere; Lex autem condi nequeat nisi voluntate Principis, aut Reipublicæ supremam potestatem habentis, manifestè sequitur, neque consuetudinem induci posse, quæ vim legis habeat, & legem scriptam abroget, nisi voluntate & consensu tacito vel expresso Principis aut Reipublicæ; ac proindè ad consuetudinem, vt hæc vim legis habeat, & legi scriptæ deroget, necessarius est consensus tacitus vel expressus Principis, aut populi superiorem se Principem non habentis. Ità docent ex Iureconsultis Ioan. Azon & Accurs. in l. 2. C. *Quæ sit longa consuetudo.* Innocentius in rubricâ de Consuetudine, col. 2. sub finem. Angelus in L. *de quibus.* col. 1. ff. de legibus. Ex Theologis verò D. Thomas hoc loco. art. 3. ad 3. Dominic. Sotus lib. 1. de iustit. quæst. 7. art. 2. Driedo libr. 1. de libertate Christianâ cap. 12. Syluester in Summâ. Verbo. *Consuetudo.* quæst. 3. *Hinc porrò sequitur*, ad stabiliendam consuetudinem necessarium esse, vt ea in notitiam Principis, aut populi supremam habentis potestatem deuenerit. Nisi enim Princeps aut Respublica consuetudinem sciat, nec expresè in eam consentire, nec tacitè consensisse præsumi possunt. Quamobrem cùm Princeps aut Respublica sciens vsum, eum vel appro-

bat, vel saltem non improbat, nascitur consuetudo, quæ habet vim legis, vel quæ sufficit ad derogandum legi anteà latæ. Quia Princeps aut Respublica, quæ habet supremam potestatem, non improbans vsum, censetur illum approbare. Quod verò aliqui dicunt difficile videri, consuetudines omnes ad notitiam Principis deuenire, nihil habet momenti. Nam si aliqua fuerit consuetudo, cuius vsus Principi non innotuerit, quod facilè contingere potest, non est habenda pro lege. Neque etiam obest, quod adduci solet ex Cap. vltimo de consuetudine; vbi nihil aliud requiritur pro consuetudine, nisi vt sit rationabilis, & legitimè præscripta. Nam cùm dicitur legitimè præscripta, intelligitur etiam esse consensu Principis firmata; vt autem eo firmata sit, debet ipsi Principi esse cognita; sine quâ notitiâ consensus Principis nec esse, nec præsumi potest.

Altera conditio est; vt sit legitimè præscripta. Sed de tempore necessario ad hanc præscriptionem disputant Canonistæ & Theologi. Missâ opinionum varietate duas statuo assertiones.

Prima est. Consuetudini expresso Principis consensu firmandæ nullum est à iure tempus definitum & determinatum; nec potest definiri aut determinari. *Ratio est.* Quia cùm expressus consensus sit in liberâ potestate Principis, non potest is certo aliquo tempore constringi & definiri; & cùm ab eo consuetudo vim & auctoritatem trahat, statim ac consuetudo expresso Principis consensu approbatur, incipit lex prior & scripta emori, eiusque loco vim ac robur consuetudo obtinet.

Secunda assertio est: Consuetudini tacito Principis consensu stabiliendæ tametsi aliqui certum ac definitum tempus negent; probabilior tamen opinio est, quæ duo asserit; *Alterum est:* Quandò consuetudo est contrà ius canonicum, vt vim & robur habeat, requiri spatium quadraginta annorum: *Alterum*: Quandò consuetudo est contrà ius ciuile, requiri spatium longi temporis. Longum verò tempus in iure ciuili est decennium. l. vltimâ. Cod. de præscriptione longi temporis. Ità docent Syluester. Verb. *Consuetudo.* quæst. 4. §. *Secundò requiritur.* Felinus cap. 1. de Treuga & pace. num. 11. & 13. Itaque deficiente consensu expresso Principis, nulla consuetudo, etiam sciente & tolerante Principe inducta, valet contrà

Canonẽ antè quadraginta annorũ spatium; & contrà legem ciuilẽ antè decenniũ. Nam multa scienter & patienter tolerantur, in quibus consensus deficit. Cap. *Cùm iam dudum.* de præbend. Vt ergò Princeps tacitè consensisse præsumatur, præter scientiam & patientiam ipsius, necessarius est prædictus annorum numerus. Legi possunt Gloss. in Capit. vltimum de consuetudine. Abbas eodem Capit. num. 11. Felinus, Rochus, Nauarrus, Syluester & alij.

Tertia conditio est: Vt consuetudo vsu manifesto introducatur. Nam cùm vsus solùm valeat inducere consuetudinem consentiente Principe, nunquàm potest consuetudo sufficiẽter introduci, vt habeat vim legis, & legi priori deroget; nisi ità manifesta fiat, vt videatur consentire Princeps, ex cuius voluntate pendet.

Qvarta conditio est: Vt sit rationabilis. Nam sicuti lex debet esse iusta & secundum rectam rationem; ità etiam consuetudo, vt vim legis sortiatur, debet esse consentanea rectæ rationi. *Hinc duæ emergunt quæstiones.*

Prima est: Quo pacto fieri possit, vt consuetudo, quæ est contrà legem positiuam rationabiliter latam, sit rationabilis? præsertim cùm in l. *Secunda C. Quæ sit longa consuetudo.* habeantur hæc verba: *Consuetudinis, vsusq; longæui non vilis authoritas: Verùm non vsq; adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat aut legem. Respondeo.* vt consuetudo sit rationabilis, satis est, si iuri & rationi naturali non aduersetur; quæ si firmetur consensu legislatoris, saltem tacito, & reliquas habeat conditiones ad consuetudinem requisitas, potest derogare legi positiuæ. Lege illâ secundâ solùm negat Imperator, consuetudinem sui momento; Hoc est, propriâ virtute tantum valere, vt aut rationem vincat aut legem. Nam vt rationem vincat, nullâ virtute habere potest; vt autem legem vincat, quanquàm sui momento præcisè non habeat; id tamen habere potest consensu Principis tacito, vel expresso.

Secvnda qvæstio: An consuetudo per legem reprobata vim habeat derogandi legi? *Exempli gratiâ.* Sancitur lege hoc aut illud debere fieri, non obstante quacunque contrariâ consuetudine; Difficultas est, An talis consuetudo, quam lex ipsa expressè reiicit, resurgere contra legem, eique derogare

possit

possit? *Respondeo* duabus assertionibus.

PRIMA est. Si lex consuetudinem reprobet, vt iniquam & irrationabilem; Hoc est, vt cum iure naturali & diuino pugnantem, nunquàm consuetudo conualere contrà legem potest, vt ei deroget. Itaque lex, quæ prohibet consuedinem, vt irrationabilem, non solùm aufert consuetudinem præteritam, sed impedit etiam futuram. *Ratio est.* Non enim potest consuetudo habere vim & robur, nisi sit rationi consentanea. Cumque semper præsumendum sit pro lege, talis consuetudo semper debet censeri irrationabilis; ac proindè non idonea, vt contrà legem possit conualescere. Huius consuetudinis reprobatio fieri solet, cùm in iure appellatur corruptela; hac ferè formulâ verborum: *Non obstante consuetudine, quæ potiùs corruptela, quàm consuetudo dicenda est.* aut similibus, vt in Capitulo vltimo de consuetudine.

ALTERA ASSERTIO. Si lex consuetudinem reprobet, aut verbis generatim tantùm positis; hac scilicet vel simili verborum formulâ: *Non obstante quacunq. consuetudine*: Aut etiam speciatim; *Nihil obstante hac aut illâ consuetudine*; ità tunc consuetudo tollitur & abrogatur, vt tamen possit denuò contrà legem induci, & vires resumere. *Ratio est.* Nam sicuti vna lex tollit aliam, & illa rursus ab eadem tolli potest; quia consensus Principis, ex quo pendent leges, iuxtà varia tempora & casus variari potest; ità etiam consuetudo semel sublata per legem, si denuò introducatur, legem abrogare potest. Quia tam abrogatio, quàm confirmatio consuetudinis ex eodem consensu Principis pendet. Legi potest Nauarrus in commentario de spoliis Clericorum. §. 15. numero. 8. Vbi addit: Consuetudinem non tantùm posse habere hanc vim, quandò lex consuetudini resistit eam reiciendo; sed etiam quandò expressè vetat, nè in posterum introducatur. Quòd enim consuetudo futura prohibeatur, non arguit eam esse irrationabilem; sed solet prohibitio addi ad cautelam duntaxat consuetudinis non introducendæ

DISPVTATIO II.

De Dispensatione legis humanæ.

PRÆMITTO distinctionem esse inter hæc quinque: Irritare legem; Abrogare; Interpretari; Dispensare; & obligationem aliquam Commutare. *Irritare legem*, aut etiam votum, est impedire, ne habeat vim obligandi. Vt si Princeps legem à ciuibus constitutam non approbet: sed potiùs tollat, dicitur eam irritare. Sic etiam pater votum à filio antè certos annos emissum irritare & rescindere potest. *Abrogare legem* est, postquàm lex vim obtinuit, eam tollere. Vt si Princeps legem, quam tulit, posteà aboleat. *Interpretari* legem non est aliquid de nouo legi addere aut detrahere; sed est declarare, in quibus casibus lex non obliget; aut verba legis ambigua & obscura explicare. Quæ interpretatio non prælatis solùm, sed etiam subditis multoties conuenit. *Dispensare* est, in aliquo casu eximere subditum à legis obseruatione, cui alioquin obstrictus erat. Fit autem dispensatio hac ratione. Quia Legislator, qui est author & dominus legis, licentiam alicui dat, vt non sit sub legis obligatione, non vt lex sua eo ipso desinat & exspiret; sed vt obligatio legis generalis, quæ ad omnes reliquos extenditur, hunc vel illum non comprehendat. Tunc igitur perindè se habet legislator, ac si diceret: *Ego cæteris omnibus præcipio, vt hoc faciant, aut prohibeo, nè faciant; huic verò vel illi non præcipio, nec prohibeo.* Vndè dispensatio legis, non est declaratio aut interpretatio, quâ superior declarat, tunc desinere obligationem legis; sed est remissio quædam & licentia, quæ alicui conceditur, vt nō obstante lege, quæ alios obligat, ipse non teneatur. Ità dispensationem definiunt Durand. in 1. dist. 47. qu. 4. num. 6. Sotus lib. 1. de iustit. qu. 7. art. 3. & lib. 7. qu. 4. art. 1. Richard. in 4. dist. 38 art. 9. qu. 1. & dist. 17. art. 2. qu. 7. ad 1. Couarruuias in 2. part. de Matrimonio. cap. 6. §. 9. num. 1. 2. 3. Sotus in 3. dist. 3. qu. vnicâ. §. *Sed ista*. Gabriel ibid. quæst. vnicâ. art. 1. notat. 3. *Demùm commutare obligationem*, non est simpliciter tollere obligationem, quâ quis tenetur; sed loco eius aliam inducere, subdi-

to magis conuenientem. *Hoc præmisso,* proposita disputatio aliquot difficultatum resolutione expedienda est.

Prima Difficvltas est: Vtrum Prælatus inferior dispensare possit in lege Superioris? *Respondeo.* Prælatos inferiores tunc dispensare posse in iure positiuo superiorum, quandò expressam potestatem habent sibi à Principe superiore commissam. Quo pacto Episcopi tum ex iure communi à Summis Pontificibus constituto, tum ex particularibus concessionibus potestatem habent dispensandi in nonnullis legibus Summi Pontificis. Legi possunt Sotus. lib. 1. de iustit. quæst. 7. art. 3. Syluester Verbo *Dispensatio.* quæst. 9. num. 14. Caiet. quæst. 97. art. 4. Greg. de Valent. 1. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 9. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 15. qu. 7. &c.

Altera Difficvltas: Vtrum valida sit dispensatio, quæ sinè rationabili caussâ, & pro arbitrio conceditur? *Respondeo duabus assertionibus.*

Prima est: Si inferior sine caussâ rationabili dispenset in lege superioris, dispensatio omninò est inualida. Quod etiam intelligendum est, quandò Summus Pontifex dispensat in ijs, quæ sunt iuris diuini: *Exempli caussâ;* in votis. Ità Caietanus in summâ. Verbo *Dispensatio.* Et est communis sententia Doctorum. *Ratio est.* Quia Prælati inferiores non habent potestatem, nisi ex commissione superioris: Atqui nulli committitur potestas dispensandi in lege superioris sinè causâ rationabili: Ergò.

Secvnda Assertio: Si Prælatus dispenset in eâ lege, cuius ipse author est, etiamsi sinè rationabili caussâ dispenset; valida tamen dispensatio est. Quod intelligo, quandò dispensatio talis non prouenit ex dolo & fallaciâ eius, qui dispensationem petit. Nam si is caussam simulet, & fucum faciat Prælato in obtinendâ dispensatione, omninò inualida est dispensatio. Est communis sententia Doctorum,

Tertia Difficvltas: Vtrum is, qui vtitur dispensatione citrà caussam rationabilem concessâ, peccet? Peccare Prælatum, qui sinè caussâ rationabili aliquem à lege suâ per dispensationem eximit, apud Doctores extrà controuersiam est. Nam cùm lex iusta sit, temerè & imprudenter facit, qui aliquem ab eius obseruatione sinè iustâ & rationabili caussâ eximit: Ergò à peccato

excusari non potest; etiamsi eiusmodi dispensatio iuxtà secundã assertionem superioris difficultatis valida sit. Nam, ex receptâ Iureconsultorum regulâ, multa illicitè fiunt, quæ tamen facta valent. *Sed dubitatio est*: An is etiam, qui vtitur dispensatione illicitè concessâ, peccet? In quâ re duæ sunt sententiæ Doctorum.

PRIMA est Couarruuiæ in 2. part. de Matrimonio. cap. 6. §. 9. numer. 7. & sequent. Innocentij in Cap. *Cùm ad monasterium* de statu Monachorum. Abbatis in Cap. *Non est.* de voto. Decij in Cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constitutionib. n. 17. & aliorum. Qui docent, eum, cui dispensatio sinè causâ concessa est, peccare, si eâ vtatur. *Fundamentum eorum est.* Quia talis dispensatio, potiùs dissipatio esset, quàm dispensatio, iuxtà doctrinam Bernardi lib. 3. de Considerat. ad Eugenium.

ALTERA & probabilior sententia est Soti lib. 1. de Iustit. qu. 7. art. 3. Syluestri in Summâ. Verbo, *Dispensatio.* quæst. 3. Angeli eod. titulo. num. 3. & recentiorum Thomistarum. hoc loco. art. 4. Qui docent, dispensationem Principis sinè causâ factam, in his quæ sunt iuris positiui ab ipso conditi, tametsi non sinè peccato Principis concedatur; semel tamen concessam itâ validam esse, vt is, cui concessa est, eâ vti sine peccato possit. *Fundamentum huius sententiæ est.* Quia qui potest legem condere, potest eandem etiam tollere; sed Princeps potest legem condere; Ergò etiam tollere. Et quamuis sinè causâ legem abrogans peccet; facta tamen semel abrogatio, etiam hoc modo, valida erit, vt iam ampliùs contrà legem non peccetur. Similiter ergò, quamuis abrogare legem ex parte, quod fit per dispensationem cum aliquo vel aliquibus, sinè causâ rationabili sit peccatum; factâ tamen semel tali dispensatione, ille, cum quo dispensatum est, vltrà iam non peccabit contrà legem.

QVAESTIO XCVIII.

De Lege veteri.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARticulo I quaerit D. Thomas: *Vtrum Lex vetus fuerit bona?* CONCLVSIO est affirmans. Ad Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Et iterum: *Consentio legi, quoniam bona est.*

ARTICVLO II. *Vtrum lex vetus fuerit à DEO?* CONCLVSIO est. Lex vetus à DEO lata fuit; Moyses autem eius praeco fuit, & mediator inter DEVM & homines.

ARTICVLO III. *Vtrum Lex vetus data fuerit per Angelos?* CONCLVSIO est. Lex vetus data fuit à DEO; ministerio tamen Angeli, qui quoniam cum Moyse loquens, vice & munere DEI fungebatur, passim in Sacris litteris Dominus appellatur.

ARTICVLO IV. *Vtrum lex vetus dari debuerit soli populo Iudaeorum?* CONCLVSIO est affirmans. Ideò verò peculiarem curam illius populi suscepit; quia de stirpe illius secundùm carnem venturus erat Christus.

ARTICVLO V. *Vtrum omnes homines obligati fuerint seruare legem veterem.* CONCLVSIO est. Praecepta moralia omnes obseruare debebant; praecepta verò caeremonialia & iudicialia solum populum Iudaicum obligabant. *Vbi obserua*, Legem veterem ità fuisse traditam populo Iudaico, vt etiam gentes aliae illam possent accipere. Vndè quicunque homo circumcidebatur, tametsi non esset de stirpe Iudaeorum; eo ipso subiiciebatur omnibus legibus caeremonialibus & Iudicialibus populi Iudaici. Ideò Paulus ad Galat. 5. dixit: *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersae legis faciendae.* Hi autem, qui erant ex alio populo, & circumcidebantur, dicebantur Proselyti.

ARTICVLO VI. *Vtrum lex vetus conuenienti tempore data fuerit Moysi?* CONCLVSIO est affirmans, & perspicua ex textu.

QVAESTIO XCIX.

De Praeceptis veteris legis.

SEX SVNT QVAESTIonis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum in lege veteri contineatur solùm vnum præceptum?* CONCLVSIO est. Omnia præcepta veteris legis possunt dici vnum respectu vnius finis, ad quem ordinantur; sunt tamen plura iuxtà diuersitatem eorum, quæ ordinantur ad illum finem. De numero omnium præceptorum legis Mosaicę disputant Burgensis lib. 1. Scrutinij Scripturarum. Gulielmus Parisiensis lib. de fide & legibus. Galatinus lib. 11. de arcanis. cap. 4.

ARTICVLO II. *Vtrum lex vetus contineat præcepta moralia?* CONCLVSIO est affirmans. Patet ex illo Ecclesiast. 17. *Addidit illis disciplinam & legem vitæ, &c.* Disciplina autem pertinet ad mores. Ergò lex vetus continuit præcepta moralia.

ARTICVLO III. *Vtrum lex vetus contineat præcepta cæremonialia?* CONCLVSIO est affirmans. Quam probat D. Thomas. Quia legis diuinæ est, ordinare homines ad DEVM. Hæc autem ordinatio fit non solùm per interiores actus mentis; ceu sunt credere, sperare, diligere; sed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo seruitutem suam ergà DEVM profitetur; & eiusmodi opera dicuntur cæremonialia.

ARTICVLO IV. *Vtrum præter præcepta moralia & cæremonialia sint etiam præcepta iudicialia?* CONCLVSIO est affirmans. *Pro cuius explicatione obserua:* Triplex fuisse genus præceptorum in lege veteri: *Moralia*; cuiusmodi erant præcepta Decalogi: *Cæremonialia*; qualia fuerunt præcepta Sacrificiorum: Et *Iudicialia*; quæ seruanda erant in iudicio. Hoc triplex genus præceptorum expressit Dominus Deuteron. cap. 6. illis verbis; *Hæc sunt præcepta, cæremoniæ, atque iudicia.* Ratio huius partitionis est. Nam quicquid præcipitur in lege, aut est bonum secundum se; aut est vtile; quia lege positiuâ mandatum est. Si est bonum secundum se, pertinet ad præcepta, & leges morales, quę legem naturalem in se continent; Si verò vtile est, quia lege positiuâ præceptum est; Vel ordinat hominem immediatè ad Deum eiusque cultum; & sic pertinet ad pręcepta cęremonialia; vel componit hominem in ordine ad proximum; & sic pertinet ad pręcepta iudicialia.

ARTICVLO V. *Vtrum aliqua alia præcepta contineantur in lege veteri præ*

ri prater moralia, caremonialia, & iudicialia? CONCLVSIO est. Omnia præcepta veteris legis comprehenduntur sub triplici illo genere. Cætera verò, quæ in lege continentur, ad præceptorum obseruationem pertinent.

ARTICVLO VI. *Vtrum lex vetus debuerit inducere ad obseruationem praceptorum per temporales promissiones & comminationes?* CONCLVSIO est affirmans. Constat ex Deuteronom. cap. 4. & cap. 28. Leuitici. cap. 26. Quæ ab hac quæstione vsque ad quæst. 109. disputat D. Thomas, & satis clara sunt ex textu, vt superuacanea sit eorum compendiosa repetitio; & subsequentibus disputationibus planiora fient.

DISPVTATIO I.

In quo differant lex vetus & noua?

SECTARII nostri temporis hoc discrimen constituunt inter vtramque legem; quòd lex vetus promitteret iustitiam cum conditione totius legis implendæ, ità, vt nemo in statu eius legis iustitiam assequeretur, nisi qui omnia præcepta legis adimpleret, iuxtà illud D. Pauli ad Galat. 3. *Qui fecerit ea, viuet in eis.* adductum ex Leuitici c. 18. Et Deut. 21. At verò lex noua seu Euangelica promittat iustitiam gratis, & sine vllâ conditione operum. Ità Lutherus in cap. 2. ad Galat. quem sequitur Philippus Melanchthon in locis communibus. tit. de lege & Euangelio, & Caluinus lib. 3. institut. cap. 11. sect. 17. & 19. & alij. Quod discrimen ideò fingunt, vt alterum illum errorem suum de tollendâ è medio bonorum operum necessitate fulciant.

VTRVMQVE errorem grauiter refellit Concilium Tridentinum. sess. 6. cap. 5. 6. 8. & Can. 9. Et nos alibi, vbi de operum ad iustificationem disponentium necessitate agendum erit, confutabimus.

VT IGITVR vera differentia statuatur inter legem Euangelicam, & Mosaicam; obseruanda est doctrina illa D. Thomæ superiori quæst. 106. art. 1. tradita; vbi distinguit legem nouam in Primariam, & Secundariam. Legem primariam eam inquit esse, quæ indita est cordibus hominum; hoc est, gratiam Spiritus sancti, quæ datur per fidem Christi. Secundariam verò ait,

esse legem scriptam; Hoc est, quæ continet præcepta scripta & tradita nobis à Christo, authore gratiæ & Euangelij, vt credenda & implenda. Vtramque legem rectè colligit ex illo Pauli ad Roman. 3. *Vbi est ergò gloriatio tua? Exclusa est: Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei.* Vbi per legem factorum intelligit Apostolus legem scriptam; quia scilicet ostendit & iubet, quid sit faciendum. Legem autem fidei appellat auxilium gratiæ Spiritus Sancti, quod datur fidelibus per fidem Christi: Quam capit. 8 posteà vocat *Legem spiritus vitæ in Christo Iesu* Non quòd gratiæ auxilium sit lex pressè sumpta, & tradita per modum præcepti; sed quia mouet ad aliquid agendum aut omittendum, in quo species quædam & forma legis exprimitur. Sicuti appetitus sensitiuus appellatur *lex peccati & membrorum*, ad Roman. 7. quia scilicet inclinat & impellit ad malum. *Hinc* rectè Augustinus lib. de Spiritu & literâ cap. 17. & 26. Legem factorum inquit, scriptam fuisse in lapidibus; cuiusmodi est lex tradita per Moysem; sicut & quæcunque alia, quæ posteà scripta & consignata fuit in chartis & membranis: Legem verò Spiritus & gratiæ, quę est fides ad operandum mouens, scribi & imprimi in cordibus hominum. *Iuxtà* hanc distinctionem præsens disputatio duplici assertione expedienda est.

Dico. I. Lex noua Euangelij primaria, hoc est, auxilium gratię Spiritus Sancti, seu fides mouens ad operandum, in eo differt à lege veteri Mosaicâ, sicut & à quacunque aliâ lege verbo & scripto traditâ, quòd lex vetus & quęcunque alia scripta, non prębebat vires ad operandum. Nam ad pręceptorum obseruationem litera non adiuuat; immò si desit Spiritus gratię adiuuantis, occasio potiùs peccati est. At verò gratia Spiritus Sancti, quę datur per fidem Christi, adiuuat ad legem obseruandam, & vt per legis obseruationem homo tandem iustificetur. Hoc sensu S. Thomas, quęst. 107. articul. 2. accipit illud 2. ad Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.*

Vbi obserua. Hoc auxilium gratię & fidei vocari legem nouā & à Christo nobis allatam; non quia gratia Spiritus iis, qui sub veteri lege erant, aut prorsùs denegata esset, aut saltem non abundanter communicata; Nam

Nam etiam in eo statu necessaria erat ad obseruationem legis; sed quia Christus postquàm in mundum aduenit, reipsâ pretium persoluit, cuius intuitu & valore hæc gratia hominibus veteris Testamenti fuit communicata; sicut etiam aduentu suo dicitur redemisse genus humanum. Legi potest Vasquez. disput. 183. cap. 2.

DICO. II Inter legem Euangelicam scriptam & legem Mosaicam scriptam, triplex præcipuè discrimen assignatur. *Primum est.* Quòd Lex Euangelica excellentior sit lege Mosaicâ; eò quòd præcepta legis Euangelicæ contineant doctrinam perfectam & consummatam; præcepta verò Legis Mosaicæ non nisi imperfectam & inchoatã Id quod ex tribus, quæ in vtroque Testamento continentur, facile perspici potest. Nempè ex *Mysterijs, Promissionibus* & *Mandatis.*

PRIMO enim quod ad Mysteria attinet, longè præstat Testamentum nouum veteri; cùm in nouo habeamus apertè reuelata Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, & alia ex his consequentia; quæ tamen in veteri Testamento occulta erant, & vulgo ignota.

DEINDE, quod ad promissiones spectat, tametsi in veteri Testamento præter promissiones bonorum temporalium, & minas pœnæ temporalis, essent etiam promissiones vitæ æternæ; vt patet ex Tobiæ. capite 2. & 2. Machabæorum capite 6. & 7. Esaiæ. 64. Daniel. 12. &c. In lege tamen nouâ promissio regni cælestis, sicut & comminatio pœnæ æternæ, longè manifestiùs annuntiatur.

DENIQVE quod attinet ad mandata, ea quidem multa, immò innumera penè fuerunt in lege veteri, cæremonialia præsertim & iudicialia. Quibus antiquatis successerunt in lege Euangelicâ præcepta de Sacramentis Euangelicis; *numero*, vt inquit Augustinus epistolâ. 118. *paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis.* Tum verò præceptis moralibus, quæ etiamnum manent in lege Euangelicâ, addidit Christus consilia Euangelica perfectissima, non explicata Patribus Testamenti veteris.

EX QVIBVS liquidò apparet Legem Euangelicam excellentiorem & perfectiorem esse lege Mosaicâ. *Hinc* Diuus Thomas quæstione 107. articulo 3. docet, præcepta legis Euangelicæ fuisse in lege veteri, sicut

arbor est in ſemine, & ſicut granum in ſpicâ. Et D. Auguſtinus lib. 16. de ciuitate cap. 26. Teſtamentum vetus, inquit fuiſſe occultationem noui; & Teſtamentum nouum eſſe reuelationem veteris.

ALTERVM diſcrimen eſt: Quòd Lex Moſaica vni tantùm populo data eſt, nec aliæ gentes eâ obligabantur. Deuteron. 4. pſal. 147. Solos enim obligabat circumciſos: Hoc eſt, eos, qui ex ſemine Abrahæ deſcendentes ſubiecti erant obligationi circumciſionis. At verò Lex Euangelica obligationem ſuam profert, & diffundit in omnes gentes & nationes. Matth. vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Lucæ vltimo. *Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.*

TERTIVM DISCRIMEN eſt: Quòd Lex Moſaica adueniente lege Chriſti ceſſare debuit. Tranſlato enim ſacerdotio tranſlatio etiam legis fieri debuit: ad Hæbr. 7. Lex autem Euangelica, ſicut & ſacerdotium Chriſti, durabit vſque in finem ſæculi. Alij alias inter vtramque legem differentias aſſignant; ſed quæ vel ad has reducuntur; vel ex his nullo negotio colligi poſſunt. Legi poſſunt Salas diſputation. 24. de Legibus. ſect. 6. & Suarez lib. 10. de Legibus. cap. 8. & alij.

DISPVTATIO II.

Vtrum Sacramenta veteris legis vim habuerint iuſtificandi?

CONTROVERSIA præcipua eſt de Circumciſione; ex cuius reſolutione facilè, quid de alijs ſentiendum ſit, conſtiterit. Quæritur ergò: Vtrum Circumciſio ex inſtitutione DEI vim & virtutem habuerit conferendi gratiam iuſtificantem, aut remittendi peccatum; ſicuti modo habent Sacramenta nouæ legis?

PRIMA SENTENTIA eſt Alexandri in 4. part. qu. 4. membr. 3. art. 2. 3. 4. Bonauent. in 4. diſt. 1. art. 3. quæſt. 3. Scoti ead. diſt. quæſt. 6. §. de potentiâ. Durand. quæſt. 7. Paludani quæſt. 6. art. 4. Gabriel. qu. 4. art. 1. notat. 3. Concluſ. 1. & 2. Maioris. qu. 3. §. *His prælibatis.* Marſilij in 4. qu. 2. art. 1. part. 3. concluſ. 1. & 2.

Qui asserunt circumcisionem habuisse vim remittendi peccatum originale, & conferendi gratiam iustificationis. Probatur hæc sententia. 1. authoritate Scripturæ Sacræ, Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex quo loco colligi videtur, masculos virtute circumcisionis liberatos fuisse a morte æternâ. Nisi enim circumcisio ità profuisset, non minùs damnati fuissent circumcisi, quàm incircũcisi. Quòd si circũcisio valuit ad liberandũ à morte æternâ, planè sequitur, obtinuisse vim & virtutem remittendi peccatum originale, & conferendi gratiam iustificationis. *Secundo* Testimonijs SS. Patrum. Augustini de nuptijs & concup. cap. 11. lib. 16. de ciuitate cap. 27. lib. 2. contrà lib. Petiliani. cap. 27. Gregorij lib. 4 moral. c. 2. & 3. Prosperi lib. de promissionibus DEI. 1. part. cap. 14. Isidori lib. in Genes. cap. 13. Bedæ lib. 2. in Lucam cap. 8. & homiliâ de circumcisione tom. 7. ante medium. & lib. variarum quæstionum. quæst. 15 tom. 8. Bernardi serm. 3. de circumcisione. & sermone. 2. de assumptione B. Virginis circà finem. Et epistolâ. 77. Ruperti Abbatis lib. 5. de operibus Trinitatis in Genes cap. 33. Hugonis Victorini lib. 2. de Sacramentis. part. 6. cap. 3. Et lib. 1. part. 12. cap. 2. Innocentij. III. in cap. *Maiores* de baptismo, & eius effectu &c. *Tertio* ratione. Nisi enim virtute circumcisionis tollendum esset peccatum originale, ac proindè gratia etiam conferenda; caussa non erat, cur infantibus adhiberi præciperetur. Nam ad alios fines sufficiebat, immò magis etiam consentaneum erat, adhiberi in ætate adultâ; tum ad meritum actu illo obedientiæ & doloris augendum; tum etiam ad intelligendam mysterij illius significationem; sicuti nunc etiam baptismus paruulis frustrà applicaretur, nisi esset & remedium peccati originalis, & caussa gratiæ.

SECVNDA SENTENTIA est; Circumcisionem nec caussam fuisse gratiæ sanctificantis, nec remedium peccati originalis; sed signum tantùm iustitiæ, & peccati expiationis. Ità docent ex Theologis D. Thomas. 3. part. quæst. 62. art. 6. ad 3. & qu. 70. art. 4. Bellarmin. tom. 2. lib. 2. de effectu Sacramentorum. cap. 13. & seq. Capreolus in 4. dist. 1. qu. 2. art. 1. conclus. 2. Sotus in 4. dist. 1. qu. 3. art. 6. Ferrariens. 4. contrà gent. cap. 57.

& alij. Ex Patribus Irenæus lib. 4. cap. 30. Origenes lib. 2. contrà Celsum & homil. 3. in Genes. Athanasius oratione in illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Epiphanius hæres. 8. Chrysostom. homil. 27. in Genes. homil. 7. in epistol. ad Roman. & 14. in epist. ad Hebræos. Cyrill. lib. 10. contrà Iulianum. Theodoretus qu. 67. in Genes. Damascenus lib. 4. de fide cap. 10. 14. & 26. Theophilactus in cap. 2. ad Roman. Tertull. lib. 2. contrà Iudæos. c. 2. & 3. Cyprianus lib. 1. contrà Iudæos. cap. 8. & Ambrosius epist. 72. & in cap. 4. ad Roman. & lib. de iis, qui initiantur cap. 8. & 9. Hieronym. in c. 3. ad Galat. Cum quâ sententiâ.

Dico I. Circumcisio nullam vim aut efficaciam habuit, vt gratiam conferret, aut peccatum originale tolleret. *Colligitur* hæc conclusio ex variis Scripturæ locis. Ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas Circumcisionis? Multum per omnem modum; quia credita sunt illis eloquia DEI &c.* Vbi D. Paulus nullam aliam affert vtilitatem Circumcisionis, nisi quòd fuerit signum populi, cui Devs eloquia sua commisit. Ad Roman. 4. *Signum accepit Circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* Circumcisio ergo signum fuit, non caussa iustitiæ. Ad Galat. 4. Antiquæ cæremoniæ, inter quas numerat Paulus circumcisionem, de qua erat cum Galatis controuersia, appellantur infirma & egena elementa. At quomodo egena elementa essent, si iustificarent? Ad Hebræos. 7. *Reprobatio, inquit, fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Loquitur autem de cæremonialibus mandatis; quorum præcipuum erat de Circumcisione. Et cap. 10. Legem non potuisse accedentes facere perfectos, aut auferre peccata.

Respondet Calvinvs lib. 4. institut. cap. 14. §. 22. Paulum loqui de Circumcisione & alijs Sacramentis, vt iam abrogatis per legem Euangelicam. *Sed contra est.* Nam cap. 2. ad Roman. apertè docet, se loqui de Circumcisione, vt erat in lege veteri. Inquit enim: *Circumcisio prodest, si legem obserues.* Id quod de Circumcisione, vt iam abrogatâ, dici non potest. Nam tantùm abrogatione tantum abest, vt prosit, vt etiam planè obsit. *Deinde.* Patres antiqui Testamenti vixerunt, cùm adhuc Circumcisio vigeret; quos tamen omnes sub elementis huius mundi fuisse seruientes, docet ad Galat. 4.

RESPONDET Secundo ibidem. §. 25. Paulum non de efficaciâ loqui, sed de modo significandi Sacramentorum; quòd Sacramenta legis veteris res futuras; Sacramenta verò nouæ legis res præteritas significarent. Sed Apostolum loqui de efficaciâ patet primò ex iis verbis: *Circumcisio nihil est*: *Nihil valet*: *infirma & egena elementa, &c.* *Deinde*, quęstio Apostoli cum Iudęis non erat de modo significandi (Iudęi enim credentes in Christum venturum fatebantur, Sacramenta vetera significare res futuras) sed de efficaciâ & iustificatione.

SECVNDO. Conclusionem nostram confirmant testimonia Patrum paullò antè pro secundâ sententiâ citatorum. Irenęus: *Circumcisio*, inquit, *non quasi iustitiæ consummatrix, sed in signo eam dedit DEVS, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ.* Item: *Quia non per hæc iustificabatur homo.* Athanasius. *Circumcisio*, inquit, *nihil fuit, nisi vmbra baptismi nostri.* Et ità cęteri.

TERTIO. Definita est ab Eugenio. IV. in decreto fidei misso ad Grecos in Concilio Florentino post sessionem vltimam. Vbi distinguens Sacramenta vtriusque legis, affirmat Sacramenta nouę legis continere gratiam, eamque dignè suscipientibus conferre; Sacramenta verò antiquæ legis non caussasse gratiam; sed eam solùm per passionem Christi dandam figurasse. *Ad hanc definitionem trifariàm responderi potest.*

PRIMO: Sub illâ non comprehendi Circumcisionem; quia hęc non fuerit Sacramentum legis Mosaicæ, vt quę diu antecessit legem Mosaicam. Non enim ex Moyse fuit, sed ex Patribus. Hęc tamen responsio nulla est. Tametsi enim circumcisio legem Mosaicam antecesserit; fuit tamen etiam in istâ lege Sacramentum, præceptum à Moyse. Leuit. 12. Vndè Christus Ioan. 7. inquit: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* Quę caussa est, vt Patres & Scriptura, quando loquuntur de Sacramentis legis veteris, semper etiam circumcisionem comprehendant. Erat enim professio legis illius, & ianua aliorum Sacramentorum.

SECVNDÒ responderi potest: Tametsi circumcisio ex se, vt opus quoddam erat, non habuerit hanc virtutem; habuisse tamen ex Christi meritis. Sed & hęc responsio infirma est. Nam neque Sacramenta nouę legis ex se, vt opera quędam sunt, virtutem habent conferendi gratiam: sed

& præceptum Circumcisionis sola fides parentum applicata paruulis sufficiebat ad salutem, vt docent Theologi. D. Thom. in 3. part. quæst. 70. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6. Bonauen. in 4. dist. 1. 2. part. dist. art. 1. qu. 2. Richard. in 4. dist. 1. art. 5. quæ. 3. Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. *Deinde* si Circumcisio non tantùm fuisset signum gratiæ, sed etiam caussa, non diceretur elemẽtum vacuum & egenum; sed verè gratiam continuisse & contulisse. Vnde rueret discrimen inter Sacramenta veteris, & nouæ legis. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad I. Verba illa Genes. 17. non intelliguntur de morte æternâ. Vnde non dicitur absolutè & simpliciter: *Delebitur aut peribit anima illa*: sed additur; *de populo, seu gente sua.* Quæ verba non mortem æternam, sed temporalem denotant. Quia scilicet transgressor præcepti illius separandus esset à populo; quæ pœna frequēs est in Scripturâ contrà ceremoniç alicuius transgressores. Exodi 12. & 31. Leuit. 7. 17. 18. 19. 20. 23. Num. 15. & 19.

Ad Secvndvm. Quid senserit Augustin. de Circumcisione cæterisque Mosaicç legis Sacramentis, satis ipse luculenter exprimit in Psal. 73. cùm inquit: *Sacramenta non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem; Sacramenta veteris Testamenti promiserunt saluatorem.* Et epist. 19. *Quia eis*, inquit (nempè Sacramentis legis Mosaicç) *non iustificantur homines; Vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, quâ iustificamur.* Quòd si alibi aliud docere videtur, nè à seipso existimetur dissentire, ità exponendus est, vt velit, dari in Circumcisione gratiam; tametsi ipsa caussa gratiç non sit, iuxtà doctrinam secundç conclusionis. Eodem modo explicari potest Innocentius III. in cap. *Maiores* & cçteri Patres.

Ad tertivm à ratione ductum. Quis fuerit vsus aut finis Circumcisionis, ex dictis satis constat, & vberiùs explicari solet in 3. part. quçstion. 70. Et hçc de legibus.

TRACTATVS TERTIVS.

DE GRATIA.

QVAESTIO CIX.

De extrinseco principio humanarum actionum, nempè de DEO, quatenùs per gratiam nos mouet.

DE hac materiâ ex SS. Patribus differunt D. Augustin. tom. 7. suorum operum contrà Pelagianos. Prosper libris duobus de vocatione gentiū. & in lib. responsionū ad obiectiones Gallorum. Et in lib. ad capitula obiectionum Vincentianarum. Et in lib. ad excerpta Genuens. Et lib. contrà collatorem. Fulgent. lib. 1. ad Monimum. Et lib. de Incarnatione & Gratiâ Christi. Anselmus lib. de Concordiâ prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio. Bernardus in lib. de gratiâ & libero arbitrio. *Ex Theologis verò* Scholastici *in 2. sentent.* dist. 27. & 28. Et in 2. dist. 27. Dominicus Sotus libris duobus de naturâ & gratiâ. Andreas Vega libris 15. super sess. 6. Concilij Tridentini. D. Thomas & Thomistæ ab hac qu. vsque ad finem 1. 2. ET quoniam Gratia naturam perficit, eamque ad finem supernaturalem, & actiones eius meritorias eleuat, disponit, præparat, propinquans consuetâ viâ progrediamur, operæ pretium erit quædam. Primo de notione & diuisione gratiæ, Tum de diuersio statu & consideratione naturæ, quasi fundamenta ad reliquam materiæ huius pertractationem, breuiter & summatim præmittere.

PRIMVM. Gratiæ nomine latè sumpto intelligitur quicquid à liberali DEI voluntate ad creaturas proficiscitur, ac manat. Quo modo non tantùm creationis conseruationisque beneficium, sed reliqua etiam dona naturalia comprehendit. Ità Gratiæ nomen vsurpant Hieronym. in epistolâ ad Cyprianum Presbyterum de interpretatione Psalmi [illegible]

inuenit,

inquit: *Gratiæ DEI est, quod homo sit creatus.* Et Concilium Constantinopolitanum. VI. cum definit, Angelos esse immortales, non *naturâ* (quasi scilicet immortalitatem, sicut DEVS, absolutâ necessitate obtineant) sed *gratiâ*, id est, gratuito beneficio creationis. Augustin. epistolâ 95. & cum eo Patres Concilij Mileuitani, & alij. Hanc quoque Gratiæ notionem admiserunt Pelagius & Pelagiani; quamuis omnem gratiam infusam, atque omne auxilium supernaturale è medio tollerent, teste Augustino lib. 1. de gratiâ Christi. cap. 47. Cæterum de gratiâ ità latè acceptâ neque Patres & Theologi, quando contrà Pelagianos agunt, fusè disputant; neque nos subindè in progressu acturi sumus; quia non illa est, quam scriptura diuina nobis commendat, vt notat D. Augustinus epistola 105. Vbi, *non eam*, inquit, *gratiam nobis commendat Apostolus, quâ creati sumus, vt homines essemus, sed quâ redempti sumus, vt iusti essemus.*

SECVNDÒ pressè & propriè accipitur gratia pro dono quodam supernaturali gratis dato hominibus, quod nec ijs debitū est, nec viribus naturæ obtineri potest; est tamen ad beatitudinem consequendam, & benè ac meritoriè agendum necessarium. De gratiâ ità acceptâ loquitur scriptura Ioan. 1. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Act. 7. *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine.* Ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam.* Ad Ephes. 2. & 4. 1. ad Timoth. 4. 2. ad Timoth. 1. Ad Hebræos. 13. Iacobi. 4. 2. Petri. 1. & 3. & alibi.

Hoc modo sumpta gratia variè diuiditur. *Primò* in Aeternam, & Temporalem. Aeterna est propositum seu voluntas DEI, quâ statuit bona supernaturalia hominibus conferre; de quâ dicitur ad Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad Iustitiam secundum propositum gratiæ suæ.* Et ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorum per Iesum Christum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Temporalis verò continet dona omnia supernaturalia, quæ DEVS in tempore hominibus largitur.

Hæc diuiditur in gratiam gratis datam, & gratum facientem. Gratiæ gratis datæ nomine non intelligitur quodcunque donum gratis à DEO datū; alioqui omnes etiam virtutes infusas, &

ipſam gratiam gratum facientem comprehenderet: Sed intelligitur donum quoddam ſupernaturale, quod gratis à Deo confertur homini ad vtilitatem aliorum. Eiusmodi eſt gratia curationum, linguarum, prophetiæ, miraculorum, & ſimiles. De hac gratiâ loquitur D. Petrus.1. epiſtolâ. cap.4. *Vnuſquisq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ DEI.* Et D. Paulus .1. Corinth. cap .12. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt: Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: Alteri fides in eodem ſpiritu: Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: Alij operatio virtutum: Alij prophetia: Alij diſcretio ſpirituum: Alij genera linguarum: Alij interpretatio ſermonum, &c.* Et quanquàm accidere poſſit, vt gratiæ gratis datæ cedant etiam in illius vtilitatem, qui eas recipit, id tamen per accidens tantum eſt, Ex ſe enim non efficiunt eiuſmodi dona hominem magis Deo gratum & dilectum; & ideo in peccatore etiam eſſe poſſunt, vt conſtat ex illo Matth 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus? Et in nomine tuo Dæmonia eiecimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus reſpondet Devs; *Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem.* Et Ioan. 11. Cayphas dicitur Prophetaſſe, qui tamen fuit inſignis peccator. *Gratia gratum faciens* illa eſt, quæ nos vel cum Deo coniungit, vel ad coniunctionem & amicitiam cum eo diſponit & præparat.

Vnde diuiditur in gratiam Habitualem, & Actualem. *Gratia habitualis* eſt qualitas quædam infuſa, & ſtabiliter animæ inhærens. Vnde primò & præcipuè comprehendit donum illud, quo homo formaliter iuſtus, gratus & dilectus Deo conſtituitur; quod, quoniam reliquis excellentius eſt, ſolet per Antonomaſiam gratia habitualis appellari. Deindè omnes habitus ſupernaturales, qui nobis à Deo infunduntur, vt Fidem, Spem, Charitatem. Ex quibus fides in intellectu eſt: ſpes & charitas in voluntate. *Gratia actualis* eſt motus in mente humanâ diuinitus excitatus, quo iuuamur ad benè operandum, ad tentationes vincendas, & vitam æternam promerendam; ſiuè ſit illuſtratio intellectus, ſiue motio voluntatis, ſiuè alia quædam operatio ſupernaturalis; vt ſuſè explicat Vega lib. 6. in Concil.

Tridentin. cap. 6. & lib. 13. cap. 17. Vtriuſque gratiæ luculenta teſtimonia habentur in Scripturâ ſacrâ: De Habituali. 2. Corint. 13. *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide.* 1. Petri. 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam.* Et cap. 3. *Parati ſemper rationem reddere, de eâ, quæ in vobis eſt, fide & ſpe.* 1. Ioan. 3. *Charitas DEI manet in eo.* Rom. 5. *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris.* 1. Corinth. 13. *Nunc autem maneat fides, ſpes & charitas.* De Actuali verò ad Philip. 1. *Vobis datum eſt non ſolùm, vt in eum credatis.* Hierem. 32. *Timorem meum dabo in corde eorum, vt à me non recedant.* Actor. 11. *Ergò & gentibus dedit DEVS pœnitentiam ad vitam.* Rom. 15. *DEVS autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe.* 1. ad Theſſalonic. 3. *DEVS abundare faciat charitatem in inuicem.* Huc ſpectant ea etiam Scripturæ teſtimonia, quibus ſignificatur conuerſio mentis ad DEVM, quæ actione & motu quodam continetur, itemque progreſſio in viâ, quæ ad ſalutem ducit, à DEO eſſe. Threnor. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Ezech. 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.*

GRATIA porrò actualis quatuor modis diuidi ſolet. *Primò* in excitantem & adiuuantem: *Secundò* in præuenientem & ſubſequentem. *Tertiò* in operantem, & cooperantem. *Quartò* in ſufficientem & efficacem. Quarum tres priores diuiſiones non reipsâ, ſed nominibus tantùm & conſideratione differunt, vt ex infrà dicendis planum fiet; ſicut difficultas etiam, quæ de quartâ diuiſione peculiaris eſt, ſubindè in progreſſu explicabitur. *Hæc* de notione & diuiſionibus gratiæ pro ingreſſu libaſſe ſufficiat. Nunc de naturæ etiam ſtatibus & diuerſitate libet nonnihil præmittere.

NATVRA humanâ illa eſt, quæ eſt capax rationis & libertatis. Hanc Caietanus hoc loco. art. 2. ſecundum quinque ſtatus conſiderat. Reliqui verò Theologi, & commodiùs, quatuor eius ſtatus conſtituunt.

PRIMVS eſt naturæ humanæ in puris naturalibus; hoc eſt, ſinè peccato, & gratiâ. In hoc ſtatu nunquàm homo fuit, nec vnquàm etiam futurus eſt; tametſi Philoſophi gentiles, vt quibus melioris intelligentiæ lumen non affulſit, in eo conditum fuiſſe exiſtimarent. Ità conſiderata natura humana complectitur. I. omnes facultates ſibi naturales, tam rationalem, quàm

ſenſitiuam, earumque operationes & motus; ſiuè ij cum rectâ ratione congruant, ſiuè ob pugnam, quam vires inferiores cum ſuperioribus (corpore nimirum, quod corrumpitur, animam aggrauante) naturaliter in homine exercent, à rectâ ratione deuient. Deindè defectus omnes, qui naturalem corporis conſtitutionem conſequuntur; cuiuſmodi ſunt fames, ſitis, fatigatio, aduerſa valetudo, mors, &c.

SECVNDVS ſtatus naturæ humanæ eſt, in quo primum hominem reipsâ DEVS creauit & conſtituit, qui ſtatus innocentiæ appellatur. De hoc ſtatu loquitur Scriptura Eccleſiaſtæ. cap. 7. cùm inquit: *Fecit DEVS hominem rectum, &c.* Et Eccleſiaſtici 17. *DEVS de terrâ creauit hominem, ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute.* Et Concilium Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali; vbi definit, primum hominem conſtitutum fuiſſe in ſanctitate & iuſtitiâ. De donis, quæ in hoc ſtatu homo, priusquàm peccaret, obſtinuit, ſeu effectibus iuſtitiæ originalis, videri poſſunt, quæ ſuprà diximus, quæſt. 83. diſput. 2. notat. 1, & in 1. part. q. 72. dub. 9. & 10.

TERTIVS ſtatus eſt naturæ lapſæ iam in peccatum, nondum recuperatâ gratiâ gratum faciente. In quo natura humana amiſit & iuſtitiam originalem, & omnia dona ſupernaturalia, quæ antè peccatum obtinuerat; tantúmque eas naturę vires retinuit, quales habitura fuiſſet in puris naturalibus. Differt tamen hic ſtatus à ſtatu naturæ in puris naturalibus; quòd carentia donorum ſupernaturalium in ſtatu naturæ lapſæ vere habeat rationem priuationis; quia ius illi ad dona ſupernaturalia fuerat in Adamo, tanquàm in capite tributum & communicatum, quo ſeipſam per peccatum exuit & ſpoliauit; in ſtatu verò purorum naturalium, in quo ius ſimile non fuiſſet habitura, nuda tantùm ac mera eſſet negatio.

QVARTVS ſtatus naturæ humanę eſt poſt deletum peccatum, & iam recuperatâ gratiâ gratum faciente. In quo homo iuſtus quidem eſt apud DEVM, ſed in eo adhuc manet pugna carnis & ſpiritus. De naturâ humanâ in triplici ſtatu poſteriori conſideratâ, quo modo ad benè operandum, & vincendas tentationes indigeat auxilio gratiæ diuinæ, agendum ſubindè erit. Id quod D. Thomas facit ab hac quæſtione 109.

Eius decem sunt articuli.

ARTICVLO I. quaerit D. Thomas: *Vtrum homo sine gratiâ possit cognoscere aliquod verum?* CONCLVSIO est. Ad cognoscendas veritates naturales homo non indiget aliâ illustratione, quàm generali DEI concursu; ad intelligendas verò supernaturales veritates indiget auxilio gratiæ specialis, seu nouâ illustratione additâ naturæ.

ARTICVLO II. *Vtrum homo possit velle & facere bonum absq; gratiâ?* CONCLVSIO I. In statu naturæ integræ potuit homo facere bonum omne naturæ suæ proportionatum; non autem bonũ excedens naturæ suæ vires; cuiusmodi est bonum virtutis infusæ. CONCLVSIO II. In statu naturæ corruptæ non potest homo præstare omnia opera virtutis acquisitæ, seu moraliter bona, citrà peculiare auxilium gratiæ diuinæ.

ARTICVLO III. *Vtrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sinè gratiâ?* CONCLVSIO I. Potuit homo in statu naturæ integræ, solo generali auxilio adiutus, diligere DEVM, vt finem naturalem, super omnia. CONCLVSIO II. Homo in statu naturæ corruptæ non potest DEVM, vt finem naturalem, diligere super omnia sinè peculiari auxilio gratię animam sanantis. CONCLVSIO III. Homo in quocunque statu consideratus & positus indiget auxilio gratię specialis ad diligendum Deum, vt finem supernaturalem.

ARTICVLO IV. *Vtrum homo sinè gratiâ DEI per sua naturalia possit præcepta legis implere?* CONCLVSIO I. Homo in statu naturæ integræ potuit implere omnia mandata legis quoad substantiam operis, sinè gratiâ speciali. CONCLVSIO II. In statu naturæ corruptę non potest homo implere omnia mandata legis secundum substantiam operis, sinè gratiâ sanantę. CONCLVSIO. III. In nullo statu potest homo sinè gratiâ implere mandata legis quoad modum; scilicet meritoriè & ex charitate.

ARTICVLO V. *Vtrum homo possit mereri vitam æternam sinè gratiâ?* CONCLVSIO est negans.

ARTICVLO VI. *Vtrum homo possit seipsum ad gratiam præparare per seipsum absq; exteriori auxilio gratiæ?* CONCLVSIO est

Vt homo præparet se ad gratiam habitualem, non indiget aliâ gratiâ habituali; sic enim daretur processus in infinitum; indiget tamen auxilio Dei mouentis.

ARTICVLO VII. *Vtrum homo possit resurgere à peccato sine auxilio gratiæ?* CONCLVSIO est. Vt homo resurgat à peccato, indiget tum habituali dono gratiæ, tum interiori Dei motione.

ARTICVLO VIII. *Vtrum homo sine gratiâ possit non peccare?* CONCLVSIO est. Potest homo extrà gratiam constitutus vitare singula peccata mortalia per aliquod breue tempus; vt tamen diu vitet, necessaria est gratia habitualis.

ARTICVLO IX. *Vtrum ille, qui iam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, & vitare peccatum, absque auxilio gratiæ?* CONCLVSIO est. Homo in gratiâ habituali constitutus, ad rectè agendum, & vitanda peccata, indiget auxilio gratiæ mouentis.

ARTICVLO X. *Vtrum homo in gratiâ constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseuerandum?* CONCLVSIO est. Homo iustificatus, vt in gratiâ perseueret, indiget auxilio gratiæ specialis.

DISPVTATIO I.

Vtrum gratia sit necessaria homini ad cognitionem veritatum naturalium?

HIc non disputamus de assensu & notitiâ veritatum supernaturalium, quam certum est haberi sine reuelatione, quæ gratia quædam est, non posse; sed de cognitione veritatum naturalium, & quæ deduci possunt ex rebus sensibilibus; quæ cùm duplex esse possit, speculatiua & practica; de vtraque difficultas est, an possit ab homine obtineri sine speciali gratiæ auxilio? De speculatiuâ negant aliqui apud D. Thomam in 2. distinct. 28. quæst. vnicâ. articul. 5. Alij verò cum D. Thomâ hoc loco affirmant. *Missis ambagibus.*

DICO. I. Potest homo in statu naturæ lapsæ, solo generali auxilio DEI adiutus, cognoscere quamlibet veritatem naturalem diuisim sumptam. *Ratio est.* Quia eiusmodi veritates excedunt natura-

turalem vim & facultatem intellectus; cùm veritas naturalis illa sit, quæ naturaliter cognosci potest: Sed quælibet potentia tẽdere potest in obiectum, quod vim & facultatem ipsius non excedit.

Obiicies I. Paulus ad Rom. cap. 1. docet, Devm manifestasse Philosophis sui cognitionem: Hanc ergò naturaliter habere non potuerunt. *Respondeo*, manifestasse non per reuelationem specialem; sed per species rerum creatarum. Nam ipse manifestationem eam explicans, inquit: *Inuisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Obiicies II. Augustin. in epist. 120. c. 35. docet, non posse cognosci Devm nisi per auxilium gratiæ; Ergò eiusmodi cognitio naturaliter obtineri non potest. *Respondeo*, Augustinum loqui de cognitione supernaturali, quâ Devs cognoscitur, vt finis supernaturalis.

Obiicies. III. Aliqui ita rudes sunt & ignari, vt prorsùs inidonei sint ad scientiam: Ergò ij saltem non poterunt cognoscere quamlibet veritatem naturalem. *Respondeo*, ad veritatem assertionis nostræ satis esse, aliquem ex omnibus esse posse, in quo ità perfecta sit vis & facultas naturalis intelligendi, vt cognoscere possit quamlibet veritatem naturalem diuisè sumptam.

Dico II. Non potest homo in statu naturæ lapsæ cognoscere omnes veritates naturales collectiuè sumptas, nisi speciali Dei auxilio adiutus. Idq; non ob improportionem earum cum intelligendi facultate naturali; quasi omnes collectiuè sumptæ excedant latitudinem obiecti intelligentiæ naturalis. Nam cùm veritates naturales sint, necesse est, vt sint naturaliter cognoscibiles, ac proindè vt intrà latitudinem obiecti natiuę intelligentiæ cohibeantur; sed propter difficultates humanæ vitę, & sensuũ corruptionẽ, aliaq; intrinseca & extrinseca impedimẽta. Cognitio enim veritatum omnium naturalium, cũ innumeræ sint, vt constat vel in solis mathematicis demonstrationibus, quę in infinitum possunt procedere, requireret tempus, ætatẽ, valetudinem, ingenium, labores sinè modo & mensurâ; quę naturaliter obuenire & competere homini non possunt.

Circa cognitionem practicam maior videtur esse difficultas.

Gregorivs Ariminensis in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. conclus. 2. & Capreolus ibidem. quæst. vnicâ. art. 3. existimant hominem in statu naturæ corruptę, non pos

est; quia ea est, quam natura nobis inserit. De secundâ tantùm difficultas est, quæ duplex esse potest: *Vna* quasi speculatiua, quâ cognoscitur generatim & in vniuersali, quid agendum sit: *Altera* magis practica, quâ cognoscitur, quid sit sit agendum positis his vel illis circumstantiis. Priorem cognitionem haberi de multis rebus posse, citrà speciale auxilium DEI, nemo prudenter negauerit. Potissima difficultas est de secundâ.

DICO .1. Potest homo in statu naturæ lapsæ, absque speciali auxilio gratiæ, in nonnullis rebus habere verum iudicium practicum, quod satis sit ad benè agendum. *Colligitur* ex illo psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Quibus respondet Propheta: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod de lumine naturali, quo bonum à malo discernimus in rebus agendis, interpretatur Cyrillus lib. 1. in Ioann. capite 9. Et Augustinus tractatu. 40. & 45. in Ioann. *Deindè.* Ex illo Roman. *Qui cùm DEVM cognouissent, non sicut DEVM glorificauerunt.* Vbi supponit Apostolus cognouisse Philosophos gentiles, DEVM esse glorificandum. Quam cognitionem naturalem fuisse ex eo constat, quòd per ea habita fuit, quæ à DEO facta sunt. *Probatur ratione.* Homo ex lege naturali tenetur ad multas actiones moraliter bonas: Ergò naturaliter debet posse cognoscere id, quod agendum est. *Confirmatur.* Si nulla cognitio practica & moralis haberi sinè speciali auxilio gratiæ posset, sequitur eos, qui eiusmodi gratiæ auxiliis fuerunt destituti, laborasse ignorantiâ inuincibili rerum agendarum, ac proindè immunes fuisse à peccato; quod repugnat Scripturæ Sacræ ad Roman. 1. Vbi reprehenduntur Philosophi, quòd DEVM, cuius cognitionem naturalem habuêre, non glorificauerint.

DICO. II. Non potest homo sinè speciali gratiâ semper & in omni iudicio practico ità prudenter procedere, vt nunquàm erret. *Colligitur.* ex illo psal. 13. *Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt.* Et ex illo Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Ratio est. Quia iudicium de rebus agendis maximè pendet ex affectionibus, rectâ intentione finis, aliisque multis circũstantiis, quæ semper ab ho-

mine in ſtatu naturæ lapſæ cogitari non poſſunt, vt rectum perpetuò ferat iudicium. *Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur.*

AD PRIMVM. Apoſtolus loquitur de cogitatione, quæ ad ſanctitatem, iuſtificationem, & meritum vitæ æternæ valeat; vt notat Diuus Auguſtinus de prædeſt. Sanct. cap. 2. Eadem reſponſio eſt ad confirmationem.

AD SECVNDVM. Intellectus hominis vulneratus quidem eſt peccato Adæ; non tamen prorsùs extinctus. Quamobrem ſi non omnia, multa ſaltem, quæ ad mores pertinent, rectè naturaliter iudicare poteſt.

AD TERTIVM. Paulus locis allegatis loquitur de vocatione ad fidem Chriſti, alijſque donis ſupernaturalibus, quæ cùm ex DEO ſint, nemini occaſionem præbent de ſeipſo gloriandi.

AD POSTREMVM. Prudentia non eſt perfecta, nec omnium ſtipata comitatu virtutum, niſi de rebus omnibus rectè iudicetur; quod fieri ſinè ſpeciali gratiâ non poſſe, vltrò concedimus.

DISPVTATIO II.

Vtrum homo in ſtatu naturæ corruptæ poſſit aliquod opus moraliter bonum efficere ſinè auxilio gratiæ ſpecialis?

CONTROVERSIA non eſt de operibus meritorijs, quæ procedunt ex charitate, aut de ijs, quæ aliquo modo ad finem ſupernaturalem pertinent; tametſi ex habitu charitatis non proficiſcantur; cuiuſmodi ſunt diſpoſitiones ad gratiam habitualem; ſed de operibus purè moralibus, hoc eſt, quæ ſunt ſecundum virtutem moralem acquiſitam, & conſentanea ſint rectæ rationi naturali; *An videlicet eiuſmodi opus aliquod fieri poſſit ab homine in ſtatu naturæ corruptæ abſq; ſpeciali aliquo auxilio gratiæ diuinæ?* Nam ſi ſermo ſit de ſtatu naturæ integræ, qualis fuit in primo parente antè peccatum, communis eſt Theologorum, D. Thomæ præſertim hac quæſt.

art. 2. 3. 4. 8. 10. sententia, sufficisse concursum Dei generalem, vt homo efficeret quodlibet opus bonum morale, & consentaneum naturæ rationali. Fuit enim natura hominis in eo statu sana, perfecta, integra; in cuius superiori parte summa fuit ad bonum omne honestum propensio; in inferioribus autem partibus, vt quæ superiori perfectè obediebant, nihil, quod eam à boni honesti prosecutione auocaret, impediret, abstraheret. *In præsenti ergò controuersiâ*:

Prima Sententia est Gregorij Ariminensis in 2. dist. 26. 27. 28. Capreoli in 2 dist. 28. quæst. 1. conclus. 2. Roffensis in art. 36. contra Lutherum; qui existimant, non posse hominem in statu naturæ lapsæ efficere aliquod opus bonum morale sinè speciali auxilio Dei. *Probatur hæc sententia primò* Authoritate Scripturæ Sacræ. Ad Philipp. 2. *DEVS est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate*. 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*. Ioan. 15. *Sinè me nihil potestis facere*. 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti? &c.* Scripturæ verba & sensum vrgent identidem Concilia & Patres, cùm docent hominem nihil boni incipere, nihil velle, nihil cogitare, nihil agere, nihil perficere posse sinè adiutorio Dei. Concilium Arausicanum. can. 9. & 20. Cælestinus Papa. in Epistolâ ad Episcopos Galliæ. cap. 7. 8. 9. Sozimus Papa in epistolâ ad totius orbis Episcopos. Augustinus lib. de prædestinat. SS. cap. 1. & 3. lib. de Spirit. & literâ. cap. 4. & alij. Ex quibus satis perspicuè videtur colligi, ad cuiusque effectionem operis boni necessarium esse speciale auxilium gratiæ diuinæ. *Probatur secundò ratione*. Sinè fide nullum opus bonum morale fieri potest, cùm sinè eâ impossibile sit placere Deo. Hebr. 11. Sed fides est speciale donum Dei: Ergò sinè speciali dono Dei nullum opus bonum morale fieri potest. *Confirmatur*. Maior concursus Dei necessarius est ad actus bonos, quàm ad malos: Sed ad actus malos Devs præbet concursum generalem: Ergò ad bonos necessarius erit concursus specialis.

Secvnda & communis sententia est: posse hominem in statu naturæ corruptæ velle & facere nonnulla opera moraliter bona, saltem faciliora, cum solo auxilio Dei generali. Ità docent Magister in 2. dist. 26. Bonauent. ibid. quæst. vltimâ. Scotus & Gabr. qu. 1. Soto lib. 1.

de naturâ & gratiâ. cap. 20. Vega de iustificat. qu. 14 D. Thomas & eius interpretes hoc loco. art. 2. Durand. in 2. dist. 28. q. 2. & 5. Richard. ibid. art. 1. qu. 1. Alliacens. in 1. qu. 9. lit. R. Driedo lib. 1. de lib. arbit. tractat. 2. cap. 2. part. 2. Almaynus tractat. 1. moral. cap. 16. & alij. *Pro cuius explicatione.*

NOTANDVM est. I. Bona opera humana ad tria posse capita reuocari. Primum continet opera meritoria vitæ æternæ, quæ necessariò supponunt charitatē. In secundo sunt opera omnia, quæ ad DEVM, vt finem supernaturalē, aliquo modo spectant, quāquàm ex charitate non fiant; cuiusmodi sunt dispositiones ad gratiam habitualem. Ad tertium pertinēt opera bona moralia, quæ ad finem supernaturalem non referuntur. Et de his præsens controuersia est: An vt ab homine in statu naturæ corruptæ fiant, necessaria sit gratia DEI specialis, nec sufficiat concursus & influentia generalis?

NOTANDVM. II. Vt duplex est finis hominis; naturalis vnus, alter supernaturalis; ità duplicem esse in DEO prouidentiam; Vnam naturalem, quâ res omnes dirigit ad fines suos naturales: Alteram supernaturalem, quâ creaturas rationales dirigit ad finem supernaturalem. Vtriusq; prouidentiæ diuersi sunt effectus & dona. Ad primam, supposito beneficio creationis & conseruationis, pertinet concursus generalis, & auxilia vniuersalia, quæ necessaria sunt, vt res naturales operationes suas exercere valeant, quibus ad finem naturalem perueniant. Ad secundam prouidentiam spectant omnia dona gratiæ, quæ hominem ducunt & promouent ad finem supernaturalem; siuè sint auxilia ex se supernaturalia, siuè occasiones aliquæ benè agendi, siuè remotiones impedimentorum, quæ secundum naturalem cursum caussarum, & ex generali prouidentiâ hominibus non obtigissent. Igitur quandò quærimus: An aliquod opus bonum morale fieri sinè gratiâ possit? nomine gratiæ non intelligimus nisi auxilium generis secundi. *His positis.*

DICO. I. Potest homo in statu naturæ lapsæ, sinè speciali auxilio gratiæ, efficere quædam opera bona moralia. *Colligitur* ex illo ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Atqui facere ea, quæ legis sunt, est moraliter benè operari; Ergò naturaliter, ac proindè sinè speciali auxilio DEI, effici potest ab homi-

ne in statu naturæ lapsæ aliquod opus bonum morale. Et cap. 1. ad Rom. dicuntur philosophi inexcusabiles, quod cùm DEVM cognouissent (nempè naturaliter) non sicut DEVM glorificauerint. Legi potest Augustinus lib. de Spiritu & literâ. cap. 27. & 28. *Probatur ratione.* Quia recta ratio non est sublata per peccatum: Ergò potest homo in statu naturæ lapsæ operari secundum rectam rationem; quod est, operari benè moraliter. *Confirmatur.* Homo destitutus etiam auxilio DEI speciali, tenetur agere secundùm rectam rationem; Sed nemo obligari potest ad impossibile: Ergò potest homo, destitutus etiam auxilio speciali DEI, agere secundũ rectam rationem, ac proindè benè moraliter. Et sanè mirũ esset, hominem conditum esse ad honestè agendum, tanquàm in finem naturalem; & tamen nullum actum honestum propriis viribus, cum solo concursu generali DEI, posse efficere.

DICO. II. Potest homo viribus naturæ vincere aliquas tentationes, saltem leuiores. Ità Anselm. lib. de libero arbitr. cap. 7. 8. 10. *Hæc assertio* sequitur ex priori. Nam si homo viribus naturæ potest efficere aliquod opus honestum & morale, necesse est, vt possit etiam vincere tentationes, quæ opus illud impedirent. *Deindè* cùm ingruit aliqua tentatio, aut potest homo (nullo adiutus auxilio speciali) eam vincere, aut non. Si potest, habemus intentum; si non potest, non peccabit tentationi succumbendo; quia in eo, quod vitari non potest, peccatum esse non potest. *Tertiò.* Homo, destitutus etiam auxilio DEI speciali, tenetur vincere tẽtationes. Atqui nemo obligatur ad impossibile: Ergò destitutus etiam auxilio speciali DEI potest aliquas tentationes, leuiores saltem, vincere.

OBIICIES. Si ità est; cur Sapiẽt. 8. dicitur? *Nemo potest esse continẽs, nisi tu DEVS dederis.* Et Psal. 17. *In te eripiar à tentatione.* Cur SS. Patres passim docent, in omnibus tentationibus implorandum esse auxilium diuinum? *Respondeo.* Quia homo neque tentationes omnes, neque grauiores, neque diu vincere potest sine speciali DEI gratiâ. Idque non ob defectum libertatis; constat enim liberum arbitriũ à concupiscentiâ, aut aliâ re creatâ necessitari non posse; sed propter varias difficultates occurrẽtes, quas omnes superare imbecillitas naturæ corruptę, moraliter loquẽdo, nõ potest, nisi adiuta auxilio diuino, quod homini, quoties grauior aliqua

tentatio instat & vrget, semper præstò est; vt excusari, si succumbat, à culpâ & peccato non possit. *Adde*, Patres & Doctores frequenter de eâ contrà tentationes victoriâ loqui, quæ cum merito vitæ ęternę coniuncta est; vt Augustinus lib. 2. de ciuit. cap. 16. S. Thomas in 2. dist. 28. quęst. 1. art. 2. quam constat, non posse esse sinè gratia habituali.

Dico III. Non potest homo in statu naturę lapsę, vel in puris etiam naturalibus, efficere omnia opera moralia, aut omnes vincere tentationes, sinè speciali auxilio gratię diuinę. Ità D. Thomas art. 2. 4. & 8. Est communis sententia Doctorum, quę tum ex dictis constat, tum ex infrà dicendis fiet illustrior. *Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.*

Ad Primvm. Scripturę, Concilia & Patres loquuntur de iis operibus seu iis actionibus, quę disponunt ad gratiam, & aliquo modo conducunt ad vitam ęternam. Legi potest Augustinus lib. 4. contra Iulianum. c. 3. & epistolâ 106. Et sermon. 13. de verb. Apostoli.

Ad Secvndvm. Negatur Maior. Illud Apostoli ad Heb. 11. *Sinè fide impossibile est placere DEO &c.* de iis operibus intelligendũ est, quę ad vitam ęternã prosint.

Ad confirmationem. Aliter concurrit Devs ad actus bonos, & aliter ad malos. Ad bonos ità concurrit, vt etiam bonitatis author sit; ad malos verò tantùm quoad esse eorum materiale. Vide, quę suprà docuimus; quę. 79. disput. vnicâ. Ex quo nihil contrà assertionem nostram inferas.

DISPVTATIO III.

Vtrum homo sinè gratiâ sanctificante possit diligere Deum super omnia?

Non agimus de amore supernaturali, quo Devs diligitur super omnia, vt est finis supernaturalis, & obiectum beatitudinis nostrę. Hunc enim esse non posse sinè gratiâ sanctificante, siuè ab illâ fluat, siuè eam comitetur, certum & constitutum esse debet, & colligitur ex cap. 5. ad Rom. Vbi charitas Dei dicitur, *diffusa esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Ex quo loco Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. & can. 11. colligit gratiam sanctificantem & habitualem. *Sed difficultas est* de amore Dei naturali, quo

quo DEVS diligitur super omnia, prout naturę author est, in quem res vniuersę ordinantur, tanquàm in finem naturalem. In quâ re.

PRIMA SENTENTIA est eorum, qui affirmant posse DEVM super omnia diligi sinè gratiâ sanctificante. *Probatur hæc sententia primò.* Ratio naturalis dictat Deũ esse diligendũ super omnia: Sed volũtas sequi potest iudiciũ rationis: Ergo naturaliter, ac prôindè sinè gratiâ sanctificante, poterit DEVM diligere super omnia. *Secundò.* Potest homo viribus naturæ diligere creaturã aliquam super omnia: Ergò multò magis DEVM, in quo maior caussa & ratio diligendi est. *Tertiò.* Potest vir fortis vitam suam profundere pro Republicâ; teste Aristotele 3. Ethic. cap. 3. Ergò etiam pro DEO, quod est DEVM diligere super omnia; cùm maiorem charitatem nemo habeat, quàm vt animã suam ponat pro amicis suis. *Quartò.* Potest homo ex virium naturalium facultate velle, DEVM esse DEVM: Sed hoc est, velle DEO maius bonum, quàm vlli creaturæ: Ergò eiusmodi actus voluntatis erit amor DEI super omnia; ac proindè poterit homo ex virium naturalium facultate amare DEVM super omnia.

SECVNDA SENTENTIA negat, posse esse delectionem DEI super omnia sinè gratiâ sanctificante. Itâ D. Thomas hoc loco. art. 3. & 3. contrà gentes. c. 160. & alij. *Pro resolutione difficultatis.*

NOTANDVM est, DEVM amari posse super omnia; duplici amore; Vno intensiuo, altero appretiatiuo; Amor intensiuus DEI super omnia tum est, quandò magis intensè, seu affectu vehementiori, amatur DEVS, quam vlla creatura. Appretiatiuus autem, quandò is, qui DEVM amat, itâ affectus est, vt DEI amicitiam in maiori pretio habeat, plurisque æstimet, quàm quicquid aliarum rerum est, quæ possunt à DEO auertere; itâ vt paratus sit omnium potiùs rerum, quarum amor cum amicitiâ DEI consistere non potest, iacturam facere, quàm à DEO disiungi & diuelli. Quod fieri potest, tametsi minùs intensè DEVM, quàm creaturam, amet. Hic non disputatur de amore intensiuo; potest enim intensiùs amari id, quod non amatur super omnia; sed de amore appretiatiuo. *Quo posito.*

DICO I. Potuisset homo in puris naturalibus creatus, elicere amoris actum naturalem, quo DEVM amasset, vt finem naturalem, super omnia. Itâ docent D. Thomas. quodlib. 1. art. 8. & 1.

Dei super omnia, viribus naturę tolli non potest; ità nec voluntas in statu naturæ corruptę potest dictamen illud rationis de amando Deo super omnia exequi, nisi peccato mortali per gratiam sanctificantem sublato. Potest quidem elicere imperfectum aliquem amoris actum, qui tamen, quià coniunctus est cum apertâ inimicitiâ Dei, dignus non est, vt amor Dei appelletur; nedum vt amor Dei super omnia.

Ad Secundum. Nego parem esse rationem. Quia amor creaturæ non pugnat cum peccato lethali, cum quo pugnat amor Dei super omnia.

Ad Tertium. Amor Dei super omnia, etiam naturalis, requirit, ne aliqua creatura Deo præferatur; ac proindè excludit omne peccatum lethale, à quo nisi liber sit is, qui vitam pro Deo profundit, non potest eius actio procedere ex amore Dei super omnia.

Ad Postremum. Voluntas illa non est nisi dilectio quædam imperfecta, quæ quia extrà statum gratiæ sanctificantis in naturâ corruptâ, semper coniuncta est cum peccato mortali, non potest esse amor Dei super omnia.

DISPVTATIO IV.

Vtrum homo sinè gratiâ iustificante possit implere totam legem naturalem?

Ratio difficultatis est: Quia præcepta debent esse de rebus, quę sint in potestate hominis; quippè rem impossibilem præcipere, vt inquit Diuus Hieronymus in expositione symboli, non solùm iniustum, sed etiam stultum est: Quarè cùm obseruatio totius legis naturalis homini præcepta sit, erit illa in potestate hominis; ac proindè poterit lex vniuersa naturaliter ab homine impleri. *Confirmatur primo.* Homo naturaliter, & sinè gratiâ iustificante, potest obseruare vnum aliquod præceptum legis naturalis: Ergò etiam omnia; quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. *Confirmatur secundò* ex illo ad Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Vbi Chrysostomus

affirmat; id intelligi de vniuersâ lege naturali. *Verùm his non obstantibus:*

Dico. I. Homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt propriis viribus implere totam legem naturalem. Ità Concilia & Patres; quandò definiunt & docent, ad vitanda peccata lethalia, & obſeruanda præcepta legis, etiam naturalis, neceſſariam eſſe gratiam diuinam: Concilium Mileuitanum. can 3. 4. 5. II. Arauſ. can. 13. 16. 19. Auguſtinus in epiſtolâ. 89. qu. 2. epiſtolâ. 95. 106. 144: & 200. in lib. de Spirit. & lit. cap. 14. & 19. Nec eſt, quòd quiſquam reſpondeat, Concilia & Patres loqui de obſeruatione præceptorum naturalium, quoad modum tantùm; Hoc eſt, vt ex charitate & meritoriè obſeruantur; non autem de eorundem obſeruatione quoad ſubſtantiam. Docent enim, neceſſariam eſſe gratiam, vt præſtetur id, quod lex naturalis præcipit; Quod eſt, obſeruare præcepta quoad ſubſtantiam. Accedit authoritas Scripturæ Sacræ, quæ paſſim docet hominem ſinè adiutorio gratiæ diuinę frequenter labi, & peccare. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. pſal. 32. Prouerb. 2. & alibi. At cur id, niſi quia lex obſeruari ſinè gratiâ non poteſt? *Ratio eſt.* Quia homo in ſtatu naturę corruptę tot habet incitamenta & occaſiones ad peccandum; tot difficultates ad benè & conſtanter operandum, vt niſi natura eius beneficio gratię ſanetur, viuere diu ſinè peccato, ac proindè ſinè legis tranſgreſſione, nequeat. Id quod experientia ipſa confirmat.

Dico. II. Gratia hęc, quę in ſtatu naturę corruptę neceſſaria eſt ad implementum totius legis naturalis, eſt gratia habitualis, & iuſtificans. Ità Concil. Mileuitanum. can. 3. 4. 5. Vbi gratiam, quę neceſſaria eſt ad legem obſeruandam, vocat gratiam iuſtificationis. Et Auguſtinus in lib. de Spirit. & literâ. cap. 17. *Litera legis*, inquit, *neminem iuſtificat, ſed velamen poſitum eſt in lectione veteris teſtamenti, donec ad Chriſtum tranſeatur & auferatur velamen*, id eſt, tranſeatur ad gratiam; vt intelligatur, ab ipſo nobis eſſe iuſtificationem, quâ facimus, quod iubet. *Fundamentum huius aſſertionis eſt.* Tametſi enim Devs hominem in peccato mortali exiſtentem, ac proindè deſtitutum gratiâ habituali, poſſit peculiari aliquo auxilio gratię mouentis (de quo Concilium Mileuitanum & Auguſtinum locis paullò antè allegatis loqui, idque nomine gra-

tiæ

tiæ iustificationis significare; non nemo existimat) per varia momenta ità præuenire, regere & iuuare, vt nunquàm porrò à lege deuiet, aut in aliud peccatum lethale ruat. Quia tamen hæc diuinæ prouidentiæ cura & custodia propria est filiorum & amicorum DEI, nemini eorum, qui in peccato mortali, ac proindè inimici DEI sunt, ordinariâ lege obuenit. Habent quidem peccatores sufficiens auxilium, quo singula possint & præcepta legis implere, & vitare peccata; quo si vtantur, & mandatorum obseruationi studeant, eo ipso fiet, vt Spiritum pœnitentiæ & gratiam iustificationis à DEO obtineant, quâ filij & amici DEI fiant, vt ea porrò gratiæ mouentis auxilia consequantur, quibus & totam legem implere, & vitare possint omnia peccata lethalia. *Ad rationem difficultatis initio allatam respondetur.*

ESSE in homine, extrà gratiam existente, potentiam physicam & remotam ad totius legis naturalis obseruationem; non autem moralem & propinquam; hoc est, ità perpetuò instructam & expeditam, vt omnes difficultates & impedimenta, quæ in statu naturæ corruptæ plurima sese obiiciunt, & a perfectâ totius legis obseruatione identidem auocant & retardant, proprio nisu frangat, vincat ac superet. Id enim sinè gratiâ habituali (quæ naturam hominis, eiusque libertatem non tollit, sed perficit) fieri non potest; iuxtà modum explicatum.

AD PRIMAM confirmationem. Negatur consequentia. Nam longè difficilius est implere omnia præcepta, quàm singula. Et argutatio illa à sensu distributiuo ad collectiuum vitiosa est; vt patet exemplo figurarum, quas singulas remouere à cerâ possumus, non tamen omnes. Item potest homo sinè hoc aut illo loco esse; non tamen sinè omni.

AD SECVNDAM. Apostolus non affirmat, Gentes facere vel implere legem vniuersam; sed *ea, quæ legis sunt*; id est, aliqua, nempè faciliora legis præcepta; cuiusmodi sunt honorare parentes, tribuere eleemosynam, cauere cædes & furta &c. exequi. Nam omnia, aut difficiliora, qualia sunt; *Non concupiscere: Diligere DEVM plusquàm seipsum*; præsertim si grauior tentatio ingrueret, implere sinè gratiâ non poterant. *Hinc* probat eo loco Apostolus, tàm gentes, quàm Iudæos eguisse gratiâ & fide Christi. Legi potest

Cornelius Cornelij in explicatione capitis.2.ad Rom.

DISPVTATIO V.

Vtrum homo poßit se disponere ad gratiam habitualem ex solis naturæ viribus?

PRIMA SENTENTIA affirmat; quæ subsequentibus argumentis suadetur. *Primò.* Quia Scriptura sacra sæpius indicat, in potestate hominis esse, vt ad gratiam se disponat ac præparet. Zachariæ. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Prouerb. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed domini est dirigere gressus eius.* Ergò potest se propriis viribus ad gratiam iustificantem disponere. *Secundò.* Commune Theologorum axioma est; *DEVM facienti quod in se est, non denegare gratiam*: Sed potest homo viribus naturæ facere quod in se est: Ergò potest etiam viribus naturæ se disponere ad Gratiam. *Tertiò.* Opera moraliter bona disponunt & præparant ad Gratiam. Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Actor. 10. Orationes Cornelij dicuntur ad DEVM ascendere: Sed eiusmodi opera, vt suprà vidimus, possunt effici viribus naturæ. Ergò. *Quartò.* Attritio coniuncta susceptioni Sacramenti sufficiens dispositio est ad gratiam. Sed attritio videtur posse haberi viribus naturæ. Ergò dispositio ad gratiam potest haberi viribus naturæ.

SECVNDA & vera sententia negat, posse hominem sinè speciali DEI auxilio se disponere ad gratiam. Ità D. Thomas hoc loco & Theologi communiter. Hanc sententiam expresſè definit Concil. Trident. seſſ. 6. c. 5. & 6. & can. 3. *Ratio* ex Scripturâ sumitur. Nā si homo se disponere poſſet ad gratiam solis naturæ viribus, facilè poſſet occurrere D. Paulo quærenti ad Rom. 9. *O homo tu quis es, qui respondeas DEO?* & propositam quæstionem; cur videlicet hos ità misericorditer trahat, vt iustificentur, non autem illos? soluere; quia hi propriis viribus ad gratiam iustificantem se disponunt, non autem illi. *Ad argumenta prioris sententiæ respondetur.*

AD PRIMVM. Iis scripturæ locis solùm indicatur, dispositionem ad gratiam non ità esse à solo Dei auxilio, quin etiam necessaria

saria sit cooperatio liberi arbitrij. Itá Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 5. & 6. Et D. Augustinus lib. 2. contrà duas epistolas Pelag. cap. 8.

AD SECVNDVM. Axioma illud: *Facienti quod in se est, &c.* explicat D. Thomas articul. 6. ad 2. de eo, non qui viribus naturæ, sed qui motus à DEO facit, quod in se est. De quo nos plura inferiùs.

AD TERTIVM. Opera moraliter bona, ex solis naturæ viribus patrata, non sunt dispositiones idoneę ad gratiam iustificantem; quia cùm merè naturalia sint, proportionem ad donum supernaturale non habent. Illud Daniel. 4. intelligitur de eleemosynis in gratiâ factis; eæ enim eximunt à pœnâ peccatis debitâ. Ad illud Actor. 10. existimat Magister in 3. distinct. 25. & ibidem S. Thomas. Gregorius & Alensis, Cornelium tunc fuisse iustum: ideò acceptas fuisse DEO eius orationes: Aut si iustus nondum fuit, vt censet D. Chrysostomus homil. de fide, & lege naturæ, dicendum est, eius orationes fuisse exauditas à DEO: quia factæ erant ex speciali auxilio DEI. Legi potest D. August. lib. 1. ad Simplic.

AD QVARTVM. Negatur Minor. Tametsi enim minor dispositio requiratur, vt aliquis iustificetur cũ Sacramento, quàm sinè eo; nec illa tamen, cùm supernaturalis esse debeat, haberi potest sinè auxilio gratiæ diuinæ. Legi potest Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 4. 5. 6. & Arausicanum. can. 8.

DISPVTATIO VI.

Vtrum homo iustus possit sinè nouo & peculiari subsidio gratiæ vitare omnia peccata venialia?

ERROR Pelagianorum fuit, posse hominem solis naturæ viribus vitare omnia peccata venialia. *Fundamentum eius est.* Nam quod vitari non potest, peccatum non est; Ergò homo aut solis naturæ viribus vitare potest peccata omnia venialia; aut si vitare non potest, ea non erunt peccata.

ALTER error sectariorum æui nostri est; qui, cũ existiment omnia opera iustorum peccata esse, tamet-

tametsi à Deo non imputentur, negant fieri posse, vt homo, quocunque etiam diuinæ gratiæ subsidio adiutus, vitet omne peccatum veniale.

Inter hos errorum anfractus mediâ & veluti regiâ viâ incedit doctrina Catholicorum; quam subsequentes assertiones explicabunt, & aperient.

Dico. I. Auxilia communia, quæ ordinariâ Dei lege iustis offeruntur in statu naturæ lapsæ, non sufficiunt ad vitanda omnia peccata venialia. Hæc veritas definita est in Concil. Mileuit. can. 6.7.8. & in Tridentino sess. 6. can. 23. his verbis: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in totâ vitâ peccata, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali DEI priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Colligitur *ex Scripturâ Sacrâ.* 3. Reg. 8. *Non est homo, qui non peccet.* Iob. 14. *Nemo mundus à sorde.* Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus.* Ecclesiastæ 7: *Non enim est homo iustus, qui faciat bonum, & non peccet.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Iacobi 3. *In multis enim offendimus omnes,* & alibi. *Ratio est.* Quia in tantâ infirmitate naturæ humanæ, inter tot peccandi occasiones & illecebras, in tantâ sensualitatis ad malum inclinatione, inter tot benè agendi difficultates & impedimenta, in tanto tentationum vndique ingruentium occursu, inter tot dæmonum impugnationes, fieri non potest, vt homo etiam iustus, & communibus auxiliis suffultus, itá prouidè & circumspectè cursum suæ vitæ moderetur, vt nunquàm per negligentiam aut inconsiderationem à regulâ & amussi rectæ rationis vel leuiter deflectat, quod est peccare venialiter.

Dico. II. Potest homo iustus, peculiari Dei priuilegio, vitare omnia peccata venialia. Eiusmodi priuilegium concessum fuisse B. Virgini, constat ex Concil. Trident. sess. 6. can. 23. Legi potest Vega lib. 14. in Concil. Trident. cap. 18. & D. Thomas in 3. part. quæst. 27.

Ad Fundamentum primi erroris respondetur. Vt homo peccet, satis est, si possit vitare peccata singula. Ad vitanda autem peccata venialia omnia, est quidem in homine potentia physica & remota; qualis, *exempli gratiâ,* est in oculo ad videndum sinè lumine; non tamen propinqua & moralis; hoc est, itá instructa & expedita, vt superatis omnibus difficultatibus & impedimentis, itá intrà præscriptos à recta ratione ter-

ne terminos perpetuò contineatur, vt nunquàm indè vel leuiter declinet. Id enim facere sinè speciali Dei priuilegio, non magis potest, quàm oculus videre sinè lumine.

DISPVTATIO VII.

Vtrum homo iustus possit, per solam gratiam habitualem, sinè nouo auxilio gratiæ exercere aliquod bonum supernaturale?

PRAEMITTO, nomine auxilij specialis duo posse intelligi. *Primò*, concursum illum supernaturalem, quo DEVS concurrit cum iustis ad opera supernaturalia exercenda. De auxilio ità sumpto dubitatio non est, quin necessarium sit ad opera supernaturalia; quia non est aliud, quàm ipsa operatio supernaturalis, prout à DEO dependet. *Secundo*, specialem aliquam motionem DEI, seu gratiam præuenientem, quâ DEVS peculiariter iustos excitet ad benè & supernaturaliter agendum. Et de auxilio gratiæ ità accepto controuersia est; An iustis necessarium sit ad omnes operationes supernaturales?

DICO. I. Probabile est, posse hominem in gratiâ habituali cõstitutum efficere aliquod opus bonum supernaturale, sinè nouo auxilio gratiæ actualis. *Probatur*. Quia potest efficere aliquod opus, quod efficere non potest destitutus gratiâ habituali. Id autem non est nisi supernaturale; naturalia enim opera fieri possunt sinè gratiâ habituali: Ergò gratia habitualis, accedente concursu DEI supernaturali, sufficiens est ad efficiendum opus supernaturale. *Confirmatur*. Virtutes, quæ cum gratiâ habituali infunduntur, cùm supernaturales sint, inclinant ad actiones supernaturales. Ergò potest homo iis instructus efficere id, ad quod inclinãt; ac proindè operari supernaturaliter. Legi possunt Scotus in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Ruardus art. 7. Molina quæst. 14. art. 13. disput. 8. & 17. Quanquàm sententia opposita, vt quæ magnum habet in Patribus & Conciliis fundamentum, improbari minimè debeat.

DICO II. Non potest homo constitutus in gratiâ habituali & iustus, efficere quodlibet opus

bonum ſupernaturale, niſi ſpeciali auxilio gratiæ adiuuetur. Ità Auguſtinus in lib. de nat. & grat. cap. 26. inquit: *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſsimè ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſsimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitùs adiuuetur, rectè non poteſt viuere.* Rectè, inquit, viuere. Quibus verbis non vnam aut alteram tantùm; ſed plures per omnem ſubindè vitam, operationes ſupernaturales comprehendit. Et cap. 58. & 67. lib. 3. de lib. arbit. c. 18. & 1. retractat. c. 9. *Ratio eſt.* Quia in tantâ naturæ infirmitate & propenſione ad malum, niſi DEVS impetum dæmonis cohibeat, ne tantum tentet, quantum cupit & poteſt, & hominem ſubindè ad bonum inuitet, quod non fit ſinè ſpeciali auxilio gratiæ diuinæ, nemo ſanè, quantumuis etiam iuſtus, eſſet, qui nunquàm à bono deuiaret; ac proindè non poteſt homo, quantumuis etiam iuſtus, quodlibet opus bonum, præcipuè verò ſupernaturale, efficere, niſi ſpeciali DEI auxilio adiuuetur.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum homo iuſtificatus poſsit ſine nouo & peculiari auxilio gratiæ perſeuerare in ſtatu iuſtificationis vſq; in finem vitæ?

CONSTANS omnium ſententia eſt, non poſſe hominem perſeuerare in ſtatu iuſtificationis per ſolas naturæ vires. Non enim naturæ, ſed DEI donum eſt perſeuerantia. Ad Philipp. 1. 2 ad Theſſalonic. 2. 1. Petri 5. Pſalm. 16. & alibi, vt fusè probat D. Auguſtinus toto libro de bono perſeuerantiæ. *Et ratio eſt.* Quia non poteſt homo viribus naturæ vitare omnia peccata mortalia, nec vincere omnes tentationes; Id quod neceſſarium eſt, vt in ſtatu iuſtificationis perſeueret. Tantùm ergò difficultas eſt de ipsâ gratiâ ſanctificante; An videlicet tanta ſit eius vis, vt abſque nouo & peculiari gratiæ auxilio ſufficiat homini iuſtificato ad perſeuerandum

in statu iustificationis vsque in finem vitæ?

Dico. Vt homo iustificatus in statu iustificationis vsque in finem vitæ perseueret, præter gratiam iustificantem, indiget nouo & speciali auxilio Dei. Ità passim docent. SS. Patres. Augustinus lib. de bono perseuerentiæ. cap. 1. & 13. de corrept. & grat. cap 6. 7. 22. lib. de prædestinat. SS. capite 14. & alibi passim. Cyprian. in exposit. orationis Dominicæ. Hilarius in psalm. 126. Gregorius. 23. moral. cap. 28. Cyrill. Alexandrinus lib. 11. in Ioann. capite 21. Hieronymus. lib. 2. contrà Pelagianos. Chrysostom. homil. 8. in Ioann. Bernard. sermon. 3. in Cantica. Et alij. Hanc assertionem expressè definiunt Concilia. Arausican. II. can. 10. his verbis: *Adiutorium DEI etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, & in bono possint opere perdurare.* Et apertiùs Tridentinum. sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit hominem iustificatum vel sinè speciali auxilio DEI in acceptâ iustitiâ perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Quæ definitio tria continet: Duo expressè; Tertiũ implicitè. Primum est, requiri in homine iustificato specialem gratiam ad perseuerandum. Secundum; Illam sufficere ad perseuerandum, si iustificatus eâ vti velit. Postremum; non necessariò perseuerare, qui speciale auxilium accipit; sed posse pro suâ libertate non perseuerare. Id enim postrema decreti illius verba indicant. *Ex quo porrò colligitur*, illud Dei auxilium, quo iusti reipsâ perseuerant, non tollere libertatem, quia non tollit resistendi potestatem.

At Inqvies. Si ad perseuerandum requiritur in homine iusto vltrà gratiam sanctificantem auxilium speciale, non erit in ipsius potestate, vt perseueret; quia auxilium non est in potestate ipsius. *Respondeo*; Esse in ipsius potestate, saltẽ remotè; quatenùs illud à Deo obtinere & consequi potest ijs mediis, quæ assignat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13. præcipuè verò precibus factis in Christi nomine. Legi potest Vasquez disp. 197. cap. 2. num. 14.

QVAESTIO CX.

De Gratiâ DEI, quantum ad eius essentiam.

QVATVOR SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum gratia ponat aliquid in animâ?* CONCLVSIO est. Gratia ponit aliquid in animâ: Est enim donum supernaturale, gratuitò homini collatum. *Vbi nota.* D. Thomam nomine doni gratuiti præcipuè designare gratiam habitualem & iustificantem. Hæc enim est, quæ & hominem constituit obiectum diuinæ amicitiæ, vt patet ex corpore; & quâ formaliter peccata remittuntur; vt colligitur ex solutione tertij.

ARTICVLO II. *Vtrum gratia sit qualitas animæ?* CONCLVSIO I. est. Gratia sumpta pro speciali auxilio DEI mouentis ad aliquid cognoscendum, appetendum aut agendum, non est qualitas permanens, sed motus quidam animæ. Est enim operatio intellectus, aut voluntatis nostræ, quam DEVS in nobis operatur. CONCLVSIO. II. Gratia accepta pro dono habituali, quo homo formaliter fit iustus & DEO gratus, est qualitas permanenter animæ inhærens.

ARTICVLO III. *Vtrum gratia sit idem quod virtus?* CONCLVSIO est. Gratia non est idem, quod virtus; sed reipsâ differt à virtute tam infusâ, quàm acquisitâ. Sicut enim lumen naturæ distinctum est à virtutibus acquisitis, quibus homo disponitur ad operandum congruenter lumini naturali rectæ rationis; ità etiam lumen gratiæ distinguitur à virtutibus infusis, quibus homo disponitur ad operandum congruenter lumini supernaturali diuinæ gratiæ.

HVIC Doctrinæ reclamant Scotus in. 2. dist. 27. quæst. 1. Albert. dist. 26. art. 3. Richard. art. 1. quæst. 4. Durand. quæst. 1. num. 7. Gabriel qu. 1. art. 2. conclus. 4. Vega lib. 7. super Concil. Trident. cap. 25. Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 6. Putant enim gratiam habitualem non distingui ex naturâ rei à charitate, quæ est virtus infusa & Theologica; sed esse vnum & eundem habitum, qui

quatenùs nos Deo gratos & iustos efficit, vocetur gratia; quatenùs verò principium est dilectionis, appelletur charitas. *Fundamentum eorum est*, Nam iidem effectus, qui tribuuntur gratiæ, tribuuntur etiam charitati. Ergò gratia & charitas non sunt formæ aut habitus ex naturâ rei distincti. *Antecedens probatur.* Effectus, qui tribuuntur gratiæ habituali, hi præcipuè sunt; constituere hominem Deo gratum & dilectum; efficere filios Dei adoptiuos; viuificare animam; emundare à peccato; coniungere & vnire Deo; ius tribuere ad vitam æternam fundatum in promissione Dei. Hos omnes effectus Scriptura Sacra etiam charitati tribuit. Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* 1. Ioann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij DEI nominemur & simus.* 1. Ioann. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.* Iacobi. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEVS diligentibus se.*

Hoc tamen non obstante fundamento, sententia D. Thomæ, quæ habitum gratiæ sanctificantis distinguit ex naturâ rei ab habitu charitatis, nobis vt probabilior omninò amplectenda est. Eam sequuntur Conradus, Caietanus, & Thomistæ recentiores hoc loco. Antoninus. 4. part. tit. 9. cap. 2. §. 3. & 4. Capreol. in 2. dist. 26. quæst. 1 art. 1. Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 17. sub finem. *Ratio est.* Quia gratia habitualis necessaria est, vt constituat animam in esse supernaturali; charitas autem & cæteræ virtutes Theologicæ, vt potentias animæ perficiant & disponant ad operationes supernaturales. Atqui forma, quæ tribuit esse in aliquo ordine, semper ex naturâ rei distingui solet ab eâ, quæ perficit & disponit ad operationes eiusdem ordinis. Sicut alia forma est, quæ tribuit homini esse humanum; & alia, quę hominem perficit & disponit ad operationes humanas; & vt Dionysius. cap. 2. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, inquit: *Homo non potest operari diuina, nisi adeptus sit statum seu Esse diuinum.* Ergò gratia habitualis distinguitur ex naturâ rei ab habitu charitatis.

Ad Fundamentum oppositę sententię respondetur, pręterquàm quòd allegata scripturę testimonia loquantur de actu charitatis, non de habitu; aliter effectus illos tribui gratię habitua-

merentur ab Apostolo. 1. Corinth. 12. CONCLVSIO est affirmans & perspicua ex textu.

ARTICVLO V. *Vtrum gratia gratis data sit dignior, quàm gratia gratum faciens?* CONCLVSIO est. Gratia gratum faciens præstantior est gratiâ gratis datâ. Quia gratia gratum faciens propius hominem cum DEO fine vltimo coniungit, quàm gratia gratis data; vt rectè argumentatur D. Thomas, & idem indicauit etiam Apostolus 1. ad Corinth. 12. cùm factâ, enumeratione gratiarum, quæ dicuntur gratis datæ, subdidit: *Æmulamini charismata meliora: adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, &c.* Nempè charitatem, quæ est gratia gratum faciens. Ad pleniorem doctrinæ totâ hac quæstione contentæ explicationem, plures à Theologis moueri solent difficultates & controuersiæ, quas priusquàm certis pro more disputationibus excutiamus.

PRÆMITTENDVM est; quod initio monuimus, tres illas gratiæ actualis diuisiones, quandò diuiditur. 1. in Excitantem & Adiuuantem. 2. in Præuenientem & Subsequentem. 3. in Operantem & Cooperantem; non re, sed nominibus tantùm & ratione differre. Eadem igitur reipsâ gratia est, quæ dicitur excitans, præueniens, & operans. Et consistit tum in illustratione intellectus, tum in piâ motione voluntatis.

EXCITANS dicitur, quia per illam DEVS excitat, inuitat, allicit cor hominis, vt conuertatur vel ad fidem, vel ad pœnitentiam, vel ad dilectionem, aut quemlibet alium supernaturalem actum exercendum. Vndè instar vocis, aut pulsus est è somno aliquem excitantis. Voluntas enim hominis, dum in peccato est, velut somno quodam opprimitur, à quo excitatur clamore & pulsu diuinæ vocationis & inspirationis; iuxtà illud ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Et sicut vox illius, qui dormientem è somno excitat profertur absque consensu dormientis; ità gratia excitans offertur à Deo, & immittitur homini absque consensu eius & libertate. Id appositè significatur illo modo loquendi, quo DEVS vtitur Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, &c.* Sicut enim stare ad ostium & pulsare, eius tantùm est, qui foris stat & aditum quærit; ità solius DEI est pulsare cor peccatoris per sanctam cogitationem, & pium voluntatis

motum. Non quòd anima hominis ad hanc excitationem merè se passiuè habeat; nam cùm actio vitalis sit, necessarius est ad eius productionem actiuus potentiæ concursus; sed quia fit in animâ, ipsâ non concurrente liberè & moraliter.

Hinc colligi potest, quomodo intelligendum sit illud Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. & can. 4. cùm docet & definit, posse hominem gratiæ excitanti resistere, eamque abiicere. Id enim non intelligitur de ipsâ excitatione formali, quasi homo impedire possit, nè a Deo excitetur. Nam cùm excitatio hæc non sit in potestate hominis, impediri ab eo, aut respui non potest: sed de eâ actione, ad quam exercendam homo excitatur; nempè de libero & supernaturali consensu seu conuersione animæ. Illa enim est in liberâ potestate hominis, quam si exerceat, dicitur acceptare gratiam excitantem: quia facit id, ad quod excitatur à Deo; sin minùs, abiicere. Ità abiecerunt ij, qui vocati ad cœnam, venire noluêre. Luc. 14. Legi potest Augustinus lib. 83. quæst. q. 68. *Hic illud etiam obserua*; gratiam excitantem non solùm dari peccatoribus, vt conuertantur ad Devm; sed iustis etiam, vt in statu iustitiæ proficiant & perseuerent. In his enim frequentissimè excitantur bonæ cogitationes & inspirationes, quibus inuitantur à Deo ad eliciendos actus charitatis & virtutum aliarum.

Prævenien s appellatur, quia liberum voluntatis consensum anteuertit. Eius frequenter meminit Augustinus, præcipuè verò lib. 2. contrà duas epistolas Pelagian. cap. 9. cùm inquit: *Auertat DEVS hanc amentiam, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum: quoniam misericordia eius praueniet me; & ipse est, cui veraciter fideliterq; cantatur: Quoniam praueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psal. 20. Et Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. Vbi declarat, iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum præueniente gratiâ sumendum esse. Et canon. 3. ità definit: *Si quis dixerit sinè praueniẽte Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Operans denique vocatur, quia iuxtà phrasin SS. Patrum, Devs illam in nobis operatur sinè nobis. Ità D. Augustinus in libr. de grat. & liber. arbitr. cap. 17. *Ipse, vt uelimus, operatur incipiens.*

piens. Et paullò pòst: *Vt ergò velimus, sinè nobis operatur.* Et Gregorius Magnus lib. 16. moral. cap. 10. *Superna ergò pietas priùs agit in nobis aliquid sinè nobis.* Quem loquendi modum non omnes eodem modo intelligunt. Andreas Vega lib. 6. in Concil. Tridentin. cap. 8. existimat, ideò dici gratiam operantem fieri in nobis sinè nobis, quòd primus ille animi motus, quo ad consentiendum homo excitatur, ità à solo Deo efficiatur, vt homo ad eum merè se passiuè habeat. *Hæc tamen* opinio iam reiecta est. Quia repugnat actui vitali, vt in potentiâ vitali, absque actiuo eius concursu, producatur. Id quod Philosophi variis in locis, & plerique Theologi apud Magistrum in 4. distinct. 49. & apud D. Thomam 1. 2. quæstion. 3. sufficienter demonstrant. *Alij* vt Durand. in 2. distin. 26. quæst. 3. & nonnulli discipuli D. Thomæ hoc loco, ideò putant talem motum à Deo fieri in nobis sinè nobis; quia homo, licet efficienter, imò etiam liberè, ad eius productionem concurrat, nullo præuio actu illum velit. Nullus enim actus in eo antecedit, quo seipsum ad volendum seu operandum moueat. Hæc tamen sententia seipsam perimit & euertit. Nam si ad primum illum motum liberè concurrimus, quomodo intelligi potest, vt fiat in nobis sinè nobis? *Alij*, vt Gregorius Ariminensis in 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. argument. & nonnulli recentiores ità modum illum loquendi accipiunt & explicant; vt Deum operari in nobis sinè nobis, nihil aliud sit, quàm applicare & impellere voluntatem nostram ad liberè consentiendum. Quem impulsum medium esse volunt inter gratiam præuenientem, & liberum concursum voluntatis. Hanc etiam opinionem plerique Theologi reiiciunt. Gabriel. in 2. dist. 37. quæst. 1. art. 1. not. 1. Caietan. 1. part. quæst. 14. art. 13. & quæst. 19. artic. 8. Vasquez q. 23. disputat. 88. cap. 5. & alij. *Et confutatur hac vnâ ratione.* Nam aut applicatio illa est actio quædam in voluntate, aut qualitas, quâ determinatur voluntas ad consentiendum. Si actio: vel illa elicitur liberè à voluntate, & sic nihil aliud erit, quàm ipse consensus liber voluntatis: Vel physicè tantùm & naturaliter; atque ità nihil erit distinctum à gratiâ præueniente, quam Devs efficit in nobis sinè nobis; ac proinde non erit medium aliquid inter gratiam præuenientem & liberum consensum voluntatis. Si qualitas; cùm illa non sit in po-

potestate voluntatis, vt quæ omnem motum liberum voluntatis antecedit; & semel posita determinat voluntatem ad consentiendum, non erit in potestate voluntatis consentire gratiæ præuenienti, contrà expressam Concilij Trident. definitionem.

VERA explicatio est, vt gratiam operantem ideò dicatur DEVS operari in nobis sinè nobis; quia eam in nobis efficit, sinè nobis liberè & moraliter operantibus. Est enim motus quidam, quem Deus excitat in nobis antè liberum consensum nostrum; ac proindè rectè dicitur esse à solo DEO; quia nemo seipsum ad conuersionem primò vocat aut excitat; sed DEVS tantùm per internas inspirationes & illustrationes vocat omnes, qui vocantur; quoniam ab ipso est salutis nostræ exordium. Neque refert, aut gratiæ rationem minuit, quòd motus ij, quia vitales sunt, physicè à nobis efficiantur. Id ipsum enim, quòd efficiātur, ex Dei eleuatione est; vt proindè homini tribui propriè nō debeant; qui tum propriè solū dicitur operari, quandò liberè & humano modo operatur.

Ex his satis constat, priora triplicis illius diuisionis membra ità coincidere, vt non nisi respectu & ratione differant. Imò etiam cum posterioribus. Nam eadem omninò à parte rei gratia, quæ prout excitat ad conuersionem seu consensum, eumque antecedit; dicitur excitans, præueniens & operans; eadem omninò, inquam, prout adiuuat volūtatem, & cum eâ simul concurrit ad liberum consensum, appellatur adiuuans, cooperans, & subsequens. Earū clara mentio fit in Scripturâ. Adiuuantis Psal. 26. *Adiutor meus esto*. & ad Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*. Cooperantes 1. Corinth. cap. 15. *Abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia DEI mecum*. Et ad Rom. 8. *Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*. Subsequentis Psal. 22. *Et misericordia tua subsequetur me &c.* Dicitur autem subsequēs ratione effectus; quia cōcursus cū volūtate, seu influxus in consensum, posterior est excitatione ad eundē. Aliæ, quæ apud SS. Patres inueniuntur gratiæ subsequentis acceptiones, legi possunt apud P. Vasquez in 1. p. disp. 88. c. 10.

QVOD si roges: Quo pacto gratia concurrat cum voluntate ad producendum consensum seu opus; Vtrum videlicet physicum influxū præbeat, an verò tantùm moralem? *Respondeo*. Auxiliū gratiæ duo complectitur; sanctā cogitationē in intellectu; & pium affectū in voluntate. Ratione pri-

mi probabilius est, cõcurrere tantùm moraliter; proponẽdo scilicet obiectũ voluntati sub eâ ratione amabilitatis, vt voluntas libero suo consensu illud amplexura sit; sicuti suasio & consilium hominis, quo aliquis movetur ad operandum, dicitur caussa moralis operis. Ratione verò posterioris physicè & effectiuè, tanquàm caussa partialis, influit vna cum libero arbitrio, tanquàm alterâ caussâ partiali ad liberum consensum boni operis; ità vt ex auxilio gratiæ & libero arbitrio constituatur vna integra caussa boni operis, cuius principalis pars sit auxilium gratiæ, à quo opus habet, vt supernaturale sit, minus verò principalis liberum arbitrium, à quo actus habet, vt sit liber & vitalis. *Ratio est.* Nam cùm consensus seu operatio supernaturalis sit effectus verus & realis, caussam efficientem requirit, cui sufficiens vis insit ad hunc effectum: Hanc autem vim voluntas humana ex se non habet; Ergò necesse est, vt per auxilium gratiæ compleatur; ac proindè vt auxilium vnà cum voluntate constituat vnam, integram veram & efficientem caussam, operis & consensus supernaturalis.

DISPVTATIO I.

Quid sit Gratia sufficiens & efficax?

Celeberrima est diuisio gratiæ actualis in eam, quæ dicitur sufficiens; & eam, quæ dicitur efficax. Sufficientem appellant Theologi eam, cum qua homo potest conuerti, si vult. Efficacem verò, cum quâ actu & reipsâ conuertitur. Vtriusque meminit D. August. lib. de corrept. & grat. c. 11. dicens: *Istam gratiam nunquàm habuit primus homo, quâ nunquàm vellet esse malus: Sed sanè habuit, in quâ, si permanere vellet, nunquàm esset malus.* Hinc lib. 1. ad Simplic. quæstione 2. efficacem gratiam alio nomine videtur appellare congruam; quandò eos, qui tali gratiâ vocantur, congruenter vocari asserit; eò quòd ità vocentur, vt eorum voluntas vocationi congruat & consentiat; sufficientem verò, non congruam; quę scilicet non ità voluntati congruit, vt reipsâ effectum habitura sit. Vtramque Scriptura etiam nobis repręsentat. Sufficientem. 2. ad

Corinth. 11. *Sufficit tibi gratia mea.* Ad Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Efficacem verò, Ezechiel. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Ad Philipp. 2. *DEVS est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Difficultas tantùm, eaque grauis & implicata est, vt, in quo sufficientia & efficacia gratiæ consistat, intelligatur. *Procuius explicatione.*

NOTANDVM est; Vtramque gratiam, sufficientem scilicet & efficacem, comprehendi sub gratiâ excitante, quæ est in voluntate; hoc est, sub piâ motione immediatè voluntati à DEO immissâ. In eâ tria considerari possunt: Entitas seu natura gratiæ. Modus, quo à Deo homini confertur. Ordo seu habitudo ad effectum, quem vel reipsâ habet, vel saltem habere potest. *Quo posito.*

DICO. I. Sufficientia gratiæ in eo posita est, vt ipsa, sinè noui accessu auxilij, satis sit homini ad consensum seu operationem liberè, si velit, eliciendam. Hæc conclusio euidens est ex terminis. Nam si præter gratiam sufficientem necessarium esset aliud auxilium ad operandum, ipsa certè sufficiens non esset. Itaq; gratia sufficiens includit omnia auxilia, quæ per modum principii necessaria sunt ad exercendam actionem supernaturalem; Quod bifariàm fieri potest: *Primò* vt actu omnia includat & complectatur; quandò scilicet proximè & complerè ad operandum est sufficiens. *Deindè* vt virtute; quandò, licet aliquod eorum desit, in eius tamen, qui dicitur habere gratiam sufficientem, potestate est, vt illud, si velit, obtineat. Sic iusti omnes dicuntur habere sufficiens auxilium ad perseuerandum in statu gratiæ; quia licet ad id requiratur nouum gratiæ auxilium, quo interdum carent; in eorum tamen potestate est, vt illud, si (quod facere possunt) & precibus institerint, & receptæ iam gratiæ non defuerint, à DEO obtineant. DEVS namque suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur, vt inquit Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. Quapropter si aliquod auxilium homini desit, quod sit necessarium principium ad exercendam actionem supernaturalem; neque in potestate hominis sit, vt illud, quantumuis etiam velit, obtineat; nullo modo dici poterit habere auxilium sufficiens. Legi potest Suarez lib. 3. de auxil. gratiæ. cap. 6. num. 5.

HINC

Hinc non audiendi sunt, qui volunt, gratiam sufficientem tantùm esse in ordine ad potestatem operandi; non autem ad ipsam operationem; hoc est, sufficere quidem, vt homo possit operari, non autem vt operetur. Id enim absurdè dici, quis non videat? Nam *primò* cùm potentia dicat ordinem ad actum, intelligi non potest, quòd aliqua forma tribuat alicui posse operari, & non sit sufficiens, vt qui illam habet, operetur. *Deindè* Gratia sufficiens non ordinatur vltimò ad posse, sed ad velle; datur enim à Deo non tantùm, vt homo conuerti possit, sed etiam vt conuertatur: Imò non ordinatur propriè ad posse, cùm ipsamet sit forma, quâ homo redditur formaliter potens; ordinatur igitur propriè ad velle, tanquàm ad effectum & finem, propter quem datur; & quod indè sequitur, non potest intelligi sufficiens ad posse, quin etiam intelligatur sufficiens ad velle. *Tertiò*. Si gratia tantùm est sufficiens ad posse; non autem ad velle & operari; consequens est, vt homo tantùm teneatur posse, non autem velle, & operari; quia ad posse tantùm habet auxilium sufficiens, non autem ad velle & operari; ac proindè vt non teneatur conuerti, præcepta seruare, &c. Vndè porro fit, vt, si non conuertatur, aut præcepta obseruet, imputari ad culpam ei nequeat. Id quod abhorrere à doctrinâ sanâ, nemo non intelligit.

Obiicies. I. Is, qui habet auxilium gratiæ sufficiens, tametsi operari possit, actu tamen non operatur. Ergò vt operetur, præter auxilium gratiæ sufficientis, indigebit alio auxilio gratiæ efficacis. *Respondeo*: Quòd homo auxilio gratiæ non respondeat & operetur, non prouenire ex defectu & insufficientiâ auxilij; sed ex culpâ & vitio liberæ voluntatis.

Obiicies. II. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. docet, primo homini datum esse posse perseuerare; non autem perseuerare. Ergò ex sententiâ Augustini auxilium sufficiens tantùm datur ad posse, non autē ad velle & operari. *Respondeo*: Augustinum tantùm velle, gratiam sufficientem non esse coniunctā cum consensu seu operatione. Rectè enim inter se constāt; auxilium esse sufficiens ad operandum, & tamen non habere operationem coniunctam, propter libertatem operantis.

De gratia efficaci; In quo efficacia eius consistat? longè maior difficultas est, in cuius ex-

plicatione Theologi non consentiunt.

Qvidam existimant efficaciam gratiæ in eo positam esse, quòd voluntatem humanam physicè determinet ad consensum seu operationem. De quâ determinatione tria docent. *Primò*: Eam ità præuenire voluntatem humanam, vt nullo modo sit in potestate voluntatis. *Deindè*: Necessariam omninò esse, vt voluntas operetur. *Tertiò*: Eâ positâ, voluntatem non posse non consentire & operari. Vndè non absurdè physica prædeterminatio appellari solet. *Hanc opinionem* meritò improbant, qui duo præcipuè, quæ ex eâ sequuntur, incommoda considerant. *Primò* enim physica illa determinatio libertatem voluntatis ad operãdũ planè euertit. Nam cùm nullo modo sit in potestate voluntatis, nec ab aliquo effectu, qui sit in potestate voluntatis, pendeat; & eâ semel constitutâ ac positâ, voluntas non possit non consentire & operari, quomodo liberè consentiet & operabitur? Et sanè vox ipsa, *Determinationis*, incommodũ hoc præ se fert. Nam quod ad vnam partem determinatum est; non potest dici indifferens ad vtramque. Ergò si gratia efficax volũtatem ad consensum ita determinat, vt hæc non possit non consentire; nullam in voluntate relinquet indifferentiam ad non consentiendum; ac proindè nec libertatem. Vndè rursus sequitur, non esse in potestate hominis, vt consentiat, & conuertatur; ac proindè vt inutiles sint illæ Dei voces. Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. Esaiæ. 1. *Si volueritis & audieritis me, &c.* Item, vt iniustæ sint eiusdem Dei querimoniæ. Esaiæ 5. *Iudicate inter me & vineam meam*. Ad Roman. 10. *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*; cuiusmodi plurimæ occurrunt in sacris literis, quibus queritur Devs de peccatoribus, quòd vocati non respõdeant. Nam quis iure de aliquo conqueri potest, si non faciat, quod in potestate eius non est? *Effugium*, quod nonnulli in duplici sensu, cõposito scilicet & diuiso, paratũ sibi existimant, tom. 1. commen. Theolog. tráct. 2. qu. 19. disput. 7. exclusimus. *Secundò*: Prædeterminatio illa physica tollit omne discrimen inter gratiam sufficientem, & efficacem. Nam si necessaria omninò est ad operandum; iam nullum gratiæ auxilium sufficiet ad operandum, quòd voluntatem hominis physicè non determinet; ac proindè nullum erit sufficiens, quòd si-

mul etiam non sit efficax; contrà Scripturam, Patres & Rationem. Nam is, qui reipsâ non conuertitur, cùm careat gratiâ physicè determinante & efficaci, simul etiã destituetur gratiâ sufficiente; ac proindè vitio & culpæ eius tribui non poterit, si non conuertatur; quià sine gratiâ sufficienti nemo conuerti potest. Quod Scripturæ, Patribus & rationi aduersatur. Legi potest Bellarmin. lib. 1. de grat & lib. arbit. cap. 11.

Alii efficaciã gratiæ ex euentu metiuntur, vt illa gratia sit efficax, cui voluntas reipsâ cooperatur; illa verò inefficax, cui eadem voluntas pro innatâ sibi libertate non cooperatur.

Alii sitam & constitutam esse volunt in morali quadam motione seu inclinatione; quâ ità voluntatem inclinet & inducat ad consensum seu operationem, vt quãquàm libertati eius ad dissentiendum seu resistendum nihil detrahat; hoc tamen morali vi & persuasione præstet, vt voluntas reipsâ consentiat & operetur. *Vt propositæ difficultati satisfiat.*

Præmitto hanc vocem, *Efficax*, tribus modis posse sumi.

Primò, vt tantùm significet virtutem seu facultatem agendi, etiamsi reipsâ nihil agat. Sic potio medica, quæ suaptè naturâ talis est, vt possit homini sanitatem afferre, etiamsi ab eo respuatur, ac proindè effectu suo careat; dicitur tamen efficax. Ità sumpta efficacia conuenit etiam gratiæ sufficienti. Nam & illa vim sufficientem habet trahendi voluntatem ad consensum, quanquàm voluntas, culpâ & vitio suo, trahenda non sit. Itaque de eâ non agimus hoc loco, vbi id inquirimus, quod gratiam efficacem distinguat à sufficiente.

Secundò sumitur vox, *Efficax*, vt designat vim & energiam gratiæ ità creato arbitrio accommodatam & congruentem, vt sit in eo effectum certò & infallibiliter habitura. Hæc accommodatio seu congruentia tametsi gratiam non necessariò augeat in ratione physicæ entitatis, seu quoad graduum intensionem (fieri enim potest, vt vocatio aliqua remissior, sub certis circumstantiis data, ità voluntati congruat, vt eam certò ad consensum attractura sit; quæ eadem, vel etiam intensior, sub aliis circumstantiis data, non attraheret) auget tamen eam in ratione morali beneficij, gratiæ ac doni. Nam quemadmodum morali æstimatione maius beneficium Petro confert, qui ei rem

aliquam minoris pretij offert, quandò necessaria & profutura est; quàm si offerat rem pretij maioris, quandò eâ nec indiget, nec frui ad commodum & vtilitatem suam potest. Ità maior Dei gratia, in morali ratione gratiæ & beneficij, est, hominem eâ vocatione excitari, quæ licet minùs sit intensa physicè, ità tamen voluntati congruit, vt certò sit effectum habitura; quam aliâ, & quoad physicam entitatem intensiore, non tamen ità congruâ voluntati & attemperatâ, vt effectum habitura sit. Nam ratio boni, gratiæ & beneficij, non ex quantitate physicâ, sed ex necessitate, vsu, & opportunitate eius, quod donatur, expendenda est.

De hac congruitate, quæ dici solet efficacia gratiæ in actu primo, potissima difficultas est, vt in quo posita sit, rectè explicetur.

Tertiò sumitur vox *Efficax*, vt denotat vim seu virtutem actu in opus influentem. Quâ significatione illud gratiæ auxilium erit efficax, quod simul cum voluntate consensum in homine reipsâ efficit & producit. Hæc dici solet efficacia in actu secundo; quanquàm rectiùs *Efficientia* appellaretur. Efficacia enim, attentâ proprietate vocis, potiùs vim quandam & virtutem principij, quàm actualem eius influxum significat. *Hoc præmisso:*

Dico. II. Congruitas seu efficacia gratiæ in actu primo, & quasi habitualis, propriè consistit in proportione illâ, quâ gratia, prout à Deo progreditur, eiusque scientiæ & directioni subest, ità libero arbitrio contemperatur, vt eâ positâ infallibiliter sequatur consensus seu cooperatio. *Explico hanc assertionem.* Devs infinitâ illâ scientiâ, qua omnia comprehendit & penetrat, non solùm præuidet, quo quisque modò in quouis tempore dispositus & affectus sit; verùm etiam quæ & qualis vocatio ei sic disposito & affecto aptè contemperetur, & ità congruat, vt vocatus consentiat & conuertatur. *Exempli gratiâ*: Voluntatem Pauli tum propter circumstantias loci ac temporis; tum propter natiuam corporis complexionem; tum propter aliquos tristitiæ vel alterius passionis affectus ex aliquâ occasione ortos, tum demùm propter caussas alias, sic aliquandò affectam esse ac dispositam, vt talis illustratio vel inspiratio (nempè cogitatio de gehennâ & timor cruciatuum æternorum in hoc vel illo gradu intensionis) animo immissa, ad

effi

efficiendam reipsâ & infallibiliter conuersionem sit illi apta, congrua & proportionata; dum eam immittit & confert, dicitur conferre homini gratiam congruam & efficacem. In hac igitur proportione siuè contemperatione, congruitas seu efficacia gratiæ in actu primo, meritò collocatur. Itâ gratiæ efficaciam explicat D. Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. his verbis: *Non volentis neq; currentis, sed miserentis est DEI, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Nam cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Quibus verbis clarè indicat, gratiam seu vocationem efficacem eam esse, quæ, vt à DEO procedit, eiusque præscientiæ & directioni subest, itâ libero arbitrio congruit & accommodatur, vt eâ positâ infallibiliter sequatur consensus; ac proindè efficaciam eius in tali proportione consistere. *Hinc varijs* eam nominibus insignit. Epist. 107. appellat *vocationē altam & secretam*, &c. quia alto & secreto DEI iudicio confertur. De corrept. & grat. cap. 7. *Vocationem secundum propositum*, *&c.* quia quos efficaciter vocat, proponit iustificare. Lib. 1. ad Simplic. quæstion. 2. *Vocationem congruam, &c.* quia itâ libero arbitrio congruit, vt consensus sequatur. Libr. 1. de prædestination. Sanctorum, *Vocationem sinè pœnitentiâ, &c.* quia dona DEI sine pœnitentiâ sunt.

Ex hac doctrinâ patet primò. Efficaciam hanc in actu primo seu congruitatem, in ipsâ gratiâ esse; quia ipsa est, quæ, prout à DEO procedit, itâ voluntati congruit & proportionatur, vt effectus infallibiliter sequatur.

PATET Secundò. Non esse nouam aliquam entitatem gratiæ, quasi in gratiâ efficaci sit aliqua entitas, quę dicatur efficacia, quæ eadem non reperiatur in gratiâ sufficiente, seu non efficaci. Nam quæ vno tempore, & secundum vnam subiecti dispositionem est efficax, eadem prorsùs alio tempore, & secundum aliam dispositionem, potest esse inefficax.

PATET tertiò. Neque esse vim aliquam, quæ voluntatem physicè prędeterminet. Quia talis gratia itâ à Deo præparatur, & offertur, vt iuxtà definitionem Concilij Tridentini seß. 6. cap. 5. & can. 4. simpliciter poßit reiici; ac proindè liberè à voluntate acceptatur. Vis autem prædeterminandi physicè non potest cum

libertate voluntatis consistere.

Patet tandem, potissimam, imò vnicam caussam huius efficaciæ in actu primo, esse Devm; qui non solùm gratis vocationem homini confert; sed talem etiam confert, quam præuidet effectu non carituram: cùm aliam conferre posset, quæ cùm alioquin ad conuersionem (nisi vitio peccatoris reiiceretur) esset sufficiens; effectum tamen non esset habitura.

Obiicies. Si gratiæ efficacia consistit in prædictâ congruitate, seu contemperatione, necessariò etiam conferenda erit in eum, qui conuertitur. Siquidem ab eius dispositione pendet, vt vocatio sub talibus circumstantiis data acceptetur, quæ sub aliis collata reiicienda esset. Quomodo ergò vnica eius caussa & auctor Devs est? *Respondeo.* Posse efficaciam gratiæ in constitutionem seu dispositionem eius, qui conuertitur, reduci, tanquàm in caussam materialem; non tamen tanquàm in efficientem, aut quasi efficientem. Nam sicut Devs ex merâ liberalitate suâ contulit hanc gratiam peccatori sic disposito, quæ ei ad conuersionem reipsâ profuit; ità aliam conferre poterat, quæ nihil illi profuisset. Quippè ex meritis subiecti nullam conferre tenebatur. Non minùs ergò Deo tribui debet efficacia gratiæ, quàm ipsa gratia. At solus Devs est auctor & caussa gratiæ. Ergò solus etiam est auctor & caussa efficaciæ.

Dico. III. Efficacia gratiæ in actu secundo nihil aliud est, quàm ipse consensus seu cooperatio eius, qui congruè vocatur. Vndè simul & à gratiâ est, & à libero arbitrio. Nam prout supernaturalis est, effectiuè prouenit à gratiâ; prout verò libera & vitalis est, à voluntate seu libero arbitrio. Vndè quia tota supernaturalis est, nihil in eâ est, quod non procedat à gratiâ; Et quia tota vitalis est ac libera, nihil etiam in eâ est, quod non procedat à libero arbitrio. *Hinc* rectè dici potest gratia in actu secundò efficax esse ab euentu, seu liberâ cooperatione hominis. Quod tamen bifariàm potest intelligi. *Primò* ità, quasi gratia nullam ex se vim & efficaciam agendi habeat, sed quòd tota efficacia sit à voluntate humanâ. Hic sensus perspicuè falsus est. *Secundò* ita, quòd ipsi gratiæ vis quidem suf-

ficiens ad agendum insit ; verùm quia vis illa partialis est, nec exire in actum, aut sortiri effectum sine cooperatione liberi arbitrij potest, hinc esse, quòd vt effectum habeat, ac proindè vt efficax in actu secundo sit, pendeat à libero arbitrio simul operante. Et in hoc sensu, qui verissimus est, procedit assertio. Gratia enim, quantumuis potens & efficax, non potest influere in opus, seu efficere consensum sinè voluntate, tanquàm alterâ caussâ partiali simul influente ; quæ cùm ità influat, vt pro suâ libertate possit etiam non influere, ac proindè cohibere & impedire hunc influxum; euidens est, in potestate voluntatis esse, vt gratia in actu secundò efficax sit vel inefficax. Efficax, si ponatur influxus; inefficax, si impediatur ; quorum vtrumque in potestate voluntatis est. Hoc sensu Paulus 2. ad Timot. 1. inquit : *Admoneo te, vt resuscites gratiam DEI, quæ est in te.* Hoc est, vt languentem & sopitam excites ad opus, & efficacem reddas. Et 2. ad Corinth. 6. monet : *Ne in vacuum gratiam DEI recipiamus.* Id est. Ne non cooperantes cassam, otiosam, inefficacem, culpâ & socordiâ nostrâ faciamus. Quæ tamen non ità accipienda sunt, quasi liberum hominis arbitrium vim aliquam aut efficaciam gratiæ diuinæ imprimat. Sicut enim, dum vtitur habitu charitatis, nihil ei imprimit; sed vnà cum ipso, & per vires ab ipso formaliter acceptas, influit in opus: Ità etiam dum vtitur gratiâ excitante, nihil illi tribuit, sed cum ipsâ, & per vires ab ipsâ acceptas, opus exequitur. *Ex quo patet*, influxum liberi arbitrij, & gratiæ in opus liberum, esse omninò simul naturâ; & habere inter se mutuam dependentiam ; ita vt liberum arbitrium non influat priùs tempore aut naturâ in opus, quàm gratia præueniens; nec gratia priùs, quàm liberum arbitrium. *Vndè* multa argumenta ruunt, quæ solent doctrinæ huic à nonnulllis parùm consideratè obiici.

DISPVTATIO II.

An omnibus detur gratia sufficiens ad salutem?

CONTROVERSIA potissimùm de adultis est; An scilicet omnibus ea gratiæ auxilia offerantur, quæ & necessaria sint ad salutem, & sufficientia? Misso errore Armacani, quem referunt & refellunt D. Thom. in 3. part. quæst. 86. art. 1. Dominic. Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 18. Vega lib. 13. in Concil. Triden. c. 1. & seqq. Vasquez. 1. part. disput. 97 c. 1.

EXISTIMANT Theologi nonnulli, quosdam insignes peccatores ità interdum destitui sufficientibus gratiæ auxiliis, vt certo vitæ suæ spatio conuerti à peccatis, & salutem suam operari prorsùs nequeant. Ità Abulensis quæst. 12. in 4. cap. Exodi. Henricus. quodlib. 8. quæst. 5. Gregor. in 1. dist. 46. qu. vnicâ. circà solut. 3. Caietan. in cap. 19. Ioann. in illa verba: *Non poterant credere.* Roffens. art. 36. contrà Lutherum. Ioann. Driedo in lib. de captiuit. & redempt. generis humani. cap. 3. Ruardus Tapper in artic. de lib. arbitrio. Michael Medina lib. 3. de rectâ in DEVM fide. cap. 1. *Suaderi hæc opinio potest primò* authoritate Scripturæ Sacræ Ecclesi. 7. *Considera opera DEI, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* 2. Machab. 9. de Antiocho dicitur: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Ad Hebr. 12. de Esau: *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lachrymis inquisiuisset eam.* Ioann. 12. *Propterea non poterant credere* (scilicet Iudæi) *quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & obdurauit cor eorum.* Quibus locis Scriptura satis perspicuè indicat, quibusdam peccatoribus sufficientia gratiæ auxilia ità subtrahi, vt nullo modo vel resurgere ab iniquitate, vel quæ ad salutem necessaria sunt, exequi valeant. *Secundò* testimoniis SS. Patrum. Isidori lib. 1. de summo bono c. 15. *Nonnulli,* inquit, *ità à Deo despiciuntur, vt deplorare sua mala non possint.* Augustini in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Roman. cap. 62. *Non ergo hoc illi* (scilicet Pharaoni) *imputatur, quòd tunc non obtemperauit, quandoquidem obdu-*

durato corde obtemperare non poterat. Vbi exemplo Pharaonis docet, obduratos non ampliùs peccare, tametsi DEO non obtemperent; quia gratiâ sufficienti carent, sine quâ obtemperare non possunt. *Tertiò ratione.* Gratia congrua seu efficax necessaria est ad conuersionem peccatoris: Sed multi sunt, quibus non datur gratia cōgrua & efficax; vt in confesso apud omnes est. Ergò multi peccatores destituuntur auxilio gratiæ necessario ad conuersionem.

ALTERA & vera sententia est; omnibus adultis in hac vitâ, quantumuis etiam obduratis, offerri auxilium gratiæ sufficiens, quo & resurgere à peccatis possint, & ad salutem assurgere. Ità docent D. Thomas 3. contrà gentes cap. 159. Alens. 3. part. quæst. 69, membr. 5. art. 4. Albert. Magn. membr. 2. distin. 28. artic. 1. Bonauent. ead. dist. artic. 1. quæst. 3. Scotus in 1. distinct. 46. quæst. vnicâ. ad 1. Heruæus ead. distinct. quæst. 2. articul. 1. Vega lib. 13. in Concil. Trident. cap. 13. Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 18. Adrianus in 4. quæst. 1. de pœnitentiâ. Driedo de redemptione & captiuitate generis humani. cap. 5. & 3. & alij communiter. *Cum quâ sententiâ*

DICO. I. Omnibus adultis, quotquot rationis sunt capaces, datur gratia sufficiens ad salutem. Hæc assertio adeò certa est, vt opposita meritò notetur erroris. *Probatur* obuiis Scripturæ sacræ testimoniis. Ioann. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sapien. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes.* 1. ad Timoth. 4. *Qui est Saluator omnium hominum.* Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 2. Petri 3. *DEVS patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ezechiel. 33. *Viuo ego, dicit Dominus; nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat; conuertimini, conuertimini, & quare moriemini?* Sapientiæ. cap. 12. *Si inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tantâ cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitiâ, cum quantâ diligentiâ iudicasti seruos tuos.* Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua: dicens, vsquequò paruuli diligitis infan-*

tiam, &c. Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Hæc scripturæ testimonia nullo modo vera essent; si cuiquam ex omnibus adultorum DEVS gratiam sufficientem denegagaret. Neque enim intelligi potest, omnes homines à Deo illuminari; omnes ad pœnitentiam, conuersionem, & salutem syncerè inuitari; omnibus tempus & locum, vt mutari à malitiâ possint, concedi; ad omnes manum sapientiæ, vt ei appropinquent, extendi, &c. si aliquis ex omnibus eo gratiæ subsidio destituatur, quod ad prædictos effectus ità necessarium est, vt sine eo obtineri nullo modo possint. *Eadem assertio confirmatur* authoritate SS. Patrum. D. Dionysij in lib. de cœlesti Hierarchiâ cap. 9. Irenæi lib. 4. cap. 22. & 71. Hilarij lib. 1. de Trinit. antè medium. Ambrosij sermon. 8. in Psal. 118. & lib. de Paradiso cap. 8. Chrysostomi homil. 7. in Ioann. & homil. 16 in epistolam ad Hebræos. Augustini lib. 3. de libero arbitrio. cap. 19 lib. de natur. & grat. cap. 67. lib. 1. retractat. cap. 22. lib. de verâ religione. cap. 55. lib. 1. de Genes. contrà Manichæos. cap. 3. lib. de corrept. & grat cap. 10. & 11. Cyrilli lib. 1. in Ioann. cap. 11. Prosperi lib. 2. de vocatione gentium cap. 14. 26. 28. & aliorum, quorum verba fusè referunt Bellarminus lib. 2. de grat. & liber. arbitr. capit. 5. & Gregorius de Valent. in 1. 2. disputat. 8. quæstio. 3. punct. 4.

TERTIÒ ratione. Est in DEO syncerus affectus deducendi omnes ad salutem, iuxtà illud 1. ad Timoth. 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hoc est, Qui, quantum est ex parte suâ, syncerè cupit & desiderat omnium salutem; ità vt si qui pereant, non DEI voluntate & ordinatione, sed suâ culpâ & malitiâ, pereant. Ità hunc locum interpretantur Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Hieronymus, in cap. 2. 1. ad Timoth Prosper. lib. 2. de vocatione gentium cap. 19. & 25. Athanas. lib. 3. de assumptione hominis. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxâ. cap. 29. D. Thomas in 1. part. quæst. 19. articul. 6. & 3. contra gentes cap. 159. Et quanquâm D. Augustinus in Enchirid. cap. 103. & lib. de corrept. & grat. cap. 15. aliter hunc locum exponat; In libro tamen de spiritu & literâ cap. 33. communem hanc Patrum interpretationem planè sequitur & probat: Sed syncerus affectus adducendi om-

nes ad salutem non potest consistere sine voluntate dandi omnibus auxilium sufficiens ad salutem. Pugnant enim duo hæc inter se; Devm cupere omnes saluari; & tamen nolle alicui dare auxilium ad salutis assecutionem sufficiens. Qui enim seriò & ex animo cupit & desiderat alicui finem; hoc ipso paratus est suppeditare media necessaria, si aliundè haberi nequeant, ad illũ finem. Ergò omnibus adultis, quotquot ratione vtuntur, datur à Deo auxilium gratiæ sufficiens ad salutem *Confirmatur.* Præcepta Decalogi omnes obligant. Ergò ad obseruationem eorum datur omnibus auxilium gratiæ sufficiens. *Consequentia probatur.* Nam cùm præcepta omnia Decalogi viribus naturæ impleri nequeant; vt impleantur, necessarium est auxilium. Quare si cui id à Deo denegetur, is aut ad præceptorum Decalogi obseruationem non obligabitur; quia Devs impossibilia non præcipit; impossibile autem est, obseruare præcepta Decalogi sinè sufficienti gratiæ auxilio; aut non peccabit, si ea transgrediatur & violet; quia nemo peccat in eius transgressione, quod obseruari non potest. Quorum vtrumque absurdum, & à sanâ doctrinâ alienum est.

Obiicies. I. Reprobi non ad salutem, sed ad supplicium à Deo destinati sunt. Ergò destituuntur auxilio sufficienti & necessario ad salutem. *Respondeo.* Reprobos non destinari ad supplicium solâ Dei voluntate; sed ob præuisa ipsorum peccata; quia scilicet oblato gratiæ auxilio noluerunt vti.

Obiicies II. Obdurati penitùs à Deo deseruntur: Ergò carent auxilio gratiæ sufficienti. Nam Devs non alio sensu dicitur peccatores indurare, quàm quia negat illis gratiam, quâ resipiscant, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 79. articul. 3. & alij communiter. *Respondeo,* Obduratis, propter antecedentia peccata sua, negari quidem maiora & efficacia gratiæ subsidia, quæ benè agentibus offerri solent; eos tamen non ità deseri à Deo, quin pro loco & tempore accipiant sufficiens auxilium, quo possent, si vellent, emolliri, & à peccatis resurgere. *Hinc* Actor. 7. de Iudæis obduratis dicitur. *Durâ ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus: vos semper Spiritui sancto resistitis.* Si restiterunt Spiritui sancto, necesse est, vt fuerint à Spiritu sancto per gratiam

internam moti & excitati. Et Matt.11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Hinc perspicuè liquet, Iudæos induratos tantam habuisse gratiam, quanta sufficiens erat, si eâ vti voluissent, ad pœnitentiam & salutem.

Obiicies. III. Gentiles non habent fidem, sine quâ impossibile est, placere Deo; Ergò nec gratiam, quæ sit sufficiens & necessaria ad salutem. *Respondeo.* Etiam gentiles habere sufficientem gratiam, quâ si vti vellent, possent & ad fidem Christi peruenire, & mediâ fide ad salutem. Neque enim necesse est, vt Devs vno & eodem tempore iis omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, prębeat; sed à minoribus incipiens sensim ad maiora progreditur. Nam primùm excitat illos ad dolorem de peccatis præteritis: Secundò ad legem naturalem deinceps seruandam: Tertiò ad eleemosynas & alia opera rectæ rationi consentanea. Quartò ad rogandum & impetrandum aliquid à Deo. Quæ si gentiles pręstent, ad maiora subindè præparantur, præsertim ad fidem Christi acceptandam; si non præstent, ipsorum culpæ imputandum est. Exemplum habemus in Cornelio Actor. 10. qui seruando legem naturalem, dando eleemosynas, inuocando Devm, obtinuit tandem, vt ab Angelo monitus, & ab Apostolo instructus, veram fidem & baptismum reciperet. Quod Cornelio obtigit, omnibus euenire potest, qui legem seruent. Legi potest D. Thomas 14. de veritat. art.11. ad 1.

Dico II. Auxilium gratiæ sufficiens, tametsi nulli adultorum denegetur, non tamen omnibus præstò est omni momento temporis. Neque enim homo infidelis singulis momentis excitatur ad suscipiendam fidem, nec peccator fidelis ad agendam pœnitentiam, nec iustus ad facienda bona opera. Id quod experientia comprobat. Nam sæpè accidit, vt homo non cogitet de fide, pœnitentiâ, aut bono aliquo opere, nec vllum actuale eorum desiderium in se experiatur: Ergò eo saltem temporis momento non habet auxilium gratiæ sufficiens, quod positum est in eiusmodi cogitatione & desiderio.

Obiicies. I. Scriptura hortatur peccatores ad celerem conuersionem. Ecclesiast.5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & nè differas de die in diem.* Ezech.33. & alibi. Ergò semper habent para-

ratum auxilium gratię sufficiens, sinè quo conuerti non possunt. *Respondeo.* Scriptura ità hortatur peccatores, vt cùm excitantur à Deo ad conuersionem, quod frequenter, quanquàm non omnibus momentis fit, non resistant diuinæ vocationi.

Obiicies II. Concilium Lateranense in cap. *Firmiter* de summâ Trinit. docet, hominem lapsum semper posse reparari per pœnitētiam. *Respondeo,* Concilium agere de Sacramento pœnitentię, & docere, posse per illud reparari semper eos, à quibus dignè suscipitur. Hinc tamen non sequitur, semper omnibus præstò esse gratiam præuenientem, quâ ad Sacramentum pœnitentiæ dignè requirendum moueantur.

Dico III. Quandocunque occurrit obligatio præcepti, aut tentatio imminet, semper homini præstò est auxilium gratiæ sufficiens, quo & præceptum obseruare possit, & tentationem vincere. *Ratio est.* Quia alioquin homo non peccaret transgrediendo præceptum, aut succumbendo tentationi. Nam quod præstari non potest, non transit in culpam. Sed sine sufficienti gratiæ auxilio nec præcepta obseruari possunt, nec tentationes vinci. Ergò, &c. *Hinc* D. Leo Sermone 16. de passione, inquit: *Iustè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam.* Et D. Chrysostomus homil. 16. in Epist. ad Hebr. *Non potes dicere, non possum; neque accusare conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deindè imperat, culpa eius est; quomodo ergò inquis, multi non possunt &c.* Et D. Hieronym. epistol. ad Cyprian. *Quotidiana præstat ille præsidia, quibus nisi freti confisiq; nitamur, nequaquàm humanos vincere poterimus errores.*

Dico IV. Auxilium gratiæ sufficiens non omnibus æquale offertur; sed alijs maius, aliis minus, pro incircumscriptâ libertate & arbitrio Dei, qui, vt ait Apostolus, 1. Corinth. 12. *diuidit singulis, prout vult.* Hæc assertio patet ex multis Scripturæ testimoniis. Ad Roman. 12. *Vnicuique diuisit DEVS mensuram fidei.* Matth 13 *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; illis autem non est datum.* Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nō manifestauit eis.* Matt. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Et ibid. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ità Pater, quo-*

niam sic placitum fuit antè te. Ad Rom. 9. *Ergò cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Eandem perspicuè tradit D. Augustinus, cùm alibi sæpè, tum præcipuè lib. de bono perseuerantiæ.cap. 8. sub finem. Vbi inquit: *Ex duobus iam grandibus ætate impiis, cur iste ità vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ità vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia DEI.* Et Prosper lib. 2. de vocatione gentium.cap. 10. ab iis verbis: *Elaboratum est, quantum Dominus adiuuit, &c.* Vbi gratiam sufficientem omnibus omnium ætatum hominibus generali DEI bonitate, diuersâ tamen mensurâ & dispensatione, offerri disertim & ex instituto docet. Quod nè iniustè fieri existimetur, ait: *Quod vtiq. nullâ iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi DEI, cuius iudicium in his dispensationibus, non cum arrogantiâ discutiendum, sed cum tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoq. fidelium populis non eadem omnibus, nec paria conferantur, & antè vlla humanorum pondera meritorum dissimillima diuinorum mensura sit munerum.* Deniq. exemplo esse possunt D. Paulus, & B. Maria Magdalena, quos maiori ad conuersionē gratiâ fuisse excitatos, quàm plerosque alios, nemo est, qui non facilè intelligit.

Obiici Potest. I. Illud Sapien. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Cui consonat illud D. Cypriani lib. 3. epist. 8. *DEVS se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate libratâ prabet parem.* Item locus ille Dionysij cap. 9. de cælest hierarchiâ; vbi auxilium gratiæ Christi comparat radiis solis; quos sicuti sol æqualiter in omnia loca diffundit; ità consequens esse videtur, vt Christus gratiæ suæ auxilium in omnes æqualiter dispenset. *Respondeo,* Hæc non de æqualitate simpliciter, sed ità accipienda esse, vt sensus sit, DEVM omnibus, nemine excepto, prospicere quantum satis est, licèt aliis aliter. Et euidens discrimen inter Christum, & Solem est. Sol enim naturaliter radios suos diffundit: Christus verò auxilium gratiæ suæ voluntariè. Vndè pro arbitrio suo plus aut minus gratiæ tribuit vnicuique, prout vult; quod sol in communicandâ suâ luce facere non potest.

Obiici II. potest: Illud Actor. 10. & ad Roman. 2. *Non est acceptor personarum DEVS.* Ergò in omnes gratiam æqualiter di-

stribuit. *Respondeo.* Acceptionem personarum tantùm euenire in distributione eorum, quæ ex iustitiâ debentur, cuiusmodi non est auxilium gratiæ; non enim ex iustitiâ debetur, sed ex liberalitate donatur. Vndè nulla acceptio personarum Deo transcribi debet ex eo, quòd alij maius, alij minus auxilium gratiæ offerat. Ità expressè D. Thomas. 2. 2. quæst. 63. art. 1, ad 3. *Nam duplex*, inquit, *est datio, vna pertinens ad iustitiam, cùm quis dat alicui, quod ei debetur; alia ad liberalitatem pertinens. Posterioris generis est, collatio munerum gratiæ; ac proindè non habet in eâ locum acceptio personarum, quoniam potest quiuis de suo dare quantum & cui vult, iuxtà illud* Matth. 20. *An non licet mihi quod volo facere?*

Hic observa: Gratiam vocationis æqualem aut inæqualem esse, bifariàm posse intelligi. *Primò* physicè & in ratione entis. Quo modo illa maior erit, quæ secundum gradus est intensior illa verò minor, quæ remissior. *Secundò* moraliter, & in ratione doni seu beneficij, quæ est propria & formalissima ratio gratiæ. Quo modo illa maior erit, quæ tametsi physico gradu sit remissior; ad effectum tamen conuersionis seu consensus, est vtilior; quia scilicet eo modo & opportunitate à Deo præparatur & offertur, vt sit effectum habitura; Illa verò minor, quæ licèt physicè sit intensior; effectum tamen (non quidem defectu & insufficientiâ sui, sed vitio & culpâ eius, cui datur) habitura non est. Vide quæ superiore disputatione nu. 11 & 13. diximus.

Ivxta hanc notationem facilè dirimitur controuersia illa inter Theologos acriter & diu agitata: Vtrum fieri possit, vt ex duobus æquali auxilio excitatis & præuentis alter conuertatur & consentiat, alter verò non? Nam si loquamur de æqualitate priori modo, & consideremus auxilia præcisè secundum physicas suas entitates, quas habet, vt sunt actus interni ab intellectu & voluntate eliciti; fieri sinè dubio potest, vt vnus cum æquali, vel etiam minori, conuertatur; alter cum æquali, vel etiam maiori, nō conuertatur. Ità Bellarminus lib. 1. de grat. & lib arb. c. 13. & lib. 6. c. 15. Molina in concord. ad qu. 14. disp. 12. Driedo de captiuit. & redempt. gen. humani. tract. 4. cap. 2. part. 5. conclus. 5. Ruardus articul. 7. conclus. 7. 8. & 10. Stapletonius libro 4. de gratiâ & libero arbitrio capite octauo. Suarez. libro primo de auxil. cap. 20. numer. 4. & cap. 21. Fon-

ſeca lib. 6. Metaphyſ. cap. 2. qu. 5. ſect. 14. Gregor. de Valent. tom. 2. commentar. diſp. 8. quæſt. 3. punct. 4. propoſit. 6. Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 16. Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 9. Maſcarenghas. tractat. de auxiliis diuinæ gratiæ. diſput. 3. part. 5. nu. 6. Fauent D. Bonauent. in 4. diſt. 16. art. 4. quæſt. 1. Altiſiodorenſ. lib. 2. ſummæ tract. 2. cap. 3. Dionyſius Ciſtercienſis. in 2. diſtin. 17. art. 3. & alij &c. *Ratio eſt.* Quia voluntas à nullo gratiæ auxilio neceſſitatur; gratia enim naturam non deſtruit, ſed perficit; Ergò oblato duobus æquali auxilio in ratione entis, vterque liber & indifferens manet ad conſentiendum, & non conſentiendum, iuxtà definitionem Concilij Tridentini. ſeſſ. 6. canon. 4. ac proindè fieri poteſt, vt alter eorum pro libertate ſuâ conſentiat; & alter pro eadem ſuâ libertate diſſentiat. Hinc D. Auguſtinus lib. de ſpirit. & lit. cap. 34. inquit: *Conſentire autem diuinæ vocationi, vel ab eâ diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. *Quamuis*, inquit, *multi vno modo vocati ſunt; tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſolùm ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, &c.* Vbi nullum diſcrimen ponit in ipſâ vocatione, vt eſt quædam entitas; ſed in affectu, inclinatione & aptitudine conſentientium & diſſentiẽtium vocationi. Si verò ſermo ſit de æqualitate poſteriori modo; & ſpectemus auxilia ſecundùm moralem rationem doni & beneficij gratuiti, quæ ex opportunitate ad effectus inductionem æſtimatur; fieri non poteſt, vt ex duobus æquali auxilio præuentis vnus conuertatur, & alter non conuertatur. *Ratio euidens eſt.* Nam vocationes duorum tunc dicuntur eſſe in genere beneficij æquales, cùm vtrique æquè ſua prodeſt. Quare ſi vna ità proſit, vt reipsâ effectum habeat; altera non ità proſit, vt effectum habeat; conſequens omninò eſt, vt non ſint in genere beneficij æquales.

Obiicies: Hinc ſequi, vtrumque, aut alterutrum neceſſariò conſenſurum, contrà definitionem Concilij Tridentini. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. *Reſpondeo*: Id planè non ſequi; ſed hoc tantum, aut vtrumque liberè conſenſurum, aut vocationes fore inæquales. Legi poſſunt Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 6. 8. 16. lib. de bono perſeuerant. cap. 6. De corrept. & grat. cap. 11. & 12. lib. 2. de peccator. merit. & remiſſion. cap. 19. Proſper ad excerpta Genuenſ. dub. 3. lib. 2. de

vocat.gent. cap. 8.& ad Capitula Gallorum.c. 5.Hilar. Arolatens. in epistolâ ad Augustinũ, quæ est antè librum de prædest. SS. Gregorius Magnus homil. 30. in Euangelia. *Ad argumenta primæ opinionis respondetur.*

Ad primvm.Ecclesiastæ.7. tantùm indicatur, peccatorem, enormi delictorum grauitate oppressum, non posse aliorum consiliis & suasionibus corrigi citrà auxilium gratiæ diuinæ; quo tamen nunquàm destituitur in casu necessitatis. 2.Machab.9. Antiochus non petijt à Deo gratiam aut peccati remissionem; sed liberationem à cruciatu corporis; quam ideò non impetrauit, quia non verè de peccatis suis doluit. Ad Hebr. 12 Esau non doluit de peccato à se commisso, sed de venditâ & amissâ primogeniturâ, cuius quia frustrà illum posteà pœnituit (nam semel amissam recuperare non potuit) non inuenisse pœnitentiæ locum dicitur. Ioann. 12. Iudæi dicuntur non potuisse credere; non quia destituerentur gratiâ ad credendum necessariâ; sed quia præuidebantur ex merâ malitiâ non credituri. Fieri enim non potest, vt, qui reipsâ crediturus non est, ex quo præuidetur non esse crediturus; reipsâ tamen crediturus sit; quia contradictoria nequeunt simul esse vera. Id quod eleganter explicat D. Augustinus tractat. 53. in Ioannem, cùm inquit: *Non poterant credere, quia hoc Isaias Propheta prædixerat: hoc autem Propheta prædixit, quia DEVS hoc futurum esse præsciuit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant: malam quippè eorum voluntatem præuidit DEVS, & per Prophetam prænuntiauit ille, cui abscondi futura non possunt.*

Ad Secvndvm. Isidorus loquitur iuxtà morem Scripturæ Sacræ, quæ impossibile quandoque sumit pro difficili, & id fieri non posse asserit, quòd rarò fit & difficulter. Augustinus suam illam sententiam de Pharaone meritò censetur posteà retractasse, lib. 1. retractat. cap. 23. & lib. de prædestinat. SS. cap. 3. quibus locis plura alia reuocat, quæ in illâ proposit. 62. affirmauerat.

Ad tertivm ductum à ratione. Gratia congrua seu efficax necessaria est ad conuersionem actualem peccatoris necessitate comitante, seu consequente; quæ simul pendet à gratiâ & à libero arbitrio; & perindè est dicere, peccator conuerti non potest sine gratiâ efficaci; ac dicere, non potest sine suâ libertate con-

uerti. Ex vtriusque enim simultaneo concursu prodit conuersio actualis. Nam quod attinet ad necessitatem, quæ antecedit consensum hominis, iam suprà ostensum est, in gratiâ sufficiente, quæ nulli adultiorum denegatur, esse, quicquid necessarium est ad consensum & operationem.

QVAESTIO CXII.

De Caussâ gratiæ.

QVINQVE SVNT quæstionis huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum solus DEVS sit caussa gratiæ?* CONCLVSIO est. Caussa gratiæ habitualis solus DEVS est. Quod intelllige de caussâ principali. Nam caussam esse instrumentariam, competit etiã humanitati Christi, & Sacramentis, vt paret ex solutione primi & secundi.

ARTICVLO II. *Vtrum requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis?* CONCLVSIO. I. Ad gratiam habitualem requiritur aliqua dispositio in homine, non quidem, quæ ex naturæ viribus, sed ex gratiæ auxilio proueniat. CONCLVSIO II. Ad auxilium gratiæ actualis nulla requiritur præparatio ex ex parte hominis, quasi præueniens diuinum auxilium; sed potiùs quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio DEI mouentis animam ad bonum.

ARTICVLO III. *Vtrum necessariò detur gratia se præparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est?* CONCLVSIO I. Si præparatio consideretur vt à libero arbitrio procedit, non necessario consequitur a DEO gratiam iustificantem: nam hæc excedit omnem præparationem virtutis humanæ. CONCLVSIO II. Si præparatio consideretur prout est ab auxilio gratiæ mouentis, infallibiliter consequitur a DEO gratiam iustificationis seu remissionis peccatorum, ad quam ordinatur, iuxtà illud Ioann. 6. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit* (id est, qui mouetur auxilio DEI & consentit) *venit ad me.* Nempè per gratiæ habitualis assecutionem.

ARTICVLO V. *Vtrum gratia sit maior in vno, quam in alio?* CONCLVSIO est. Intensio gratiæ gratum facientis non est æqua-

qualis in omnibus, sed in vno maior, quam in alio. Est doctrina certa & communis. Et definitur a Concil. Trident. sess. 6. cap 7. his verbis: *Vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnus quisq; secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem* Legi potest Vega lib. 10. in Concil. Trident. a cap. 3 vsque ad 8.

ARTICVLO V. *Vtrum homo possit scire, se habere gratiam?* CONCLVSIO I. Peculiari reuelatione Dei potest homo scire se esse in gratiâ sanctificante, sicuti aliquibus reuelatum esse constat. CONCLVSIO. II. Homo ex seipso certò cognoscere non potest, se esse in gratiâ. CONCLVSIO. III. Per coniecturas aliquas potest homo cognoscere, se esse in gratiâ sanctificante. Quæ tamen cognitio imperfecta est, nec omnem formidinem secludit, iuxtà illud Apostoli. 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* & Psal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, &c.*

DISPVTATIO VNICA.

Vtrum aliquis sine peculiari reuelatione DEI, certò possit cognoscere, se esse in gratiâ, & iustum apud Deum?

ERROR hæreticorum æui nostri est: Posse & debere fideles omnes diuinâ fide, tam certâ, quàm est ea, quâ credimus, DEVM esse trinum & vnum, credere & statuere sibi dimissa esse peccata, seque iustos esse coram DEO; quod nisi faciant, nec iustos, nec fideles esse. Ità docent Lutherus art. 10 11. 12. Melanchthon in locis communibus tit. de fide & iustificatione. Et in apologiâ confessionis artic. 4 & 20. Bucerus in lib. concordiæ artic. de iustificatione. Caluinus

in antidoto Concil. Trident. seß. 6. Et lib. 1. institut. cap. 2. §§. 16. 17. 18. Kemnitius in examine Concilij Tridentini seß. 6. &c.

Ab hoc errore non longè abit opinio Ambrosij Catharini in opusculo de certitudine gratiæ diuinæ. assert. 6. qui existimat, quemlibet iustum, sinè speciali Dei reuelatione, posse fide diuinâ (non quidem Catholicâ illâ, quâ creduntur veritates omnibus reuelatæ & propositæ, ex quibus non est veritas de propriâ cuiusque iustificatione) priuatâ tamen & infallibili credere & cognoscere se mundum esse à peccatis, & Deo gratum, idque ex euidenti notitiâ earum in seipso dispositionum, quibus gratia iustificationis infallibiliter obtinetur. Hinc certam, & prorsus falli nesciam, de acceptâ iustitiâ, fidem consurgere. Nititur hæc opinio iisdem, quibus error hæreticorum, argumentis. Ea infrà, vbi obiectionibus fiet satis, referentur & diluentur.

Opposita communis & vera Catholicorum sententia est; Neminem in hac vitâ posse citrà specialem reuelationem, diuinâ & infallibili fide cognoscere, se mundum esse à peccatis & Deo gratum; licet huius rei haberi possit certitudo quædam moralis; hoc est, assensus quidam probabilis & coniecturalis. Ità docent D. Thomas hoc loco art. 5. Alensis. part. 3. suæ summæ quæst. 71. memb. 3. art. 1. & 3. Albertus Magnus in 1. distinct. 17. art. 5 Bonauent. dist. 17. quæst. 1. art. 1. & in 3. distinct. 27. quæst. vnicâ. & in 4. distinct. 5. quæst. 1. Richard. in 1. distin. 17. art. 1. qu. 5. Durandus ead. distinct. quæst. 4. Gabriel in 2. dist. 27. quæst. vnicâ. articul. 3. dub. 5. Alphons. de Castro. in Summâ de Hæresibus. Verb. *Gratia*. hæresi 3. & alij cõmuniter. *Cum quâ sententiâ*.

Dico. I. Sepositâ reuelatione, nemo iustorum obligatur ad credendum firmiter se esse iustificatum. Ità definit Concil. Trident. seß. 6. cap. 9. & can. 13. & 14. *Ratio est*. Quia timere de propriâ iustitiâ, consilium est. Prouerb. 28. *Beatus homo, qui semper est pauidus*. Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Ergo oppositum; hoc est, firmiter credere se iustum esse, non potest esse præceptum; nisi existimemus Deum aliquid consulere præcepto suo contrarium.

Dico II. Nemo fidelis potest citrà peculiarem reuelationem fide aliquâ diuinâ, cui nequeat subesse falsum, cognoscere, se esse in

se in gratiâ. *Patet primùm* ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 9. Vbi sic definit; *Nam sicut nemo pius de DEI misericordiâ, de Christi merito, deq́ sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamq́ propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest; cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum.*

Respondet Catharinus, Concilium loqui de fide Catholicâ & vniuersali: cuiusmodi non est illa, quâ quis priuatim credit, se esse in gratiâ. *Contrà est.* Concilium de illâ fide loquitur, cui non potest subesse falsum; talis autem est quæcunque fides diuina, siuè Catholica & vniuersalis sit, siuè priuata.

Deinde eadem veritas confirmatur authoritate Scripturæ sacræ. Ecclesiastæ 9. *Sunt Iusti atq́ Sapientes, & opera eorum in manu DEI; & tamen nescit homo, vtrum odio vel amore dignus sit.* Vbi Scriptura loquitur de hominibus iustis; à quibus omnem de propriâ iustitiâ certitudinem (vndecunque illa siuè ab euentu externo, siuè ab internâ fide petatur) pro statu vitæ præsentis apertè remouet, dum subiicit: *Sed omnia in futurum seruantur incerta.* Ità hunc locum explicat D. Hieronymus in Commentario super Ecclesiasten. 1. ad Corint. 4. *Sed neq́ me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Itaq́ nolite antè tempus iudicare, quoadusq́ veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* Quo loco Apostolus disertè affirmat, arcana hominis, ac proindè & iustitiam, soli Deo patere; ità vt nemo alterum, imò nec seipsum iudicare debeat, siuè ex fide, siuè ex operibus, siuè ex gratiâ Christi, nisi solus Devs. Ità Chrysostomus & Ambrosius in hunc locum: Hieronymus dialogo. 2. contrà Pelagianos. Augustin. enarratione in Psal. 41.

Tertiò probatur ratione. Nam certitudo fidei non habetur nisi de re diuinitùs reuelatâ. Vndè si Devs alicui reuelaret, se ipsi peccata remittere, is haberet certitudinem fidei de suâ iustificatione; quod contigit Mariæ Magdalenæ, Paralytico, Zachęo, Latroni, &c. E diuerso autem quibus eiusmodi reuelatio non fit, non possunt habere hanc certitudinem. At nemo iustorum est, cui Devs ordinariâ lege reueler, se ipsi remittere peccata. Ergò nemo iustorum potest habere certitudinem fidei de suâ iustifi-

catione. Nec sufficit reuelatio illa generalis. *Qui crediderit, saluus erit.* Hanc enim nemo sibi applicare potest, nisi eadem certitudine reuelationis cognoscat, se fidem, timorem, dilectionem, cæterasque dispositiones ad iustificationem necessarias habere. At quis iustorum est, cui id ordinariâ DEI lege reueletur?

DICO III. Potest homo iustus, citrà specialem reuelationem, de suâ iustificatione certus esse fide humanâ & coniecturali; non tamen ad eum certitudinis gradum eleuatâ, vt omnem timorem & formidinem pellat. *Prima pars conclusionis* apud omnes in confesso est. Nam positis diuinis promissionibus generalibus, de quibus dubitari non potest, potest homo is, quem nullius peccati mortalis conscientia fodicat, probabiliter coniicere, se habere conditiones illas, quas DEVS ad iustificationem exigit; alioqui enim perpetuis agitaretur scrupulis, nunquàm frui posset pace illâ & tranquillitate conscientiæ, ad quam exhortatur Apostolus ad Rom. 5. nec secure posset ad Eucharistiæ Sacramentum accedere, & multa alia in commoda sequerentur. *Alteram partē probant* verba illa Concilij Triden. sess. 6. cap. 9. *Nam sicut nemo pius &c.* Vbi Concilium ex eo, quòd nemo credat fide diuinâ, cui non potest subesse falsum, se esse in statu gratiæ, infert quemlibet pium de suâ iustitiâ formidare & timere posse. Nam quoties creditur aliquid non fide diuinâ sed eâ fide, cui potest subesse falsum, manere potest in homine iudicium illud vniuersale: *Forsitan aliter est, quàm ego credo*; ex quo oritur formido & pauor. Nunc obiectiones quædam, quæ tum pro errore sectariorum, tum pro opinione Catharini contrà secundam assertionem nostram fieri solent, dissoluendæ sunt.

OBIICITVR. I. Illud ad Rom. 8. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij DEI.* Ex quo colligi videtur, nos infallibiliter certos esse de iustificatione nostrâ; quia testimonium Spiritus sancti est infallibile. *Respondeo.* Locus hic primo hæreticis non fauet. Nam vt quidquam indè possint colligere, hoc tantùm colligent, hominem certum fieri suæ iustificationis, postquàm iustificatus est. At illi longè aliud docent: Nempe hominem certum esse de suâ iustitiâ, antequàm iustificetur; & persuasionem illam, quâ quisque possit & debeat certo statuere se iustum esse coram Deo, causam esse iustificationis. Ita

enim

enim dicunt: *Certo crede te iustum esse, & iustus eris.* Aut igitur desinant abuti loco illo ad erroris sui propugnationem; aut contradictionem illam non euadēt, vt concedere teneantur, hominem iustum esse, antequàm iustus sit; & certum de iustitiâ sua, antequam certus sit. *Deinde* neque Catharino etiam patrocinatur. Verum quidē est; Testimonium Spiritus S. clarè & sinè velo exhibitum alicui de suâ iustificatione, certam & infallibilem in eo fidem parere. Sed non ità iustis exhibetur; quorū fides, quam de propriâ iustitiâ suscipiunt, nō prouenit ex aperto testimonio Spiritus S. (sic enim specialem haberēt de suâ iustitiâ reuelationem) sed ex signis & effectibus tātum, ex quibus probabiliter coniiciunt, testimoniū conscientiæ suæ, de acceptâ iustitiâ & remissione peccatorum, à Spiritu S. esse. Quæ coniectura, quia secundum se considerata non est infallibilis sed talis, cui non repugnat subesse falsum, non potest gignere fidem infallibilem & diuinam. Eadem responsio plerisque aliis Scripturæ locis accommodanda est. Ad Ro. 8. *Certus sum*, (græcè πέπεισμαι, id est, confido, persuasum habeo) *quia neque mors, neque vita, neq. Angeli, &c. neq. creatura alia poterit nos separare à charitate DEI.* 1. Ioann. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et cap. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Et cap. 5. *Scimus, quoniam ex DEO sumus.* Non enim probant maiorem certitudinem, quàm moralem, quæ est ex effectu aut affectu aliquo, quem homo in se experitur. Ex quo fiduciam & persuasionem de suâ iustificatione concipit; non tamen diuinam & falli nesciam.

Obiicitvr. II. Authoritas quorundam Patrum; Qui tamen vel non loquuntur de certitudine, quam homo habeat de propriâ suâ iustificatione; vel nomine certitudinis intelligunt moralem, per signa & coniecturas. Eorum verba latè refert & explicat Bellarminus de iustificatione lib. 3. c. 10.

Obiicitvr III. Diuinâ fide certū est, homini verè contrito, cōferri gratiā iustificantem: Sed potest homo certò cognoscere se verè esse contritum: Ergo certò etiam cognoscere potest se esse in gratiâ sanctificante. *Respondeo.* Negando minorem. Certitudo enim, quā homo, citrà specialem reuelationem habere potest de cōtritione seu dispositione tum ad iustificationem suam, tum ad

dignã susceptionem Sacramentorum, tantùm est moralis & probabilis; quæ tametsi excludat dubitationẽ; non tamẽ excludit timorem & formidinem. Longè enim differunt dubitatio, & formido. Nam qui dubitat, neutri parti assentitur, sed inter vtramque titubat & pendet; qui verò timet, habet determinatum alterius partis assensum, quo probabiliter credit, se esse in gratiâ, & dignè præparatum ad receptionem Sacramenti. Deindè cum dubitatione; *an aliquid licitum sit, necne*? non licet operari; licet tamen operari cum formidine, de quo alibi.

Obiicitvr. IV. Sacramenta, nisi ponatur obex, infallibiliter gratiam conferunt. Sed is, qui Sacramentum recipit, potest certò scire, se obicem non ponere. Ergò potest certò etiam scire, sibi gratiam esse collatam. *Respondeo.* Tametsi Sacramenta, remoto obice, gratiam conferant; nobis tamen constare non potest certitudine fidei, aut obicem non posuisse, aut dignè esse ad suscipienda illa præparatos & dispositos.

Obiicitvr. V. Si fides illa, quâ iusti credunt se esse in gratiâ, non est diuina & infallibilis: Ergò semper anxij fluctuabunt, & incerti suarum actionum. *Respondeo.* Ad sedandam anxietatem sufficit moralis certitudo hactenùs explicata; quæ longè tutior est vanâ persuasione & fiduciâ hæreticorum.

QVAESTIO CXIII.

De Effectibus Gratiæ. &c. Et primò de Iustificatione, &c.

DECEM SVNT QVAEstionis huius articuli.

Articvlo I. quærit D. Thomas: *Vtrum iustificatio impij sit remissio peccatorum?* Conclvsio est. Iustificatio impii semper habet coniunctam remissionem peccatorum.

Articvlo II. *Vtrum ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio impij, requiratur gratiæ infusio?* Conclvsio est. Sine infusione gratiæ non potest intelligi remissio peccatorum.

Articvlo III. *Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij?* Conclvsio est affirmans, & de fide. Defi-

nitur in Concil. Trident. seſſ. 6. c. 5. & can. 4.

Articvlo IV. *Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus fidei?* Conclvsio eſt affirmans. *Eius ratio eſt.* Quia vt iuſtificetur impius, conuerti in Devm debet: Prima autem conuerſio in Devm fit per fidem, iuxtà illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere,&c.* Ergò ad iuſtificationem impij requiritur motus fidei. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 3.

Articvlo V. *Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij in peccatum?* Conclvsio eſt. Ad iuſtificationem impij requiritur motus liberi arbitrij duplex; vnus, quo per deſiderium tendat in Dei iuſtitiam; & alius, quo per deteſtationem recedat à peccato. Legi poteſt Concil. Tridentin. ſeſſio. 6. cap. 6. & 7. & ſeſſ. 14. cap. 4.

Articvlo VI. *Vtrum remiſſio peccatorum debeat numerari inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij?* Conclvsio D. Thomæ eſt affirmans.

Articvlo VII. *Vtrum iustificatio impij fiat in instanti, vel ſucceſſiuè?* Conclvsio eſt. Iuſtificatio impij ſumpta pro infuſione gratiæ, & remiſſione peccati, cùm tota ſimul ſit, non fit ſucceſſiuè, ſed in inſtanti; ac proindè incipit per primum ſui eſſe, vt loquuntur Philoſophi, ſicut quæcunque res alia, quæ tota ſimul eſt, & habet eſſe ſinè ſucceſſione.

Articvlo VIII. *Vtrum infuſio gratiæ ſit prima ordine naturæ inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij?* Conclvsio D. Thomæ eſt. Cùm quatuor requirantur ad iuſtificationem impij; Videlicet infuſio gratiæ, motus liberi arbitrij duplex, & remiſſio peccatorum; inter ea ordine naturæ priorem eſſe gratiæ infuſionem.

Articvlo IX. *Vtrum iustificatio impij ſit maximum opus DEI?* Conclvsio. I. Ex modo agendi, nempè educendi aliquid ex nihilo, maius opus eſt creatio cuiuſcunque rei, quàm iuſtificatio impij. Conclvsio. II. Ex parte rei, quæ fit, maius opus eſt iuſtificatio, quàm creatio cœli & terræ. Conclvsio. III. Abſolutè loquendo de magnitudine operis, maius opus eſt donum gloriæ, quàm donum gratiæ iuſtificantis. Conclvsio IV. Conſideratâ proportione, quam habet gratia cum ſtatu impij, & gloria cum ſtatu iuſti, maius opus eſt iuſtificatio impij, quã glorificatio iuſti. Quas omnes concluſiones rectè explicat & probat D. Thomas in textu.

ARTICVLO X. *Vtrum iustificatio impij sit miraculosa?* CONCLVSIO est. Iustificatio impij, cùm fit præter communem modum, vt facta est in conuersione D. Pauli, miraculosa est.

DISPVTATIO I.

Vtrum iustificatio impij fiat per formam aliquam inhærentem?

ERROR nouatorum est, hominem non iustificari formâ seu iustitiâ aliquâ internâ & inhærente; sed externa tantùm imputatione eius iustitiæ, quæ est in Christo. *Hinc* docent hominem non verè & propriè iustum esse, quia nihil in se recipit, quo formaliter constituatur iustus, sed tantùm reputari iustum; nec peccata eius tolli in iustificatione, qui semper manet in seipso immundus & peccator, sed tegi & dissimulari tantùm; idque propter solam Christi iustitiam; quæ licet nobis omninò sit extranea, dum tamen fide apprehenditur, ità vnicuique nostrûm, tanquam si propria esset, imputatur. Ità docent authore Luthero Melanchthon in locis communibus. Verb. *Gratia*. Kemnitius contra caput. 7. sess. 6. Concil. Trident. Caluinus lib. 3. instit. cap. 11. §. 2. 22. 23. & cap. 16. §. 23 & lib. 4. instit. cap. 15. §. 10. & 11. & in Antidoto Concil. Tridentin. sess. 5. & alij.

CATHOLICA & vera sententia est, hominem formaliter iustificari iustitiâ infusâ & inhærente. *Pro cuius explicatione.*

NOTANDVM est. I. Verbum, *Iustificare*, tripliciter in Scripturâ sumi. *Primò* significat ex impio, seu peccatore, iustum facere. Ad Ro 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV*. Ad Titum 3 *Vt iustificati gratiâ ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Ad Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium*. Vt exponit D. Augustinus in Psal. 30. Conclus. 1. *Quis est, qui iustificat impium? qui facit ex impio iustum.* Et in epistolâ. 120. cap. 20. *Credenti in eum, qui iustificat impium.* Id est, ex impio facit pium. *Secundo* significat ex iusto facere iustiorem. Ecclesiast. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Et Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc. Tertiò* significat cēsere, seu pronunciare aliquē iustum. Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est*

lis est vterq; apud DEVM. Hinc fit, vt iustificatio tribus etiam modis vsurpetur. *Primò* pro susceptione iustitiæ. *Secundò* pro augmento seu incremento eius. *Tertiò* pro reputatione seu declaratione iustitiæ.

NOTANDVM. II. Missâ ex his, quam solam ferè sectarij amplectuntur, acceptione tertiâ; nobis de primâ & secundâ sermonem esse. Vndè duplex est Catholicis iustificatio. *Prima*, quæ consistit in acquisitione iustitiæ; *Secunda*, quæ in eius augmento, seu incremento. *His positis*:

DICO. I. Homo fit & constituitur iustus iustitiâ internâ & inhærente. Ità definit Concil. Trident. sess. 6. c. 7. Vbi iustificationem inquit, esse sanctificationem & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus, &c. Et paulo infrà: *Iustificationis nostræ*, inquit, *vnica formalis caussa est iustitia DEI; non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit; quâ videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq; suam, secundum mensuram, &c.* Idem definitur can. 11. *Et probatur* Assertio authoritate Scripturæ Sacræ. Ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ità & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Sed per inobedientiam Adami ità posteri peccatores constituuntur, vt in seipsis reuerâ iniustitiam contrahant: Ergò, si idonea est antithesis, per meritum seu obeditionem Christi etiam ità iusti constituuntur, vt in seipsis reuerâ iustitiam contrahant, quâ verè sint & nominentur iusti, alioqui enim longè efficacius esset peccatum Adæ, quàm gratia Christi, contrà illud D. Pauli eod. cap. *Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ accipientes in vitâ regnabunt per vnum IESVM Christum, &c.*

RESPONDENT Caluinus & Kemnitius; Iustificari seu iustum constitui, hoc loco idem esse, ac iudicari seu pronunciari iustum; Opponit enim D. Paulus iustificationem condemnationi: Condemnare autem vsu forensi significat, pronuntiare sententiã damnationis. *Contrà est*; quia D. Paul. opponit iustificationẽ, quę ex merito Christi est, condẽnationi, quæ per Adamũ est: Sed Adã eos, qui erãt carnaliter ab illo nascituri, condẽnauit nõ iudicãdo, seu pronuntiãdo iniustos esse sed

verè in eos transfundendo iniuſtitiam & culpam originalem: Ergò Chriſtus eos, qui per illum ſpiritualiter renaſcuntur, iuſtificat, non tantùm iudicando iuſtos eſſe, ſed verè iuſtitiam & gratiam in eos transfundendo. *Deindè* pronuntiare ſententiam damnationis, ſupponit peccatum commiſſum & contractum ab eo, in quem pronuntiatur. Ergò iudicare ſeu pronuntiare iuſtum aliquem, ſupponit etiam iuſtitiam in eo receptam & inhærentem. Eodem cap. dicitur Charitas Dei diffuſa eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vbi Auguſtinus lib. de ſpiritu & literâ cap. 32. Bernard. epiſtolâ 107. Anſelmus, & Scholaſtici Doctores paſſim, imò etiam Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11. Charitatem Dei intelligunt non eam, quæ eſt in ipſo Deo increata & æterna, ſed eam, quæ eſt in nobis à Deo creata & donata in tempore, quam ſcilicet Devs nobis infundit, vt eum diligamus; illa enim propriè effundi & diffundi dicitur.

Eandem iuſtitiam inhærentem, quâ formaliter iuſti ſumus, tradunt SS. Patres, quorum teſtimonia referunt Hoſius Cardinalis in confeſſione Catholicâ. cap. 70. & 71. Sotus de nat. & grat. c. 19. Vega lib. 7. Super Concil. Trident. cap. 21. Bellarmin. lib. 2. de iuſtificat. cap. 8. Gregorius de Valent. in 2. 2. diſputat. 8. quæſtion. 5. punct. 3. & alij recentiores.

Dico. II Homo non poteſt eſſe, aut verè nominari iuſtus iuſtitiâ extrinſecâ & alienâ. *Probatur.* Vel enim exterior illa iuſtitia erit iuſtitia Dei eſſentialis, vel iuſtitia Chriſti hominis, extrinſecè nobis imputata. At neutra eſſe poteſt. Id quod primo generatim oſtenditur: Tum quia omnes homines eſſent æqualiter iuſti; vtpotè ab eodem & æquali iuſtitiâ alienâ. Quomodo igitur is, qui iuſtus eſt, iubetur *iuſtificari ampliùs.* Apocal. 22. *creſcere in gratiâ.* 2. Petri 3? Tum quia pari etiam ratione dici & denominari poſſent homines immortales, ſapientes, &c. ab immortalitate & ſapientiâ Dei, vel Chriſti: Tū quia, *Eſſe iuſtum*, eſt denominatio quædam abſoluta: atqui nihil denominari abſolutè tale vel tale eſſe poteſt à re extraneâ. Nemo quippè alienâ ſapientiâ dicitur ſapiens, alienâ immortalitate immortalis &c. Ergò, &c. *Deindè* idem ſpeciatim oſtenditur. *Et primò* quidem de iuſtitiâ Dei eſſentiali. Nam ſi aliqua ratio eſſet, ob quam homo iuſtus ab eâ appellari poſſet, ſola eſſet habitatio

DEI per essentiam in illo, sicut per essentiam est in rebus omnibus. Nam alia fingi aut excogitari non potest. Hæc autem non sufficit, vt homo denominetur iustus à iustitiâ DEI essentiali: Tum quia omnes homines à primo statim conceptionis suæ momento iusti essent; quod sectarij non concedunt: Tùm quia Dæmones etiam & damnati iusti essent, in quibus DEVS non minùs, quàm in rebus aliis, per essentiam habitat. *Deindè* de iustitiâ Christi. Nam si sola imputatio eius iustitiæ, quæ in Christo est, sufficit, vt homo sit & nominetur iustus, nihil iam impediet, quin etiam Christus verè sit & nominetur peccator; quia peccata nostra catenùs illi imputata sunt, vt pro iis satisfaceret. Quod tametsi Illyricus in confessione Antuerpiensi cap. 6. facilè admittat; est tamen blasphemia euidens. Quanquàm enim semel in Scripturâ Christus appellatus fuerit *peccatum pro nobis*, 2. Corinth. 5. quia scilicet hostia fuit pro peccato nostro, *& maledictum pro nobis*. Galat. 3. quia scilicet maledictiones humani generis DEVS in illum transposuit, vt pro nobis infame & execrabile crucis supplicium subiret: Nusquàm tamen appellatur *peccator*, sed vbique *iustus, sanctus, innocens, & segregatus à peccatoribus*. Plures pro hac doctrinâ rationes suppeditat Bellarminus loco allegato. Sed obiectionibus quibusdam obuiandum est.

OBIICIVNT Sectarij. I. illud ad Rom. 4. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam. Respondeo.* Hinc planè nihil, quod errori de extrinsecâ iustitiæ Christi imputatione faueat, colligi. Non enim asserit Scriptura, iustitiam Christi fuisse Abrahamo imputatam; sed fidem, quæ in ipso Abrahamo erat; fuisse ei reputatam ad iustitiam; quia scilicet ratione & respectu fidei, quòd credidisset DEO promittenti rem tam nouam, arduam, & naturaliter impossibilem, ità DEO placuit, vt ei iustitiam donaret & infunderet, quâ verè iustus esset, & talis verâ æstimatione à DEO reputaretur. *Vbi obiter obserua.* Hanc fidem Abrahæ non fuisse auulsam, solitariam & nudam, qualem fingunt nouatores; sed actuosam & fœcundam, vt quæ in actus charitatis & obedientiæ erupit; quandò Abraham vocanti DEO promptè & sine cunctatione paruit, susceptâ in Chanaan diuturnâ illâ & laboriosâ profectione, oblato etiam in holocaustum filio Isaac; Genes. 12. Hebræ. 11. Quibus

operibus, vtpotè ex fide & gratiâ Christi factis, augmentum infusæ iustitiæ promeruit. Iacob. 2.

Obiiciunt. II. illud ad Rom. 5. *Per vnius* (scilicet Christi) *obedientiam iusti constituentur multi.* Hinc effici putant, nos ipsâ Christi obedientiâ iustos esse. *Respondeo.* Ex dictis liquet, neque hinc quidquam, imò verò oppositum colligi. Nam antithesis inter inobedientiam Adami, & obedientiam Christi instituitur. Sicut ergò inobedientia Adami posteros fecit intrinsecè peccatores ità obedientia Christi eosdem effecit intrinsecè & veraciter iustos. Et sicut inobedientia illius non est caussa formalis, sed efficiens & meritoria iniustitiæ posterorum; ità etiam obeditio Christi non est caussa formalis, sed tantùm efficiens & meritoria iustitiæ nostræ.

Obiiciunt. III. Illud 1. Corinth. 1. *Qui factus est nobis sapientia à DEO, & iustitia & sanctificatio, & redemptio. Respondeo.* Sensus loci est: Christum authorem, & caussam esse iustitiæ nostræ; quia scilicet merito ipsius iustitiam consequimur. Nam si de imputatione sermo esset, etiam sapientia Christi, & actiua redemptio dici posset imputari nobis; quia eodem modo Christus dicitur nobis factus esse sapientia & redemptio, quo dicitur factus iustitia & sanctificatio. Vndè fieret, vt sicut iuxtà sententiam sectariorum dicimur iusti à iustitiâ Christi nobis imputatâ; ità etiam dici possemus sapientes à sapientiâ Christi nobis imputatâ, & redemptores, à redemptione, &c. quod absurdum est.

Obiiciunt. IV. illud ad Ephes. 4. *Induite nouum hominem, qui secundum DEUM creatus est in iustitiâ & sanctitate.* Hæc indumenti similitudo apertè videtur ostendere, nos alienâ tantùm Christi iustitiâ vestiri, eaque fœditatem peccatorum nostrorum tegi, nè oculos diuinæ Maiestatis offendat. *Respondeo.* Sensum loci satis clarè indicant verba antecedentia: *Renouamini spiritu mentis vestræ*; quæ renouatio non fit, nisi per sanctitatem & iustitiam inhærentem, vt explicat & definit Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 7. Comparatur autem iustitia hæc indumento ex duplici caussâ. *Primò.* Quia sicut indumentum non est naturale corpori, neque cum eo nascitur; ità nec sanctitas & iustitia innascitur animæ, sed ei aduenit ex infusione Spiritus sancti. *Secundò.* Quia sicut indumenta distinguunt homines, vt alij ab aliis discerni queant; ità iustitia discriminat

iustos

iustos ab impiis, per exercitium bonorum operum, iuxtà illud Matth 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Dico III. Peccata verè tolluntur in iustificatione; neque solùm teguntur aut non imputantur. Assertionis huius veritatem clarè exprimit Scriptura Sacra, dum passim affirmat deleri, auferri, proiici à nobis peccata nostra; nos ablui, mundari, lauari à peccatis. 1. Paralip. 2. *Obsecro Domine, aufer iniquitatem serui tui.* Isaiæ 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Micheæ 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Actor 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Psalm 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Psalm. 9. *Quaeretur peccatum illius, & non inuenietur.* Ioan. 1. *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ps. 50. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* 1. Ioan. 1. *Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato.* 1. Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* & alibi.

Hinc ita concludimus. Quod tantùm tegitur & occultatur in homine, id verè in eo manet; alioqui enim tegi & occultari non posset. Sed peccata non manent in homine iustificato; quia verè delentur, auferuntur, proiiciuntur, tolluntur, abluuntur per iustificationem; vt perspicuè affirmat Scriptura Sacra; Ergò non tantùm teguntur & occultantur, quia scilicet intuitu eius iustitiæ, quæ in Christo est, non imputentur ad pœnam & condemnationem, vt insulsè fingunt nouatores.

Sed obiiciunt illud Psal. 31. quod refertur à D. Paulo ad Rom. 4. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum.* Vbi conceptis verbis dicuntur peccata tegi, & à Deo non imputari. *Respondeo.* Mirum est, nouantes, cùm tot obuia sint Scripturæ testimonia, quæ peccata verè tolli & aboleri in iustificatione clamant, vno in hoc loco triũphare. Sed neque hic illis fauet. Nã duo hæc; *Tegi* scilicet *peccata*. Et, *Non imputari à DEO peccata*; planè supponunt peccata iam remissa, sublata & deleta esse. Nam si verè manent in homine iustificato, quomodo coram Deo

DISPVTATIO II.

Vtrum homo actu contritionis & dilectionis DEI formaliter iustificari possit?

CONSTANS omnium sententia Theologorum est; iustitiam, quâ vt formâ inhærente iustificamur, esse qualitatem quandam habitualem, & permanentem in animâ. Ità Innocentius. III. in Capit. *Maiores*, de baptismo & eius effectu. Et Scholastici post Magistrum in 1. dist. 17. & in 2. dist. 26. Controuersia tantùm est: An etiam contritioni & dilectioni DEI, qui sunt actus supernaturales, ea vis insit, quâ formaliter tollere possint peccatum, & animam hominis sanctificare?

ALIQVI AFFIRMANT, hoc persuasi argumento: Quia homo per actum contritionis & dilectionis DEI verè ad DEVM conuertitur, & cum eo vnitur: Imò perfectiùs, quàm per habitum: Tum quia actus perfectiores sūt habitibus; cum hi ad illos ordinentur: Tum quia magis coniungunt cum obiecto, cum coniungant immediatè; habitus verò non nisi actibus mediantibus: Ergò actus contritionis & dilectionis DEI verè peccata tollunt, & animam hominis sanctificant. Nam conuersio illa ad DEVM, & cum eo coniunctio intelligi, nisi absterso peccato & communicatâ sanctitate, non potest.

ALII, & longè verisimiliùs negant. *Cum quâ sententiâ*:

DICO. I. Actus contritionis & dilectionis DEI vi suâ & formaliter non expellunt peccatum. *Probatur.* Nam tria considerari in peccato possunt. Entitas actus: Ratio voluntarij: Et priuatio debitæ rectitudinis. At nihil horum est, ratione cuius peccata ità opponantur contritioni & dilectioni DEI, vt earum vi & virtute formaliter tolli & expelli à subiecto possint. *Primò* non ipsa actuum entitas. Ratione huius enim non opponuntur nisi actibus virtutum oppositarum. *Deindè* nec ratio voluntarij; quæ cùm tam in contritione & dilectione DEI, quàm in peccatis reperiatur, non potest (vtpotè communis) esse id, ratione cuius inter se opponātur. *Demùm* nec priuatio debitæ rectitudinis; ratione huius enim peccatum non

opponitur nisi actui virtutis oppositæ; nempè iniustitia iustitiæ; intemperantia temperantiæ, & sic de alijs. *Hinc* tametsi ratione huius priuationis odium DEI opponatur dilectioni; & obstinatio in peccato contritioni; non tamen ità opponi ijs possunt alia peccata, vt omnia & singula vi & virtute contritionis & dilectionis DEI expellantur. Quòd si non omnia nec vnum quidem; quia vnum sinè alio tolli non potest. vt in 3. part. qu. 36. artic. 3. ostendi solet.

DICO. II. Contritio & dilectio DEI dispositiuè tantùm expellunt peccatum; quatenùs scilicet dispositiones sunt ad gratiam habitualem, quæ vi suâ & formaliter peccatum profligat. *Hæc assertio patet* ex Concilio Tridentino. sess. 6. cap 6. Vbi inter dispositiones ad gratiam sanctificantem constituit dilectionem DEI, & odium peccati: Et cap. 7. ad has dispositiones ait, sequi iustificationem; quæ est remissio peccati, sanctificatio, & reformatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ.

DICO. III. positâ contritione & dilectione, nouum & peculiare DEI beneficium est, quod homini peccata remittat, & gratiam sanctificantē infundat. Est communis doctrina Theologorum. *Et probatur* ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. Vbi definit, contritionem semper fuisse necessariā ad impetrandam remissionē peccati. Item præparare ad remissionem peccatorum. Quæ locutiones quomodò saluabuntur, si remissio peccati non est beneficium distinctum a contritione? Et sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sinè præueniente Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit* Vbi Concilium apertè distinguit gratiam iustificationis ab omnibus actibus, quibus homo disponitur ad eam (in quâ etiam remissionem peccatorum includi supra dixerat) recipiendam. *Confirmatur assertio.* Habenti contritionem promittitur remissio peccati. Ezech 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Ecclesiast. 17. Ierem. 8. Psal. 3. & alibi. Ergò contritio, & remissio peccati sunt beneficia distincta. Quis enim nisi absurdè promittat, aut idem sibi ipsi, aut id, quod iam antè obtinetur?

AD ARGVMENTVM oppositæ sententiæ respondetur: Contritionem

tionem & dilectionem non aliter conuertere ad DEVM, aut cum eo coniungere, quàm quia dispositiones proximæ sunt ad gratiam habitualem, quæ & formaliter excludit peccatum mortale, quo homo auersus erat à DEO, & eum cui infunditur, perfecto amicitiæ vinculo cum Deo copulat.

DISPVTATIO III.

An & qualis pugna sit inter gratiam habitualem, & peccatum mortale?

QVAESTIO est, An gratia habitualis & sanctificans ex se & natura suâ ita pugnet cum peccato lethali, vt non possit cum eo simul in eodem homine consistere?

PRIMA sententia est Richardi in 3. dist. 31. art. 1. quæst. 1. Scoti in 4. distinct. 16. quæst. 2. §. *Respondeo*, in tertiâ ratione conclusionis. Gabrielis in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 2. post. 5. conclusionem. Occami. in 4. quæst. 3. Ioannis Medinæ Codice de pœnitentiâ. quæst. 12. §. *Corollarie sequitur*. & quorundam recentiorum Thomistarum; qui docent qualitatem gratiæ inhærentis ex se & naturâ suâ non ità pugnare cum peccato mortali, quin simul cum eo esse possit; sed vt illud ab eodem subiecto auferat & excludat, indigere extrinseco fauore & condonatione DEI statuentis scilicet, ordinariâ lege, nulli infundere & conferre gratiam habitualem, nisi simul condonando offensam & peccatum. *Hinc* porrò docent, hanc voluntatem remittendi peccatum non ità connexam esse cum gratiâ habituali & inhærente, quin DEVS absolutâ potestate potuerit peccatori gratiam infundere, & tamen nolle peccatum remittere & condonare. *Probatur hæc sententia primò*. Quia nulla videtur esse contradictio, vt gratia simul sit in eodem subiecto cum peccato. Ergò ex se & naturâ suâ non extermінat peccatum; ac proindè ad huius profligationem vltrà necessarius est fauor & condonatio DEI. *Secundò*. Quià ratio offensæ & peccati est aliquid morale: Ergò tolli non potest, nisi per aliquid

contrarium morale. Id autem non videtur aliud esse posse, nisi DEI fauor & condonatio: Ergò nulla qualitas formaliter nobis inhærens, ex solâ naturâ suâ citrà fauorem & condonationem DEI, tollere offensam & peccatum potest. *Tertiò.* Offensa contrà DEVM admissa infinita est, eò quòd crescat crescente dignitate personæ, quæ offenditur: Ergò à formâ creatâ & finitâ, qualis est gratia nobis inhærens, tolli & aboleri non potest; ac proindè vltrà gratiam habitualem & inhærentem necessarius est fauor DEI remittentis & condonantis offensam contrà se admissam.

SECVNDA SENTENTIA est Aureoli in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Capreoli quæ. 1. art. 3. ad argumenta Gregorij contrà 1. & 2. conclus. D. Thom. in 2. 2. quæ. 24. artic. 10. & 12. Caietani ibidem. Soti de naturâ & gratiâ cap. 18. Paludani in 3. distin. 28. articul. 3. Bellarmini tomo 3. lib. 2. de iustificatione cap. vltimo. Vasquez 1. 2. disput. 204. & aliorum; Qui affirmant, qualitatem iustitiæ inhærentis ex se & naturâ suâ repugnare peccato mortali, neque posse cum illo consistere in eodem homine. *Cum quâ sententiâ.*

DICO I. Qualitas Iustitiæ inhærentis suaptè naturâ, citrà fauorem & condonationem DEI, constituit eum, in quo est, iustum, sanctum, & DEO gratum. *Probatur.* Iustitia, quæ nobis inhæret, non est inchoata & imperfecta tantùm, vt Bucerus & Kemnitius citati à P. Vasquez disput. 202. & 204. contendebant; sed verà, solida & perfecta, vt omnes Catholici sentire debent: Ergò se solâ, ac proindè citrà secum fauorem & condonationem DEI, nos constituit verè, solidè & perfectè iustos. *Consequentia probatur.* Nam si ad perfectam iustificationem hominis, præter iustitiam inhærentem, necessarius est fauor DEI extrinsecus; aut is solus hominem iustificabit; aut ex eo simul & iustitiâ nobis inhærente constabitur integra & formalis caussa iustificationis nostræ. Nam alterutrum ex his oportet concedere. Atqui vtrumque damnatur à Concilio Tridentino. *Primum* session. 5. can. 11. *Si quis dixerit, gratiam, quâ iustificamur, esse tantum fauorem DEI, anathema sit. Alterum* ead. sess. cap. 7 vbi definit: Vnicam formalem caussam iustificationis nostræ, esse, *iustitiam nobis inhærentem.* Si interior iustitia quam in nobis ipsis recipimus, quaque verè iusti nominamur & sumus, vnica formalis caussa est iustificationis

onis nostræ, Ergò sola, ac proindè sine alia extrinsecâ, verè, integrè, & formaliter iustificat.

DICO. II. Qualitas iustitiæ inhærentis ex se & naturâ suâ ità cum peccato mortali pugnat, vt non possit cum eo simul in eodē homine consistere. *Probatur.* Effectus, quos gratia habitualis seipsâ & formaliter præstat, ità pugnant cum effectibus, quos peccatum mortale seipso etiam & formaliter præstat, vt non possint simul in eodem homine consistere, Ergò nec caussæ eorum, gratia scilicet & peccatum, possunt simul in eodem homine consistere. *Antecedens probatur.* Nam gratia constituit hominem Deo gratum, amicum, iustum, filium DEI adoptiuum, & dignum vitâ æternâ. Econtrà verò peccatum constituit hominem Deo ingratum, inimicum, iniustum, filium diaboli, & dignum supplicio æterno. Sed non potest, etiam absolutâ DEI potestate, fieri vt idē homo simul sit DEO gratus & ingratus, amicus & inimicus, iustus, & iniustus, filius DEI & filius Diaboli, dignus vitâ æternâ, & dignus supplicio æterno. Ergò. *Hinc* Apostolus 2. Corinth. cap. 6. *Quæ*, inquit, *participatio iustitiæ, cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial?*

DICO. III. Non potest etiam absolutâ DEI virtute, tolli ab homine macula peccati lethalis solâ extrinsecâ DEI condonatione; sed necessaria est interior renouatio & mutatio pœnitentis; quæ ità cum peccato pugnet, vt non possit cum illo consistere. *Ratio est.* Quia fieri non potest, vt qui anteà erat reuerà immundus, iniustus & DEO exosus, iam non sit talis; sed reuerâ mundus, iustus & Deo dilectus, nisi factâ aliquâ mutatione vel in ipso homine, vel in DEO. Cùm igitur mutatio locum in DEO habere nequeat, necesse est, vt fiat in ipso homine: quâ ità homo immutetur, vt qui anteà erat obiectum odij diuini, deinceps obiectum fiat amoris; ac proindè vt aliquid in se recipiat, quod ità peccato mortali aduersetur, vt nequeat cum illo simul in eodem homine componi; quod vocamus gratiā sanctificantem.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur.

AD PRIMVM. Euidens contradictio est, eundem hominem gratum & amicum esse Deo, &c. quod habet à gratiâ: simulque ingratum & inimicum, &c. quod habet à peccato.

AD SECVNDVM. Macula, quæ

remanet ex præterito actu peccati in homine peccatore, quanquam morale quiddam sit; tolli tamen potest à formâ physicâ, si habeant effectus omninò repugnantes.

AD TERTIVM. Malitiam offensæ non esse infinitam simpliciter, in 3 part. quæst. 1. artic. 2. ostendi solet; ac proindè ex isto capite nihil impedit, quin tolli à formâ finitâ & limitatâ possit

DISPVTATIO IV.

Vtrum fides sufficiat ad iustificationem?

NOMINE fidei non intelligimus fidem particularem promissionum, quâ quisque firmiter credit & confidit, sibi remissa esse peccata, cui iustificationem asscribunt nouatores, contrà quos agunt Sanderus, libro quarto, de iustificatione, Sotus & alij: Sed intelligimus fidem catholicam, quâ credimus omnes veritates à DEO reuelatas & propositas. Hanc requiri ad iustificationem, nemo Catholicorum dubitat; cùm sinè fide impossibile sit placere DEO ad Hebræor. 11. Difficultas tantùm est: An sola sit sufficiens dispositio ad iustificationem?

DICO. Sola fides non sufficit ad iustificationem. Assertionis huius veritas definita est à Concil. Trident. sess. 6. can. 9. *Et probatur. 1.* Scriptura sacra præter fidem requirit etiam alias dispositiones ad iustificationem. Ergò sola fides non est dispositio ad iustificationem sufficiens. *Antecedens patet.* Nam primò vltrà fidem requirit etiam timorem. Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et ibid. *Qui sinè timore est, non poterit iustificari.* Prouerb. 14. *Timor Domini, fons vitæ.* Secundò spem. Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Ps. 36. *Saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Tertiò dilectionem. Ecclesiastici. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Lucæ 7. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioann. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Quartò Pœnitentiam & propositum

situm vitæ melioris. Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Ezechiel. 18. *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Quintò, obseruationem mandatorũ Dei. Ad Rom 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud DEVM, sed factores legis iustificabuntur.* Legi potest Concil. Tridentin. sess. 6. capite. 6 Et ex Theologis Alphons. de Castro lib. de hæresib. Verb. *Fides.* hæresi. 2. Sotus lib. 2. de nat. & grat. à cap. 3. Andreas de Vega in opusculo de iustificatione qu. 1. & 2. Hosius. in confessione Catholicâ capit. 60. Bellarmin. tom. 3 lib. 1. de iustificatione capit. 12. Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 210. Sed obiectiones nonnullæ emouendæ sunt.

Obicitvr. I. Illud ad Roman 3. *Arbitramur, hominem iustificari per fidem, sinè operibus legis.* Et ad Ephes. 2. *Saluati estis per fidem, non ex operibus.* Hinc colligi videtur, solam fidem sufficere ad iustificationem; quia Apostolus excludit omnia opera præter fidem. *Respondeo.* Ea tantum opera excludi hoc loco, quę antecedunt fidem, fiuntque ex solâ notitiâ legis siuè naturalis siue Mosaicæ, in quibus gloriabantur gentiles & Iudæi; non autem opera, quæ ex fide manant; cuiusmodi sunt timor, spes, pœnitentia, & cæteræ dispositiones enumeratæ; quæ & fidem tanquàm initium, radicem & fundamentum omnis iustificationis, vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. supponunt; & proueniunt à spiritu gratiæ mouentis. Ea tantùm abest, vt Apostolus reijciat, vt omninò ad iustificationem postulet & requirat. ad Roman. 2. *Factores legis iustificabuntur.* Legi potest Augustinus. lib. de grat. & libero arbitrio cap. 7. Vbi: *Homines*, inquit, *non intelligentes quod ait ipse Apostolus Paulus: Arbitramur hominem iustificari per fidē sinè operibus legis: putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat: quod absit, vt sentiret vas electionis &c.*

Obicitvr. II. illud ex eod. cap. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Si gratis iustificamur; Ergò sine omni opere, etiam fidei. *Respondeo.* Gratis seu gratuitum opponi merito. Id enim gratis datur, quod datur sinè meritis. Hinc fides, timor, spes, pœnitentia, dilectio, quæ sunt dona Dei & proueniũt à spiritu gratiæ mouentis, tametsi dispositiones sint ad iustificatio-

nem impij, eam tamen de condigno non promerentur. Vt definit. Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. Opera vero, quæ fidem antecedunt, fiuntque ex solâ notitiâ legis & naturæ viribus, non tantùm impij iustificationem de condigno non promerentur; sed neque dispositiones sunt ad eam congruæ & idoneæ.

OBIICITVR. III. Scriptura sacra, quandò de iustificatione & remissione peccatorum agit, solius fidei mentionem facit. Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine eius.* Lucæ 7. *Fides tua te saluam fecit.* Ioan. 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternã. Respondeo.* Scriptura sacra etiã solius aliquãdò spei, timoris, dilectionis, & pœnitentiæ meminit. Ecclesiast. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Actor. 2. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Quamobrem sicuti Scriptura fidem non excludit, dum meminit solius timoris, spei, dilectionis & pœnitentiæ; ità neque excludit timorem, spem, dilectionem, & pœnitentiam, quandò mentionem facit solius fidei. Quod si illud Lucæ. 8 vrgeas; *Crede tantùm, & salua erit. Respondeo. Primò.* Ibi non agi de iustificatione seu remissione peccatorum; sed de miraculosâ excitatione puellæ mortuæ. Fatemur autem solam fidem interdum satis esse ad miracula impetranda, quandò scilicet ad ipsius fidei confirmationem referuntur. *Secundo:* Non esse eo loco sermonem de fide propriâ puellæ excitatæ; sed de fide alienâ parentum pro puellâ deprecantium.

OBIICITVR IV. Scriptura sacra indicat, omnes eos iustificari & saluari, qui fidem habent. Act. 10. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Et cap. 13. *In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Ergò sola fides ad iustificationẽ sufficit. *Respondeo.* Fidei tribui remissionem peccatorũ & iustificationem, quia initium salutis est, & radix ac fundamentum iustificationis, iuxtà definitionem Concilij Tridentini sess. 6. cap. 8. Vndè non sequitur, excludi charitatem, & cætera ad iustificationem necessaria. Imò dilectionem simili phrasi Scriptura apertè exigit. 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit, ex DEO natus est, &c.*

DIS-

DISPVTATIO V.

De ordine eorum, quæ ad primam iustificationem concurrunt?

IN Iustificatione, quod ex dictis hactenùs perspici potuit, tria considerari possunt: Dispositio ad gratiam; Infusio gratiæ; Expulsio peccati. Horum inter sese ordinem inquirimus. Et quoniam duplex ordo est: Alter durationis seu temporis: Alter naturæ seu caussalitatis. De vtroque breuiter agemus.

De ordine temporis doctrina D. Thomæ est: Tria illa fieri in eodem instanti.

Dico. I. Vltima dispositio ad infusionem gratiæ habitualis & sanctificantis, potest esse instãtanea, & sinè successione. *Ratio est.* Nam vltima dispositio consistit in actu contritionis, & dilectionis Dei. Hi verò esse possunt in instanti. Ergò *Minor probatur.* Vt enim aliqua forma producatur instantaneè & sinè successione, nihil aliud requiritur, quàm vt agens habeat sufficientem vim producendi; & subiectum sufficienter sit dispositum; & ipsa forma, quæ producitur, possit esse tota simul. Hæc omnia in proposito casu fieri possunt. *Nam primo* voluntas excitata & eleuata à Deo per gratiam præuenientem habet vim sufficientem producendi contritionem & dilectionem Dei. *Deindè* sufficienter disposita est ad recipiendum omnem actum illum, quem ipsa potest elicere. *Tertiò* ipse actus contritionis aut dilectionis Dei potest totus esse simul. Ergò nihil obstat, quò minùs produci possit in instanti, & sinè successione.

Dico. II. Infusio gratiæ fieri potest in eodem instanti, in quo est vltima dispositio. *Ratio est.* Nam & Devs, qui gratiam infundit, infinitæ virtutis est, vt eam possit in eodem instanti infundere; & gratia, quæ infunditur, forma spiritualis est, quæ potest tota esse simul.

Dico. III. Remissio peccati necessariò fit in eo instanti, in quo gratia infunditur. *Ratio assertionis* ex superiori disputatione tertiâ sumitur. Nam gratia suapte naturâ ità cum peccato pugnat, vt non possit vllâ ratione cum eo consistere: Ergò in ipso momento, quo gratia infunditur, necesse est remitti peccatum

Ex His Colligitvr veram esse sententiam D. Thomæ; Hæc tria scilicet, vltimam dispositionem, infusionem gratiæ, & remissionem peccati, reipsâ & de facto simul in eodem instanti peragi. Loquimur de vltimâ dispositione. Quia reliquas certum est vt plurimùm præcedere ordine temporis. Nam plerumque fit, vt homo peccator à Deo excitatus incipiat credere, timere, aut sperare; priusquàm incipiat conteri aut diligere Devm super omnia.

De Ordine Natvræ seu caussalitatis disputant recentiores. *Primò: Vtrum infusio gratiæ prior sit remissione peccatorum? Probabilior sententia est*, priorem esse in genere caussæ efficientis; vicissim verò remissionem peccati priorem esse in genere caussæ materialis. Id quod in naturalibus etiam euenit. Illuminatio enim, quæ efficienter à Sole prodit, prior est in genere caussæ efficientis dispulsione tenebrarum; At verò in genere caussæ materialis, prior est tenebrarum ab aëre expulsio, quàm introductio luminis, seu illuminatio. Neque absurdum est, idem respectu diuersorum, seu in diuerso genere caussæ, prius esse & posterius, vt in physicis ostenditur. Ità D. Thomas hoc loco, & qu. 28. de verit. art. 7. & in 4. dist. 17. qu. 1.

Dispvtant. II. *Vtrum vltima dispositio ad gratiam habitualem, effectiuè procedat ab ipsâ gratiâ habituali?* Aliqui affirmant, alij negant.

Dico. I. Vltima dispositio ad gratiam, ac proinde reliquæ etiam, quæ vltimam tempore anteire possunt, non procedunt effectiuè ab habitu gratiæ. *Probatur.* Existentia caussæ efficientis ordine naturæ antecedit existentiam effectus; nisi enim intelligatur caussa efficiens existere, non potest intelligi operari. Ergò si gratia habitualis est caussa efficiens dispositionum, intelligi debet prius naturâ existere, ac proinde etiam in subiecto esse, quàm sint aut existant dispositiones. Quomodo igitur possunt esse dispositiones ad gratiam recipiendam? *Nec satisfaciunt*, qui respondent; dispositiones priores esse gratiâ habituali in genere caussæ materialis, posteriores verò in genere caussæ efficientis. Nam tametsi res aliqua posSit esse in diuerso genere caussæ prior & posterior, vt paulò ante vidimus; fieri tamen non potest, vt effectus prior sit quoad existentiam, quàm sua caussa efficiens; eo ipso enim independens esset à caussâ suâ efficiente:

cate:

ente: Fieri etiam non potest, vt caussa efficiens quoad existentiam dependeat à suo effectu. Atqui si effectus gratiæ habitualis dispositio esset ad gratiam habitualem, iam caussa efficiens quoad existentiam dependeret à suo effectu; quæ duo implicant contradictionem. *Hinc* alia ratio est de remissione peccati. Hæc enim non est forma, quæ præexistere debeat & præparare subiectum ad gratiæ introductionem; cuiusmodi sunt actus illi, qui disponunt ad gratiam habitualem. Ex quo fit, vt non possint esse effectus gratiæ habitualis. *Secundo.* Si habitus gratiæ est caussa efficiens vltimæ dispositionis; eo supposito (sicuti caussa efficiens ad productionem effectus supponi debet) aut homo disponitur necessario (idque necessitate antecedente, vt quæ à caussâ efficiente prouenit) aut si liberè disponitur, fieri poterit, vt habitus gratiæ recipiatur in subiecto non disposito; quorum vtrumque absurdum est. *Postremò.* DEVS promittit homini gratiæ infusionem, si habuerit actum contritionis & dilectionis DEI. Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ioann. 14 *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Ergò actus contritionis & dilectionis DEI non producitur effectiuè à gratiâ sanctificante. Ridicula enim sit eiusmodi promissio: Si fueris contritus, dabo tibi vim & facultatem, vt conteraris.

DICO. II. Probabile est, dispositiones post infusum gratiæ habitum, ab eo deindè continuari. Nam fieri potest, vt effectus caussæ vnius ab aliâ continuetur. Ergo & hæ dispositiones prouenientes ab auxilio gratiæ actualis continuari poterunt à gratiâ habituali.

QVAESTIO CXIV.

De altero effectu gratiæ habitualis, scilicet Merito.

DECEM SVNT QVAESTIONIS huius articuli.

ARTICVLO I. quærit D. Thomas: *Vtrum homo posit aliquid mereri à DEO?* CONCLV-

sio est. Potest homo apud DEVM aliquid mereri, non quidem secundùm absolutam iustitiæ æqualitatem, sed secundùm aliquam proportionem.

ARTICVLO II. *Vtrum aliquis sinè gratiâ possit mereri vitam æternam?* CONCLVSIO est. Homo, vt mereatur vitam æternam, indiget gratiâ habituali.

ARTICVLO III. *Vtrum homo in gratiâ constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO IV. *Vtrum gratia sit principium meriti principaliùs per charitatem, quàm per alias virtutes?* CONCLVSIO est affirmans.

ARTICVLO V. *Vtrum homo possit sibi mereri primam gratiam?* CONCLVSIO est. Nemo potest sibi promereri primum auxilium gratiæ mouentis.

ARTICVLO VI. *Vtrum homo possit alteri mereri primam gratiam?* CONCLVSIO I. Nullus præter Christum Saluatorem potest alteri mereri primam gratiam condignè. De quâ ex professo in part. 3. CONCLVSIO II. Homo in gratiâ constitutus congruè mereri potest alteri primam gratiam. Est communis sententia Theologorum. Ita Oecumenius in comment. super acta Apostolorum. cap. 7. & D. Augustinus tom. 10. Sermonum, sermone 1. & 4. de Sancto Stephano inquiunt: *Nisi Stephanus pro Paulo oraret, Ecclesia Paulum non haberet.* Et colligi potest ex illo Matth. 9. *Videns fidem illorum dixit: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

ARTICVLO VII. *Vtrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum?* CONCLVSIO est negans.

ARTICVLO VIII. *Vtrum homo possit mereri augmentum gratiæ vel charitatis?* CONCLVSIO est. Homo iam iustificatus potest sibi per bona opera mereri augmentum gratiæ. Vide Concil. Tridentin. session. 6. cano. 24.

ARTICVLO IX. *Vtrum homo possit sibi mereri perseuerantiam?* CONCLVSIO est. Perseuerantia gloriæ cadit sub meritum, non autem perseuerantia viæ.

ARTICVLO X. *Vtrum temporalia bona cadant sub meritum?* CONCLVSIO est. Temporalia bona catenùs sub meritum cadunt, quatenùs iis homo iuuari ad consecutionem vitæ æternæ potest.

DISPVTATIO I.

Vtrum bona opera iustorum mereantur vitam æternam de condigno?

MERITVM, quod est affectio quædam & proprietas operationis humanæ, duplex assignari solet à Theologis; alterum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno vocant, cui ex condignitate seu æqualitate respondet præmium; Meritum de congruo, cui ex decentiâ tantùm seu honestate. Hoc posterius non est pressè & propriè meritum: Prius verò vt propriam obtinet rationem meriti, ità de eo potissimùm subindè agendum erit. Quinque verò conditiones, vt opus aliquod de condigno meritorium coram DEO sit, requiruntur.

PRIMA est: Vt sit liberum libertate contradictionis; hoc est, vt ita fiat, vt tamen possit non fieri. Ità docent Scholastici in 1. distinct. 17. & in 2. distin. 27. D. Thomæ interpretes hoc loco. *Ratio est.* Quia meritum supponit esse morale; hoc autem necessariò requirit libertatem. Ergò & meritum.

ALTERA conditio est; vt opus sit honestum. Quæ enim mala sunt, DEVS non coronat, vt inquit Augustinus. lib. de grat. & lib. arb. c. 6. *Et ratio est.* Nam sicuti opus, nisi prauum sit, non est dignum pœnâ; ità nisi bonum & honestum sit, non est dignum præmio.

TERTIA conditio est, vt procedat ab homine viatore. Nam tempus vitæ huius concessum hominibus est, vt in eo mereantur. Est enim veluti stadium & agon; vt in eo currentes & contendentes, posteà comprehendant & accipiant brauium, & coronam incorruptam æternæ gloriæ. 1. Corinth. 9. Hinc frequens est in Scriptura admonitio, vt si quid mereri apud DEVM cupimus, id in hac vitâ faciamus. 2. Corinth. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Rectè Hieronymus. *Tempus sementis est præsens vita, quam currimus: cùm ista vita transierit, operandi tempus aufertur, &c.* Quippè transacto vitæ huius spatio nullus vltrà merendi lo-

di locus est. *Iurauit Angelus per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Apocalyps. 10.

Qvarta Conditio operis meritorii est, vt proficiscatur ab homine existente in statu gratiæ sanctificantis. Est communis sententia Theologorum. Et constat ex Scripturâ Sacrâ. 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ità, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ioann. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites &c.* Vndè constat, ad fructum, hoc est, ad opera fructuosa & meritoria efficienda, necessariam esse eam gratiam, quâ homo constituitur viuus palmes in Christo, tanquàm in vite. Hæc autem est gratia habitualis & sanctificans Vide Concil. Tridentent. sess. 6. capit 16. Ezechiel. 18. *Si auerterit se iustus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.* At si opus meritorium non penderet à gratiâ sanctificante, non deberent, amissâ per subsequentem iniquitatem gratiâ sanctificante, merita amitti. *Et ratio est* Quoniam homo extrà statum gratiæ sanctificantis positus, est in peccato mortali, ac proinde reus mortis æternæ; vnde si fieri posset, vt mereretur vitam æternam, fieri posset, vt simul reus esset æternæ vitæ, & mortis; quod absurdum est. Legi potest Bellarminus de iustificatione lib. 5. capite. 12. Vasquez in 1. 2. disputat. 216. capit. 2. Gregorius de Valentia. disputat. 8. quæst. 6. punct. 3.

Qvinta & postrema conditio est, vt intercedat pactum & promissio Dei de remuneratione faciendâ. Hanc aliqui omnino exigunt ad rationem meriti; alij non necessariam esse existimant. Quæ lis facilè dirimitur attentâ hac distinctione. Nam aliud est, opus dignum esse præmio seu remuneratione; Et aliud, operi ex obligatione deberi præmium seu remunerationem. Vt bona opera iustorum digna sint mercede & præmio vitæ æternæ, hoc habent à gratiâ sanctificante, ex quâ fluunt, quæ est semen gloriæ; etiamsi nullum intercedat pactum & promissio Dei de faciendâ remuneratione: Vt autem iis ex obligatione debeatur merces & præmiũ vitæ æternę, hoc habent ex pacto & promissione Dei, qui

poss-

postquàm bonis iustorum operibus mercedem vitæ æternæ liberâ voluntate promisit; ad eius retributionem ex fidelitate, quæ est veritas in promissis, obligatur. Hoc sensu Augustinus ser. 16. de verbis Apostoli inquit: *Debitor nobis factus est DEVS non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Res declarari solet vulgari exemplo eius, qui in alieni cultura prædij desudat; cuius labor dignus est mercede, tametsi inter eum & dominum prædij nulla intercesserit de eâ pactio; vt proindè ex iustitiæ aut fidelitatis obligatione non debeatur; sin autem pactum & promissio de persoluenda mercede accessit, iam labor prædio impensus, non tantùm mercede dignus est; sed ad eius solutionē dominus prædij etiam obligatur. *His præmissis:*

Error nouatorum est, opera iustorum nequaquàm mereri vitam æternam. Nam cùm doceant omnia iustorum opera esse vitiosa & peccata: Lutherus in assertionibus. art. 31. Melanchthon in locis commun. editione primâ. Caluinus lib. 3. institut. cap. 12. §. 4. & cap. 14. §. 9. 11. & cap. 15. §. 3. & in antidoto Concilij Tridentin. session. 6. capit. 12. planè sequitur, damnationem potiùs mereri, quàm vitam æternam.

Catholica et inconcussa veritatis doctrina est, opera iustorum ex condigno mereri vitam æternam. Ità docent omnes Doctores Scholastici. Altisiodor. lib. 1. summæ. tract. 16. capit. vnic. quæstion. 2. Bonauent. in 2. distinct. 27. art. 2. quæstion. 3. Marsil. in 2. quæst. 18. art. 4. Conclus. 2. Scotus in 1. distinction. 17. quæst. 2. §. *Hic potest.* Gabriel in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 2. post 1. conclus. Sotus lib. 3. de nat. & grat. cap. 7. Hosius in confess. Catholicâ cap. 32. & alij. *Probatur primò* euidentibus Scripturæ testimonijs. Matth. 5. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et cap. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem.* 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Luc. 6. *Merces vestra multa est in cœlo.* 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Iacobi. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Apocalyp. cap. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* His locis vita æterna dicitur parata hominibus iustis, vt merces &

corona iustitiæ. At merces & corona iustitiæ non datur nisi intuitu meritorum. Ergò sunt in hominibus iustis opera, quibus vitam æternam mereantur. Id quod ex iis locis confirmatur, vbi vita æterna dicitur dari hominibus secundum opera ipsorum Rom. 2. *DEVS reddet vnicuiq; secundum opera sua: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Matth. 16. *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.* Psal. 65. 1. Corint. 3 At hoc aliud nihil est, quàm dari ex merito bonorum operũ. Ea porrò iustorum merita de condigno esse, Scriptura non minùs disertè indicat. Sapient. 3. *DEVS tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* 2. ad Thessalonic. 1. *Vt digni habeamini regno DEI, pro quo & patimini.* Luc. 20. *Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo.* Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Probatur secundò* ex euersione fundamenti, quo nituntur nouatores. Nam aperta falsitas est, omnia iustorum opera vitiosa esse & peccata; cùm plurima sint bona honesta, laudabilia, & DEO grata. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 26. *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquandò.* Ad Titum 2. *Christus dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Mitto alia Scripturæ loca. Ratione insto. Nam si omnia opera iustorum vitiosa & peccata sunt, etiam fides, quia opus iustorum est, peccatum erit. Vnde consequens erit, vt homo peccato iustificetur. Nã ex sententiâ nouatorum sola fides est, quæ iustificat. Deniq;, ne in re perspicuâ, & omnium consensu Patrum firmatâ immoremur, sicuti se habet mors æterna respectu impiorum; ità se habet respectu iustorum vita æterna: At illam merentur opera impiorum: Ergo & hanc merentur opera iustorum. Ità Augustinus epistola 105. ad Sixtum: *Sicut*, inquit, *merito peccati tanquàm stipendium redditur mors: ità merito iustitiæ tanquàm stipendium vita æterna.* Multa obiiciunt nouantes.

Primò illud Ecclesiastæ 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Respon-

deo. Sensus loci hic est. Non esse hominem iustum in terrâ, qui semper faciat bonum, & non aliquandò peccet venialiter. Hinc malè colligitur, omnia opera iustorum mala & peccata esse.

Obiiciunt II. illud Isaiæ. 64. *Facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Respōdeo. Locus hic nouantibus, tametsi in eo triumphent, planè non fauet. Non enim loquitur de operibus iustorum, sed de neomeniis & sacrificiis populi Iudaici; in quibus ille dum, neglecto syncero Dei cultu, impietati deditus iustitiam suam maximè constitueret, Devs execrari se illa testatur Isaiç. cap. I. *Ne offeratis vltrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi*; Non quòd cæremoniæ illæ malæ essent, si fierent ex vero fine legis & virtutis, sed quia malo fine & circumstantiis ità deprauabantur, vt immundę fierent instar panni menstruatæ. Legi potest D. Hieronymus in eum locum. & Andreas Vega super Concil. Tridentin. à cap. 26.

Obiiciunt. III. Scriptura vitam æternam hæreditatem vocat: Atqui hæreditas non datur intuitu meritorum, sed iure filiationis. Ergo. *Respondeo.* Vitam æternam Scriptura etiam, & quidem frequentius, mercedem vocat: Atqui merces non datur nisi intuitu operum. Vnde propriè (neque enim hęc duo inter se pugnant) & merces est, & hæreditas, atque vtroque titulo iis adultorum, qui iusti sunt, & perseuerāt, obuenit: Vt merces quidem, quia bonis operibus eam promerentur, & quo maiora merita exercent, eò maiorem gloriæ mensuram accipiunt: Vt hæreditas, quia cùm iusti sint, filij Dei adoptione sunt; ac proindè iure cœlestis hæreditatis gaudent.

Obiiciunt. IV. Vitam æternam Apostolus gratiam appellat. Rom. 6. *Stipendium peccati mors; gratia autem DEI vita æterna.* Si gratia est; Ergo gratis confertur, ac proindè non ex merito bonorum operum. *Respondeo.* Obiectioni huic rectè occurrit D. Augustinus epistolâ. 105. ad Sixtum his verbis: *Vnde & ipsa vita æterna meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa vita æterna gratia nuncupatur.* Hinc docemur, vitam æternam non ideò vocari à Paulo gratiam, quòd ex meritis non detur, sed quòd merita, quibus datur, ex gratiâ proueniant. Vno

verbo : Dicitur gratia in caussâ, semine, & principio suo. Vide quæ tom. 1. Comment. tractat. 2. disput. 4. cap. 7. num. 9. & in Analysi. class. 1. numer. 31. diximus.

Obiiciunt. V. Illud Lucæ. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Si impletis omnibus præceptis serui sumus inutiles, non erit eorum obseruatio meritoria. *Respondeo.* Variæ sunt loci huius interpretationes, de quibus Vasquez disput. 213. cap. 8. à num. 52. Omnium congruentissima est; Christum velle iis verbis, vt de nullâ re bonâ, quæ in nobis sit, tanquàm ex nobis sit, & non ex Deo, gloriemur. Quin si vel omnia præcepta impleuerimus, nisi ea etiam, quæ consilij sunt, præstemus, nihil nos præstitisse existimemus, quod non debuerimus; reputemusq; seruos nos inutiles, & qui nulli vsui Deo simus; quippè qui bonorum nostrorum non indiget.

Obiiciunt VI. illud ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* Si non sunt condignæ ad futuram gloriam, Ergò nec illius meritoriæ. *Respondeo.* Passiones huius temporis si secundum naturam suam & naturales circumstantias, acerbitatis scilicet, durationis, magnitudinis &c. considerentur, nulla est inter ipsas & futuram gloriam proportio. Nam quicquid in ipsis est, momentaneum est; gloria verò æterna est Si vero considerentur, vt a gratiâ manant, illaque informantur, iam inter ipsas & futuram gloriam est proportio, [illegible] am ex dignitate merenti. Nam gratia, vt Theologi loquuntur, semen gloriæ est Sicut ergo sufficiens est proportio inter semen & messem; ità inter gratiam (ac proinde & actiones a gratia manantes) & gloriam. Vtrumque expressit postolus 2. Corinth. 4 his verbis *Id enim, quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.*

Obiiciunt postremò Si iusti operibus suis merentur vitam æternam, videtur iniuria fieri meritis Christi; vt quæ existimari poterunt non sufficientia. *Respondeo.* Nulla fit iniuria meritis Christi. Nam quicquid valoris, dignitatis & efficaciæ est in operibus iustorum, id totum ex meritis Christi transfunditur. Ex quo maximè commendatur vis & efficacia meritorum Christi, dum nobis non solum [illegible]

vitæ æternæ obtinuit; sed etiam vim & virtutem assequendi vitam æternam per propria merita. De quâ re in tertiâ parte amplius.

DISPVTATIO II.

An omnia opera bona iustorum sint meritoria vitæ æternæ?

PRIMA SENTENTIA est: Ea tantummodò opera iustorum mereri vitam æternam, quæ vel eliciuntur a charitate, vel saltem procedunt ex imperio charitatis. Ità Scotus in 2. dist. 41. quæst. vnic. §. *Aliter posset dici.* Gabriel ead. dist. quæst. vnic. art. 3. dub. 2. Durandus in 2. dist. 40. quæst. 2. num. 11. & 12. Et in 3. distin. 23. quæst. 8. Paludanus in 3. eadem distinction. quæst. 4. art. 3. Almayn. in 3. distinct. 18. parte 1. Alexander. 4. parte quæst. 101. membr. 3. art. 3. §. 1. ad 1. *Fundamentum huius sententiæ est.* Vt enim opus aliquod meritorium sit vitæ æternæ, referri in DEVM, vt in finem supernaturalem, debet. At sola opera charitatis referuntur in DEVM, vt in finem supernaturalem. Nam tametsi aliæ virtutes supernaturales respiciant DEVM, vt obiectum supernaturale; sola charitas est, quæ ipsum respicit, vt finem supernaturalem. Ergo sola opera charitatis meritoria sunt vitæ æternæ. *Confirmatur.* Scriptura quoties meritorum meminit, semper voces quasdam addit, quibus significat, opera meritoria referri debere à charitate in DEVM. Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, &c. propter nomen meum* (Ecce imperium charitatis!) *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Marci 9. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ, in nomine meo* (En denuò imperium charitatis!) *amen dico vobis, non perdet mercedem suam, &c.*

ALTERA & communis sententia est: Omnia opera bona iustorum, ex cuiuscunque præscripto virtutis facta, meritoria esse vitæ æternæ. Ità sentiunt Capreolus in secundo distinct. 40. quæst. 1. articul. 1. conclus. 2. Sotus lib. 3. de natur. & grat. cap. 4. non procul à principio, & Thomistæ recentiores

circà artic. 4. huius quæstionis. *Pro cuius sententiæ explicatione.*

Notandvm est ex communi doctrinâ Theologorum: Opus aliquod bifariàm referri posse in Devm. *Primò* explicitè & actualiter; quandò scilicet expressâ intentione operantis (siuè ea simul sit cum opere, siue opus antecesserit) in Devm ordinatur & dirigitur. *Secundò* implicitè & virtualiter; quandò opus, quia honestum est, ex se, & quasi natiuo suo pondere in Devm tendit; tametsi nulla intentio actualis antecesserit, quâ in eum dirigeretur. *Hoc posito.*

Dico. Quodcunque opus cuiuscunque virtutis, siuè infusę & supernaturalis, siuè acquisitæ & moralis, factum ab homine iusto, tametsi non imperetur à charitate, meritorium est vitæ æternæ. *Colligitur* ex illo. 1. ad Corinth. 15. citato à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. *Abundate in omni opere bono scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Vbi D. Paulus propositâ fide resurrectionis, & spe ac mercede vitæ æternę, excitat & hortatur fideles ad omne opus bonum. Quę exhortatio frustrà sanè esset, si iusti non quouis opere bono mererentur vitam ęternam. *Et ratio est.* Quia quodcunque opus bonum, factum ab homine iusto, obtinet omnes conditiones, quas ad meritū vitę ęternę requiri suprà vidimus. Nam & opus honestū est; & liberè procedit ab homine viatore, existente in statu gratię sanctificātis, vt per se euidēs est; & prætereà annexā habet promissionem Dei de mercede vitæ æternę sub conditione operis. 1. ad Corinth. 15. & ad Coloss. 3. *Quodcunq. facitis, &c.* Ergò quodcunque opus bonum factum ab homine iusto, meritorium est vitæ ęternę.

Ad fvndamentvm primæ sententię respondetur. Vt opus aliquod hominis iusti sit meritorium vitę ęternę, necesse non est, vt in Devm explicito aliquo affectu & directione referatur; sed satis est relatio implicita & virtualis; quo modo quodcunque opus bonum & honestum hominis iusti suapte naturâ in Devm refertur, iuxtà notationem superiorem, & quia tanquàm opus filij Deo placet, etiam præmium filij, cum quo debitam habet proportionem, promeretur.

Ad confirmationem. Remuneratio vitę ęternę rectè promittitur iis operibus, quę ex imperio charitatis fiunt; [illegible] tamen non fit, vt aliis operibus iustorum deneganda sit. Neque

verum

verum est, Scripturam sacram, cùm de operibus meritoriis agit, semper imperij illius meminisse.

Hic tres occurrunt difficultates breuiter expediendæ.

Prima est. *Vtrum iustus non tantùm ex iustitiâ, sed etiam ex rigore iustitiæ mereri vitam æternam possit?* Respondeo, non posse. Ita D. Thomas in 3 part. quæ. 1. artic. 2. *Ratio est.* Nam meritum hominis iusti, vt ius ad præmium vitæ æternæ, seu vim & efficaciam exigendi illud habeat, fundari debet in liberali pacto & promissione Dei, vt ex supradictis constat. Eiusmodi autem liberalitas & gratia diluit rigorem iustitiæ. Ergò, &c. Hoc sensu Concilium Tridentinum session. 6. cap. 16. tantam inquit, Dei esse ergà omnes homines bonitatem, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et D. Augustin. in epistolâ. 105. *Cùm Deus coronat nostra merita, non coronat nisi sua dona.*

Altera difficultas est: *Vtrum iustus mereatur totam vitam æternam, an verò duntaxat augmentum illius?* Hęc difficultas de adultis tantùm esse potest, qui in duplici classe sunt. Quidam sinè propriâ dispositione accipiunt primam gratiam iustificantem; vel quia susceptam in infantiâ vsque ad mortem retinent; vel quia mentis impotes iustificantur virtute Sacramenti: Alij per proprias dispositiones iustificantur, vt communiter accidit adultis. Hac positâ distinctione præsentem difficultatem duplici assertione resoluo.

Prima est: Is, qui in primâ gratiâ sanctificante, quam sinè propriâ dispositione accepit, moritur, non meretur primam gloriam, sed tantùm augmentum illius. *Ratio est.* Quia nec meretur illam in instanti suæ iustificationis; cùm in eo supponatur nullum habere meritum; nec post instās primę iustificationis. Nam quęcunque postea, dum in susceptâ gratiâ perseuerat, opera exercet, illis non meretur primam gloriam, sed augmentum glorię. Ergò.

Secunda assertio. Qui per propriam dispositionem iustificatur, & primam gratiam accipit, meretur de condigno primam gloriam. *Ratio est.* Quia non tantùm augmentum glorię, sed etiam prima gloria potest cadere sub meritum; ex Concil. Tridentin. sess. 6. can. 32. vbi definitur; hominem iustificatum bonis operibus verè mereri vitam ęternam seu gloriam, & glorię augmentum; & ex Scripturâ

Sacrâ, quæ non tantùm augmentum & partem gloriæ, sed gloriam simpliciter vocat mercedem nostram. *Quare* cùm ij, qui sinè propriâ dispositione iustificantur, nequeant mereri primam gloriam, vt vidimus, eam merebuntur ij, qui cum propriâ dispositione iustificantur.

Qvod Si Roges: Quonam actu eam mereantur? *Respondeo.* actu vltimæ dispositionis, quæ est contritio & dilectio Dei; tametsi enim vltima dispositio ad gratiam habitualem effectiuè ab eâ non procedat; est tamen simul cum infusione eius. Vndè procedit ab homine habente gratiam habitualem & iustificantem; vt, quia alias etiam conditiones obtinet ad rationem meriti de condigno necessarias, nihil illi desit, quo minùs meritoria esse censeri debeat; non gratiæ iustificantis primæ, quæ cùm principium meriti de condigno sit, cadere sub meritum non potest; nec augmenti gloriæ, cuius meritum posterius est gratiâ iustificante: Ergò primę gloriæ.

Tertia Difficvltas est. *Vtrum vitæ æternæ præmium conferatur iustis secundum formam iustitiæ commutatiuæ, vel distributiuæ? Respondeo.* Secundum formam vtriusque. *Primo* enim tantum confertur homini iusto præmium, quantum est eius meritum. Et hæc est forma iustitiæ commutatiuæ, quæ æqualitatem seruat inter datum, & acceptum. *Deindè*, quantò meritum vnius maius est, quam alterius, tantò maiori præmio compensatur. Et hæc est forma iustitiæ distributiuæ, quæ dignitatem personarum attendens, meritis etiam præmia attemperat. Verum tamen est, non seruari rigorem iustitiæ commutatiuæ. Nam tametsi ex pacto Dei, seu promissione sub conditione operis, proueniat, vt vita ęterna meritis iustorum debeatur; quia tamen promissio illa prorsus liberaliter facta est, & simul cum gloriæ mensuram iustorum operibus constituit, quæ eorum valorem excederet (is enim secundum se, & seclusâ promissione Dei spectatus minori pręmio compensari poterat) multum de rigore iustitię detrahit. Quę caussa etiam est, vt Devs, communi Theologorum pronuntiato, dicatur merita iustorum remunerari supra condignum.

DISPVTATIO III.

Vtrum homo mereri sibi possit primam gratiam?

CERTVM & de fide est, hominem non posse sibi mereri primam gratiam actualem, quę est gratia vocationis, quâ excitatur vel ad fidem, vel ad dolorem de peccatis, vt 1 tomo comment. tract. 2. quæst. 23. disp. 3. cap. 1. num. 4. vidimus. *& patet* ex Concilio Tridentino. sess. 6. cap. 5. Neque veritati huic obstat commune illud enunciatum: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Eius enim duplex expositio est. *Prima* & probabilis: *Facienti quod in se est*; Id est, non ponenti obicem per ea, quæ ex se facere potest, DEVS ex merâ liberalitate suâ gratiam confert. *Altera* & probabilior est: *Facienti quod in se est* ex auxilio gratiæ præuenientis, DEVS vlteriora gratiæ auxilia non denegat. Legi potest Suarez. lib. 3. de auxiliis gratię. cap. 2. circa finem. *Controuersia tantùm est* de primâ gratiâ habituali & iustificante; An scilicet homo mereri eam præuio aliquo actu aut dispositione possit?

DICO. I. Non potest homo mereri de condigno primam gratiam iustificantem. *Patet* ex Scripturâ Sacrâ, quæ passim docet nos gratis iustificari. Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Quod sic explicat Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 8. *Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siuè fides, siuè opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Rom. 11. Ephes. 2. Tit. 3. Vide Augustin. epistolâ. 105. *Et ratio est.* Quia prima gratia habitualis & iustificans est principium & radix omnis meriti de condigno. Condignitas enim & proportio, quam opus ad mercedem & præmium habet, formaliter est a gratiâ sanctificante. Sed principium meriti non potest cadere sub meritum. Ergò fieri non potest, vt homo aliquo opere aut dispositione mereatur de condigno primam gratiam habitualem & sanctificantem; nisi fieri posse aliquis censeat, vt idem sit principium sui ipsius, & quidem in genere caussæ efficientis, saltē moralis, cuius rationem (vt rectè notat Suarez in 3. part. tom 1. disp.

sect. 3. circà medium) caussa meritoria participat; idem seipso prius & posterius, &c.

Dico. II. Non potest homo mereri de condigno remissioné peccati mortalis. *Ratio est.* Quia remissio peccati mortalis, est effectus formalis primæ gratiæ iustificantis. Sed non potest homo mereri de condigno primam gratiam iustificantem. Ergò nec remissionem peccati mortalis. *Confirmatur.* Homo, priusquàm intelligatur illi remissum esse peccatum, non potest concipi, vt sufficiens principium meriti de condigno; quia nondum concipitur, vt persona verè sancta, & iustificata. Ergò meritum de condigno supponit remissionem peccati mortalis; ac proindè homo mereri eam de condigno non potest.

Dico. III. Non potest homo mereri de condigno remissionem pœnę æternę debitæ peccato mortali; potest tamen mereri remissionem pœnæ temporalis, quæ remanet dimissâ culpâ. *Prima pars* communis est Doctorum, & colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. vbi docet, pœnam æternam simul cum culpâ gratìs remitti à Deo. *Et ratio est.* Nam homo, quamdiu reus est pœnę æternę, est in peccato mortali. Sed existens in peccato mortali, non potest quidquàm mereri de condigno. Ergò. *Altera pars* ex eodem capitam Concilij Tridentini loco constat; Vbi homo dicitur per pia opera satisfacere pro pœnâ temporali. *Et ratio est.* Nam qui est in gratiâ sanctificante, qualis is est, cui dimissa est culpa mortalis, potest mereri vitam æternam; Ergò & remissionem pœnę temporalis, quæ adhuc remanet, impedit assecutionem vitę æternę.

Dico. IV. Homo peccator, per fidem & alias dispositiones, quæ antecedunt iustificationem, & fiunt ex auxilio gratię Dei, meretur de congruo primam gratiam iustificantem. Itâ communiter Theologi. Bonauent. in 4. dist. 15. 1. part. disunct. art. 1. qu. 5. Marsil. in 2 qu. 18. art. 3. conclus. 2. & 3. Ferrariens. 4. contrà gent. cap. 149. in fine. Andreas Vega. de Iustificat. quæ. 7. & lib. 8. super Concil. Trident. a cap. 8. Roffens. art. 1. contrà Lutherum. §. Est tertia similitudo. *Probatur hæc assertio primùm* authoritate Scripturę sacrę; quę cùm doceant homines iustificari per fidem Rom. 4. ad Hebr. 11. ad Galat. 5. planè indicat, fidem aliquo modo esse caussam nostræ iustificationis, non physicam: Ergò mora-

lem & meritoriam. Quarè cùm non possit esse meritoria de condigno, quia antecedit iustificationem, quam non potest antecedere meritum vllum de condigno, vt docet Concil. Tridentin. sess. 6. c. 8. & 16. & nos supra ostēdimus assertione primâ, necesse est, vt sit saltem meritoria de congruo. *Deindè* testimoniis SS. Patrum. Augustini epistol. 105. Vbi disputans contrà Pelagiū: inquit, *Sed neq; ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neq; enim nullum est meritum fidei: Quâ fide ille dicebit; propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus, &c.* Quibus verbis, vt rectè Petrus à Soto lect. 9. de actibus pœnitentiæ aduertit, Augustinus planè concedit meritum respectu primæ gratiæ & remissionis peccatorum: sed nè videatur meritum simpliciter concedere, temperauit sermonem, addens, non esse sinè merito aliquo: Hoc est; sinè merito saltem congruo, seu impetratorio &c. Gregorij in 1. Regum. lib. 43. cap. 4. vbi inquit. *Dum Niniuitæ velut pro difficili reconciliatione, graui pœnitentiâ se deiiciunt, omnipotentis DEI misericordiam facilè meruerunt.* Alia SS. Patrum testimonia videre est apud Vegam. lib. 2. de iustificatione quæst. 7. proposit. 4. Et lib. 8. super Concil. Triden. cap. 6. & 7. *Tertio ratione.* Dispositiones, quæ antecedunt primam gratiam iustificantem, habent vim aliquam & caussalitatem respectu primæ gratiæ iustificantis, vt docet D. Thomas. 3. part. quæst. 85. art. 2. ad 3. & colligitur ex Scripturâ sacrâ. Ad Rom. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem.* Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Ad Rom 8 *Spe salui facti sumus.* Ezechiel 18. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua &c. Ipse animam suam viuificabit.* Quæ vis & caussalitas cùm non sit physica; debet esse moralis & meritoria, saltem de congruo.

Obiicitvr. I. Ex Ecclesiæ definitione constat, gratiam absolutè dari absque vllis meritis nostris; Ergò etiam absque merito de congruo. *Respondeo.* Ecclesiam, cùm negat peccatorem iustificari ex meritis loqui de iis, quæ sunt propriè & simpliciter merita. Cuiusmodi illa sunt, quæ dicuntur merita de condiggno. Meritum verò de congruo, cùm sit opus peccatoris, ac proindè indignum, cui præmium debeatur, non est propriè & simpliciter meritum. Vndè congruitatem eius non metimur ex operum dignitate, sed ex gratuitâ Dei ordinatione.

Obiicitvr. II. Paulus ad Rom. 3. & 4. negat, nos iustificari ex operibus. *Respondeo.* Paulus ea tantùm opera à iustificatione reiicit, quæ præcedunt fidem, & fiunt ex solis naturæ viribus; non autẽ ea, quæ proficiscuntur ex fide & auxilio gratiæ. Imò eiusmodi opera D. Iacobus c. 2. epistolæ suę, ad iustificationem apertè exigit. Ideò nulla est inter Paulum & Iacobum pugna aut dissensio. Legi potest August. lib. de fid. & operibus cap. 14.

Obiicitvr. III. Merito respondet merces. Sed prima gratia iustificationis non est merces, alioquin enim, vt argumentatur Paulus ad Rom. 11. gratia non esset. Ergò eius nullum potest esse in nobis meritum. *Respondeo.* Merito propriè & simpliciter dicto, quale est illud, quod dicitur de condigno, respõdet merces, quæ est pensatio æqualis pro opere & labore. Merito verò, quod dicitur congruũ seu impetratorium, nec appellationem meriti propriè & simpliciter meretur; satis est aliqualis remuneratio ex gratuitâ ordinatione retribuentis.

Obiicitvr IV. Doctrina hæc videtur fauere Pelagianis, qui iustificationem operibus tribuebant. *Respondeo.* Imo Pelagianis maximè aduersatur. Eorum enim error erat, opera ex solis naturæ viribus effecta de condigno mereri gratiam iustificationis. Nos contrà asserimus, dispositiones quæ proueniunt ex auxilio gratiæ diuinæ, mereri iustificationem de congruo tantùm; & hanc congruitatem non ab operum dignitate, sed à gratuitâ diuinæ prouidentiæ ordinatione petimus.

Dispvtatio IV.

Vtrum homo mereri sibi possit reparationem post lapsum?

Controversiam hanc duabus assertionibus expedio.

Dico. I. Non potest homo reparationem post lapsum mereri de condigno. *Probatur.* Aut enim eam mereretur per opera, quæ exercet, dum est in statu peccati; & hoc dici non posse, ex supradictis constat. Ostendimus enim non posse peccatorem mereri de condigno primam gratiam iustificantem, per quam homo reparatur. Aut eam mereretur per opera, quæ fecit antequam laberetur, & dum esset

in statu gratiæ. Neque id dici posse ex eo facilè patet, quia priora illa merita, superueniente lapsu & peccato, mortificantur; vt ex illo Ezechielis. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia suâ, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, &c.* docent vno consensu Theologi. Opera autem mortificata, cùm nullius sint valoris apud DEVM (nisi restitutâ gratiâ, & sublato peccato, reuiuiscerint) non possunt quidquàm mereri de condigno. Vnde tantum abest, vt reparationem post lapsum mereātur, vt eam potiùs ad resumendū valorem meriti supponāt. *Adde* ex contrariâ opinione sequi, eos qui semel iusti sunt, & bonis operibus insistunt, non posse mori impœnitentes, ac proindè nec quenquam eorum posse esse reprobum: quod est falsum & erroneum. *Sequela patet.* Nam tametsi incidant in peccatum mortale; tamen per opera antecedentia fuerunt meriti remissionem illius; ac proindè ne obstet peccatum sequens, quò minùs in gratiâ antè mortem recuperatâ, è vitâ migrent; quod est, non posse mori impœnitentes.

Obiicies. Merita per peccatum mortificata, valent, si reuiuiscant, ad obtinendum præmium vitæ æternæ. Ergo etiam ad reparationem post lapsum. *Respondeo.* Hoc argumentum seipso euerti. Nam si, vt vim merendi exerant, viuificari debent, supponunt ergo reparationem a lapsu, per quam viuificantur; ac proindè mereri eam non possunt.

Dico. II. Vtrū opera iustorum ante peccatum & in statu gratiæ facta, mereantur de congruo saltem reparationem post lapsum, nihil certi statui potest; probabilius tamen est, non mereri. Nam si opera illa congruè saltem impetrarent reparationem post lapsum, non dicerentur perpetrato peccato ità excidere è memoriâ & recordatione DEI, vt iam nequeant iustum à morte vindicare, contrà illud Ezechielis 18. paulò antè adductum. *Si auerterit se iustus &c. Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: sed in iniquitate sua morietur.*

Obiicitur illud Hebr. 6. *Non enim iniustus est DEVS, vt obliuiscatur laboris vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis sanctis, & ministratis.* Vbi Paulus loquitur de Hebrçis in peccatū lapsis; quos propter antecedētia opera ministerij & dilectionis quç dū in statu

gratiæ essent, Sanctis exhibuerunt, erigit in spem veniæ & reparationis à Deo obtinendæ. *Respondeo.* Concil. Tridentin. aliter hunc locum accipit, vt scilicet de iustis eorumque remuneratione, non autem de peccatoribus & eorum reparatione sermo sit. Nam sess. 6. cap. 16. docet verba hæc Apostoli iustificatis à peccato proponenda esse, vt iis excitentur ad studium bonorum operum ex spe mercedis, quam à Deo iusto iudice recipient. Idque satis indicant subsequentia Pauli verba: *Cupimus autem vnumquemq; vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsq; in finem; vt non segnes efficiamini; verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabũt promissiones.* Quibus verbis hortatur & stimulat Hebræos non ad pœnitentiam, sed ad constantiam in fide, & dilectione; nè scilicet fracti persecutionibus deserant fidem & opera Christianæ charitatis. Quod deinceps exemplo Abrahæ, quem proponit imitandum, confirmat.

DISPVTATIO V.

Vtrum homo mereri possit augmentum gratiæ sanctificantis?

NOVATORES, cum existiment, fideles omnes æqualiter esse iustos; quippe à iustitiâ Christi extrinsecus imputatâ, quæ eadem & æqualis est, negant quemquam crescere posse in iustitiâ & sanctitate, ac proinde augmentum eius mereri. Hinc illa Lutheri, quam in concione quadam de natiuitate B. Virginis euomuit, blasphemia: *Omnes nos æquè iusti & sancti sumus, atque beata Virgo.* Errorem hunc eruditè refellit Andr. Vega. lib. 10. super Concil. Trident. cap. 2. & 3.

ORTHODOXA & vera doctrina est; Hominem iustum per bona opera, & obseruantiam mandatorum DEI, mereri de condigno augmentum iustitiæ & sanctitatis. Ita Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 10. vbi definit, iustos per obseruationem mandatorum Dei crescere in iustitiâ per Christi gratiam acceptâ, & magis iustificari. Et can. 24 dãnatur, qui dixerit, iustitiam acceptam non

[illegible]

augeri coram DEO per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ caussam. Et cano. 32. damnatur qui dixerit, ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & IESV Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ. Loqui verò Concilium de merito condigno, tametsi voce *Condignitatis* non vtatur, ex eo patet, quia sub eodem merito comprehendit augmentum gratiæ, vitam æternam, vitę æternę consecutionem, & gloriæ augmentum. Atqui certum est, iustos mereri gloriam, eiusque consecutionem & augmentum de condigno. *Probatur hæc doctrina.* euidentibus Scripturæ testimoniis 2. Corinth. 9. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Ecclesiastici. 18. *Ne verearis vsq; ad mortem iustificari.* Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur ad huc.* Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsq. ad perfectam diem.* Vndè Augustinus. epistolâ. 106. *Gratia*, inquit, *meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

CONFIRMATVR RATIONE. Quia ex communi Theologorum sensu gloria respondet & commensuratur gratiæ, cùm gratia sit quasi semen gloriæ, ad eamque ius possessori suo tribuat. Sed iustus bonis operibus, & studiosâ mandatorum DEI obseruatione, meretur augmentum gloriæ: Ergò & augmentum gratiæ.

OBIICITVR. Gratia prima, & eius augmentum eiusdem rationis sunt. Sed primam gratiam sanctificantem mereri de condigno non possumus: Ergò nec eius augmentum. *Respondeo.* Tametsi gratia prima & secunda sint eiusdem rationis; conditio tamen subiecti non est eadem, aut eiusdem rationis. Nam is qui meretur augmentum gratiæ, est iustus & amicus DEI, ac proindè in eo statu, in quo mereri de condigno potest: Qui autem ad primam gratiam se disponit, nondum iustus est, aut amicus DEI; ac proindè præcipuâ earum conditionum destituitur, quas meritū de condigno exigit. *Tria quæri hic porrò solent.*

PRIMVM est. Quando augmentum hoc gratiæ conferatur? *Respondeo.* Statim posito merito. *Ratio est.* Quia posito statim actu meritorio ius ponitur in homine iusto ad maiorem gloriam. Ergò maior etiam gratia. Vt enim ius ad gloriam simpliciter prouenit à gratiâ; itâ ius ad gloriā maiorem à gratiâ maiore.

ALTERVM est. Vtrum opus hominis iusti, vt mereatur augmentum gratiæ, debeat esse intensius ipso habitu gratiæ? *Ratio dubitandi est.* Nam habitus naturales non augentur nisi per actus intensiores. Ergò idem sentiendum est de gratiæ habitu supernaturali. *Respondeo.* Gratiam augeri quouis actu meritorio, etiamsi remissior sit ipso habitu gratiæ. *Ratio est.* Quia quodlibet opus meritorium hominis iusti, quantumuis etiam remissum, meretur augmentum gloriæ: Ergo etiam augmentum gratiæ. Nec par ratio est habituum naturalium, qui sicuti generantur physicè & efficienter ab actibus; ità physicè etiam & efficienter ab actibus augentur. Vndè vt actus vim habeat intendendi habitum, debet esse ipso habitu intensior. Id non accidit in actu meritorio, qui non physicè & efficienter gratiam auget, sed tantùm moraliter & meritoriè. *Adde,* non deesse, qui existiment habitus etiam naturales augeri posse non tantùm actibus intensioribus, sed etiam æqualibus & remissis. Legi potest Vasquez in 1. 2. disputat. 80. cap. [illegible]

TERTIVM est. An homo iustus augmentum gloriæ mereatur solis actibus charitatis, an etiam actibus virtutum aliarum? *Respondeo.* Etiam actibus virtutum aliarum. *Constat* ex iis, quæ suprà disputatione secundâ docuimus.

DISPVTATIO VI.

Vtrum homo mereri sibi posit perseuerantiam?

PERSEVERARE idem est, ac vitam in gratia DEI finire. Hoc itaque tam excellens perseuerantiam ingens esse bonum; de quo ita docet Apostolus ad Philipp. 1. & ex eo Concilium Tridentinum sessio 6. cap. 13. *Primo.* Esse donum DEI, nec aliunde haberi posse, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet. *Secundo.* Neminem sibi absoluta certitudine polliceri posse, se illud habere, aut habiturum esse. *Tertio.* Omnes debere console... [illegible] DEO illius spem & fiduciam concipere, ita tamen, vt timeant, ne si ipsi culpa sua diuinæ gratiæ defuerint, præstantissimo huic

dono

dono ac muneri viam intercludant. Hæc certa & de fide sunt. *Illud* apud Theologos in quæstionem venit: *Vtrum hoc perseuerantiæ donum cadat sub meritum?*

Dico. I. Potest homo iustus mereri de condigno ea gratiæ actualis auxilia, quæ necessaria sunt, vt in susceptâ iustitia possit, si velit, perseuerare, & vitam æternam consequi. Ità D. Thomas. artic. 8. & 10. huius quæstionis in corpore: Vbi docet, totum progressum in motu ad finem vltimum, & omnia illa, quibus homo iustus, post acceptam primam gratiam iustificantem, adiuuatur ad consequendam beatitudinem, cadere sub meritum de condigno. Suarez tom. 3. in 3. parte. D. Thomas. disput. 40. sect. 2. & alij. *Probatur.* Nam quicunque positus in statu merendi potest mereri finem, potest etiam mereri ea, quæ sunt necessaria ad consequendum finem; vt loco allegato docet D. Thomas. At homo iustus positus est in statu merendi, & potest de condigno mereri vitam ęternam, quę finis est. Ergò etiam ea, quæ necessaria sunt ad obtinendum hunc finem; cuiusmodi sunt auxilia memorata.

Vbi Observa. Auxilia hæc gratiæ excitantis & adiuuantis ità arbitrio hominis iusti subijci, vt ijs pro libertate suâ cooperari, aut non cooperari possit. Si cooperetur, benè scilicet agendo, & diuina mandata vsque in finem vitæ custodiendo (vt Concil. Trident. sess. 6. can. 26. inquit) dicitur perseuerare. Si verò, vt pro eadem libertate suâ potest, non cooperetur, aut cæptam cooperationem finali culpâ abrumpat, dicitur à dono perseuerantiæ excidere. *Hinc collige*, ad perseuerantiam, præter auxilia gratiæ, quæ primas in eâ tenent, requiri etiam liberam cooperationem iusti. Et in hoc scilicet posita est Magnitudo excellentis illius doni; quod Devs auxilia gratiæ suæ eo modo & tempore statuerit conferre homini iusto, prout nouit fore in eo congrua & accommodata ad cooperationem, & effectum perseuerandi. Ità enim considerata specialem rationem induunt magni doni, gratiæ & beneficij. *Quo posito:*

Dico II. Magnum illud vsque in finem, perseuerantiæ donum non potest homo iustus mereri de condigno Ità D. Thomas hoc loco. art. 9. & Scholastici in 2. dist. 28. & 29. plerique omnes. *Ratio est.* Quia donum perseuerantiæ in eo consistit, vt iustus actu in iustitiâ perseueret. Vt autem

actu perseueret, nullo opere mereri de condigno potest. Ergò. *Maior* conceptis verbis affirmatur ab Augustino lib. de bono perseuerantiae cap. 6. Vbi, *de illa*, inquit, *perseuerantiâ loquimur, quâ perseueratur vsq; in finem, quae si data est, perseueratum est vsq; in finem: si autem non est perseueratum vsq; in finem, non est data.* Et paullò infrà: *Perseuerantiam verò vsq; in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsq; in finem, multi possunt eam habere, nullus amittere.* Et paucis interiectis. *Cùm enim perseuerauerit quisq; vsq; in finem, nec hoc donum potest amitti, nec alia, quae poterant ante finem, &c. Et constat* ex eo, quòd posse perseuerare in iustitiâ, omnibus iustis datur; quibus omnibus cùm non detur donum perseuerantiae, multi enim eorum à iustitiâ deficiunt & damnantur, euidenter sequitur, ad perseuerantiae donum non satis esse, vt iustus possit in iustitiâ perseuerare, nisi etiam actu perseueret. *Minor probatur.* Nam si aliquo opere mereretur, vt actu perseueret; facto & posito illo opere, non posset iam ampliùs à iustitiâ excidere: haec enim duo planè inter se pugnant, perseuerare in iustitiâ, & à iustitiâ excidere; ac proindè necessariò perseueraret & saluaretur, quod absurdum & contrà fidem est.

Dico. III. Probabile est, posse iustum de congruo mereri donum perseuerantiae. Itaque si, postquàm iustitiam adeptus est, auxiliis & excitationibus gratiae diuinae, quas semper à Deo (vt qui gratiâ suâ semel iustificatos non priùs deserit, quam ab eis deseratur, ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 11.) obuias & paratas habet, pro libertate suâ consentiens & vtens, bonis identidem operibus, & praesertim piae orationi insistat, potest impetrare à Deo speciale illud diuinae prouidentiae regimen, cuius suaui ductu & directione ità posteà viuat, vt vitam in gratiâ finiat. Ità sentiunt & docent Theologi potiores. Et expressè Augunus lib. de bono perseuerantiae. cap. 6. vbi inquit: *Hoc ergo DEI donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Et cap. 17. *Restat*, ait, *in his bonis vsq; in finem perseuerantia; quae [illegible] à Domino quotidie [illegible] eam Dominus per [illegible] illo, cuius orationem [illegible], operatur, &c.* Quibus locis apertè docet, posse [illegible] donum perseuerantiae [illegible] suâ oratione emereri & impetrare. Vbi cum ne-

quea[t]

queat intelligi de merito condigno; necesse est, vt loquatur de eo, quod appellamus congruum. *Et ratio est.* Quia congruum esse videtur, vt DEVS exaudiat amicos suos, cùm ea postulant, quæ ad vitæ æternæ assecutionem ducũt. *Confirmatur.* DEVS iubet, vt iusti perseuerantiam ab eo petant; ex Augustino lib. de bono perseuer. cap. 6. & 7. Ergò impetrare eam orando possunt. Quî enim potest intelligi, vt iubeat DEVS petere, quod nequeas petendo impetrare? Si impetrare possunt, ergò mereri de congruo. Hoc enim meritum Augustinus ex impetratione colligit epistolâ. 105. Legi potest Vasquez in primam secundæ disput. 222. num. 42. & disp. 218. cap. 3.

Ex hac doctrinâ nulla sequitur in homine iusto ad perseuerandum necessitas: Tum quia perseuerantiæ donum orationi, cæterisvè iusti operibus non debetur; sed liberali DEI voluntate amico postulanti datur: Tum quia ea gratiæ auxilia, quibus excitatur ad orandum, ità accipit, vt ijs vti, aut non vti; consentire aut dissentire possit.

OBIICIES. Potest homo iustus non tantùm de congruo, sed etiam de condigno mereri vitam æternam: Ergò etiam ea, quæ necessaria sunt ad consequendam vitam æternam; inter quæ est donum perseuerantiæ. *Respondet non nemo*; duo concurrere ad perseuerantiam. Alterum ex parte DEI, nempè auxilia gratiæ actualis, quæ necessaria sunt ad continuam legis obseruationem; & hæc iustos posse mereri de condigno, vt suprà etiam vidimus. Alterum ex parte hominis, nempè cooperationem cum auxiliis gratiæ; & hanc iustos non posse mereri de condigno; quia cùm sit operatio ab ipso homine procedens, non potest habere rationem mercedis ab alio collatæ. *Hæc responsio* ex eo solùm improbatur, quia respectu perseuerantiæ tollit ab homine iusto rationem meriti etiam de congruo, quam tamen respondens admittit tanquàm indubitatam. Ostendo id eodem argumento. Quia cooperatio cum auxiliis, quæ ad perseuerantiam ex parte hominis concurrit, cùm ab ipso homine procedat, non potest habere rationem præmij ab alio, etiam congruâ liberalitate, donati.

RESPONDEO ERGò. Media necessaria ad consequendam vitam æternam sunt auxilia gratiæ diuinæ. Ea bifariàm consi-

derari possunt. *Primò* absolutè, & secundum substantiam suam, quo modo & sufficientia sunt, vt iusti cum ijs, si velint, perseuerent, & saluentur (quanquàm multi propriâ culpâ, quia auxiliis subindè vti & cooperari nolunt, perseueraturi & saluandi non sint) & sub meritum de condigno cadunt. *Secundò* respectiuè, & secundum modum, quo a Deo progrediuntur, qui pro incircumscriptâ suâ libertate auxilia gratiæ suæ iustorum plurimis eo modo, tempore & opportunitate conferre statuit, prout nouit, fore in ijs apta & idonea ad effectum perseuerantiæ & salutis reipsâ obtinendum; cùm vel alia, vel eadem alio modo & tempore conferre potuisset; quæ quanquàm sufficientia ex se ad effectum essent, culpâ tamen non cooperantium effectu caritura præuidebat. Ità spectata auxilia induunt moralem quandam rationem beneficij & gratiæ peculiaris, cuius Magnitudo excedit pretium & condignitatem operum, etiam in statu iustitiæ effectorum; ac proindè sub meritum de condigno non cadit. Quanquàm congruè impetrari crebrâ & piâ oratione possit. Nam vt rectè monet D. Thomas articulo 9. ad 1. etiam ea, quæ non meremur (merito scilicet simpliciter dicto, & condigno) orando impetrare possumus. Cætera, quæ de perseuerantiâ moueri hoc loco solent, peti possunt ex ijs, quæ supra quæstion. 109. disputation. 8. diximus.

DISPVTATIO VII.

Vtrum bona temporalia cadant sub meritum?

DICO I. Bona temporalia secundum se considerata non cadunt sub meritum. *Ratio est.* Nam aliàs qui iustior esset, & plura opera meritoria exerceret, maiori etiam bonorum temporalium copiâ circumflueret. Secùs euenire experientiâ docemur.

DICO. II. Bona temporalia, quatenùs prosunt & iuuant ad vitæ æternæ assecutionem, possunt cadere sub meritum. Assertio hæc ex dictis euidens est. Itaque tantum de bonis temperalibus vnicuique iusto

& me-

& merenti DEVS suppeditat, quantum ei expedit, vt ad beatitudinem peruenire possit. Hæc breuiter de bonis temporalibus. Faxit DEVS, sic per ea vt transeamus, ne amittamus æterna. Ità voueo, & alterum hunc commentationum Theologicarum tomum FINIO.

LAVS DEO VIRGINIQVE MATRI.

Omnia iudicio & censuræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ columna & firmamentum veritatis est. 1. Timoth. 3. humillimè subycio.

INDEX DISPVTATIONVM SECVNDI TOMI.

TRACTATVS PRIMVS DE BEATITVDINE, ET Actibus Humanis.

Vtrum

TRACTATVS SECVNDVS de Legibus.

DISPVTATIONES TRACTATVS III. de Gratiâ.

FINIS.

Typographica notæ grauioris errata sic corrigantur.

PAg. 14. colum. 1. lin. 17. lege, si quo modo. pag. 30. colum. 1. lin. 25. quod est ab extrinseco. p. 48. col. 1. l. 1. operetur. Et l. 3. Areopagitæ. p. 49. col. 1. l. 28. Quarè nec odisse DEVM. p. 57. col. 2. l. 9. QVÆRES. p. 83. col. 2. l. 10. proposito. p. 85. col. 2. l. 32. QVINTA DIFFICVLTAS. p. 96. col. 1. l. 2. effectus. p. 106. col. 1. l. 37. intrinsecâ. p. 118. col. 2. l. 37. versabantur. p. 130. col. 1. lin. 21. hos. p. 140. col. 1. lin. 9. licitum. pag 157. col. 1. lin. 17. contraherent. pagin. 168. column. 2. lin. 37. peccatum habituale. pagin. 169. column. 2. lin. 19. dele, & Pagin. 170. column. 1 lin. 20. lege, originali. column. 2. lin. 37. intensiuam pag. 193. col. 2. lin. 22. POSTREMA p. 239. col. 1. lin. 15. posita. Pag. 248. col. 2. lin. 32. ab esu carnium. pag. 255. col. 2. lin. 22. reiiciendo. pag. 280. col. 2. lin. 20. consentanea sunt. pag. 285. col. 2. lin. 2. dilectionem. p. 311. col. 2. lin. 25. nonnullis p. 319. col. 2. l. 21. habent. pag. 323. col. 1. lin 7. vnusquisque. pag. 327. col. 2. lin. 20. iustificatione. pag. 330. col. 2. lin. 6. antidoto. pag. 344. col. 2. lin. 13 sacra pag. 346. col. 2. lin. 5. habituali pag 351. col. 2. lin. 31. accipiet. pag. 355. col. 1. lin. 15. quæ. pag 362. col 1. lin. 16. respondet. pag. 365. col. 1. lin. 27. adhuc.

Quæ sequuntur errata, pleraque exemplaria non habent.

pag. 104. col. 1. lin. 12. ante 11 interpone hęc verba: & reduci solet ad dictum factum aut concupitum. pag. 152. col. 2. lin. 37. pro peior lege prior. pag. 176. col 2. lin. 36. & 37 lege iustitiam originalem. pag. 313. col. 2. lin. 17. lege *agnitionem* pag 338. col. 1. lin. 17. lege dispositiuè, pag. 356. col. 1. lin. 16. pro actio, lege intentio.

Cætera si quæ occurrent errata momenti leuioris, Lectorem non admodum, opinor, offendent.

5-2